F. JOSEPHI AUGUSTINI
O R S I

ORDINIS PRAEDICATORUM

SAC. INDICIS CONGREGATIONIS A SECRETIS, DEIN SAC. PAL. AP. MAGISTRI
ET S. R. E. CARDINALIS

D E

ROMANI PONTIFICIS
IN SYNODOS OECUMENICAS
ET EARUM CANONES
P O T E S T A T E.



TU ES PETRUS, ET SUPER HANC PETRĀ ÆDIFICABO ECCLESIĀ MEAM Mat. 16.

ROMAE, MDCCLXXII.

TYPIS PAULI JUNCHI, PROVISORIS LIBROR. BIBLIOTHECAE VATICANAE.

Sumptibus Natàlis, & Caroli Barbiellini Bibliopol.
in Foro Paſquini.

SUPERIORUM FACULTATE.

SANCTISSIMO DOMINO

D. BENEDICTO XIV.

PONTIFICI MAXIMO.

FR. JOSEPHUS AUGUSTINUS ORSIUS
ORDINIS PRAEDICATORUM
SACRAE INDICIS CONGREG. A SECRETIS.

MAgnorum Virorum, eorumque praecipue, qui primis Eccleſiae ſaeculis Chriſtianam religionem profitebantur, vetus imprimis atque laudabilis conſuetudo fuit BEATISSIME PATER, ut iis qui recens ad ampliſ.

ſimam imperii dignitatem evecti eſſent, lucubrationes eas dicarent, quas continenti ſtudio maximaque adhibita diligentia compoſuiſſent. Ita fit, uti Criticae facultatis cultores, qui ad illuſtranda antiquorum Scriptorum opera, eaque ad certam quamdam, ac definitam aetatem conſignanda animum appulerunt, quos ego ne nimius eſſe videar, ſilentio eſſe praetereundos exiſtimo, quum ejuſmodi morem compertum haberent, atque exploratum, maximam eorumdem operum partem in primum illius Principis annum conjecerint, cujus ea nomen praeferrent Ego vero etſi neque ingenio, neque eruditione tanta praeditus ſim, ut cum ſummis illis praeſtantiſſimiſque ingeniis comparari ulla ratione poſſim, quod tamen permagno totius Eccleſiae comodo, perpaucis ante diebus ſingulari Divini Numinis providentia, admirabilique Patrum conſenſione, univerſo populo plaudente, ad

Sum-

Summi Pontificatus faſtigium Te tanta nobilitate, probitate, & ſapientia hominem exaltatum eſſe perſpexerim; nullam moram mihi eſſe interponendam putavi, quin Tibi alteram illius Operis partem offerrem, in qua quidem elaboranda multas vigilias, laboreſque improbos conſumſiſſem.

Quamquam autem initio nova dignitas, & majeſtas, & amplitudo, & alia pleraque impedimento eſſe, meque ab antecepto conſilio deterrere poſſe videbantur, ubi tamen illius temporis mihi venit in mentem, quo ſimulatque a Benedicto Decimotertio Pontifice Maximo Sacro Purpuratorum Patrum Senatui es adſcriptus, meam illam de *SS. Perpetuae, Felicitatis, & Sociorum Martyrum Orthodoxia* Diſſertationem incredibili humanitate dignatus es in tuam fidem, & clientelam recipere; atque inde animadverti, non moveri Te novi ſplendoris acceſſione; erexi continuo inclina-

tum

tum animum, Tibique verens, neque haeſitans lucubrationem hanc meam dedicare inſtitui. Hortata eſt etiam ut in propoſito confirmarer grata illa memoria, quam de Benedicto XIII. Pontifice Maximo ſingulari noſtrae Familiae ornamento tenes, cujus Tibi nomen imponere non dubitaſti, quo magis magiſque conſtaret, tam fixas eam tamque altias radices in animo Tuo egiſſe, ut nulla poſſit oblivione deleri. Acceſſit deinde eximia benevolentia, qua non tantum Rectores noſtros, ſed totum quantus eſt Ordinem Praedicatorum, & me etiam ipſum quamvis immerentem complecteris, quaque fit, ut tametſi omni officio, & pietate erga nos Tua ceteris ſatisfacias omnibus, Tibi ipſe nunquam ſatisfacias. Illud quoque ſe obtulit commodum, quod cum jam inde ab ineunte adoleſcentia admirabiles in omni genere ſtudiorum progreſſus feceris, libroſque cedro dignos, atque eos praeſertim,

qui

qui ſunt de *Beatificatione*, & *Canonizatione Servorum Dei* &c. in lucem edideris, qui ob res imprimis implexas, & impeditas, quas mirandum in modum evolvis, atque explicas, magnae ſunt Chriſtianae Reipublicae utilitati, & ornamento; tum viros litteratos, quibuſcum diu verſari, tempuſque a curis & negotiis vacuum terere conſueſti, tanto ſtudio, tantaque caritate proſequeris, ut ſuum in Te decus atque praeſidium collocatum eſſe, gloriari merito debeant. Quotus enim quiſque eſt hominum eruditorum, qui cum Te aut privatum, aut Praeſulem, aut Cardinalem cognorit, non ſtatim perceperit, nihil Tibi aut potius, aut ſanctius eſſe, quam eos & colere & venerari, & maximis beneficiis augere, qui in litteris multum operae ſtudiique conſumſerint? Notum ſcilicet cuique eſt, Te magnam vim, copiamque illorum delegiſſe, qui vel in poëticis, vel in hiſtoricis, vel in jure Romano,

no, & Canonico, vel denique in Theologicis rebus eſſent exercitati, quibuſcum modo ſedens, modo etiam deambulans colloquerere. Incredibile autem memoratu eſt, quam Te illorum oratio delectaret, quum aut differentes, aut quidquam memoriter recitantes audires. Sed quid multa perſequor? Nonne continuo atque peculiari Spiritus Sancti adflatu, Eccleſiae univerſae clavum obtinuiſti, in id potiſſimum incumbere viſus es, ut ii penes Te eſſent, qui eruditionis, acris judicii, prudentiae, integritatis, adminiſtrandaeque Reipublicae laude maxime omnium florent? Ac neminem ſane illorum reperire fas eſt, quibus, hoc auſpicatiſſimo Tui Pontificatus initio, aliquod munus, aut dignitas ceſſerit, qui dotibus ejuſmodi careat. Quod ſi mihi liceret eos ſingillatim commemorare, nullus profecto dubitarem, quin omnes in eam mecum opinionem concederent, ut fortunatiſſimum initium,

lon-

longam , eamque feliciſſimam progreſ-
ſionem eſſe habiturum putarent. Vide-
rat hoc animo praeclarum illud Roma-
nae Eccleſiae decus, & dulce ſapientium
virorum praeſidium Cardinalis de Via,
(qui ſi ad hos uſque dies vitam produ-
xiſſet, quo Te ad Petri Sedem evectum
cernere, tuoſque amplecti, atque oſcu-
lari pedes potuiſſet, quanto, putas;
gaudio perfuſus fuiſſet?) quocirca
Te non amici modo, ſed etiam filii lo-
co habere videbatur: quippe qui opti-
me norat, tantam in homines probos,
& litterarum amatores propenſionem,
maximi eſſe faciendam. Quod quum
ita ſe habere comperiſſem, intellexi e-
quidem nihil eſſe in cauſſa, cur animum
deſponderem. Immo vero excitari me
etiam atque etiam ſenſi, uti meipſum
quum primum licuiſſet, ad pedes San-
ctitatis Tuae conferrem, idque abs Te
peterem, ut ampliſſimum Tuum nomen
meis hiſce libris praeponi aequo animo

paterere. En autem, ut poſt paucos dies ab exordio Tui Pontificatus, Deo fortunante, licuerit.

Itaque habe Tibi, Beatissime Pater, Tertium illius Operis Tomum, quo Romanae Eccleſiae jura pro virili parte defendo. Non enim Te fugit, ut jam uſque a XV. ſaeculo Theologi quidam ſurrexerint, qui Petri Apoſtoli ſucceſſores obnoxios eſſe poteſtati, & Canonibus Generalium Synodorum contenderent. His vero nihil initio ſuppetebat, quo ſuſceptam cauſſam pro dignitate tueri poſſent, niſi forte teſtimonia quaedam exceperis, quae contorte in ſuam ſententiam trahere nitebantur. Poſt autem ubi celebratum eſt Conſtantienſe Concilium ita elati ſunt animo, ut ejus Decreta, velut inconcuſſae auctoritatis eſſent, Theologis noſtris objicere non vererentur. Poſtremo Conventum Baſileenſem ad caelum uſque extollere ſunt aggreſſi, quaſi in eo univerſa con-

ſilio,

ſilio, ratione, atque ordine acta eſſent, propterea quod relicta vetere, ac late longeque propagata ſententia, pro qua Itali pugnant, recenti illi a Gerſonii Magiſtris, aut a Gerſonio ipſo excogitatae acceſſiſſet. Neque vero Te praeterit, fuiſſe etiam ſaeculo ſuperiore pleroſque, quos nunc recenſere non vacat, qui cum Gerſonio, Conſtantienſibus Decretis, inſtitutiſque Baſileenſium addicti eſſent, & pro illis acriter, vehementerque certarent, tum aliquos ex noſtris tranſverſos egerint, atque una compulerint, uti rem in ancipiti ſaltem poſitam eſſe arbitrarentur. Quemadmodum ergo ſuperioribus libris inerrantiam, ſic iis qui ſequuntur jura, privilegia, dignitatem, auctoritatemque Romanae Sedis tueri, atque ab invidia liberare ſategi. Quo ſcilicet exitu, nolo equidem judicare. Aliorum eſto judicium. Vides autem Ipſe; totum hoc Opus, quale quale tandem illud eſt, Tuum eſſe, ipſumque per

ſe ad Tuum praeſidium auſpiciumque confugere. Quid enim propius ad Te pertinet, quam auctoritas, atque dignitas omnium in terris maxima, qua Te Chriſtus donatum voluit, quamque ut imminuant & labefactent, quum alii nervos animi omnes intendant, tum ego omni ope ac diligentia ſarctam Tibi tectamque ſervare ſtudeo? Quare ſi quid pretii in eo reperies, ut Tibi jure debitum exiſtimes, ſin minus, pretium ei, meritumque efficias velim. Id ſi conſequar, arbitrabor, cum auctoritate, tum benevolentia erga me Tua, mihi quod maxime cupierim contigiſſe; atque idcirco me laboris mei uberrimos fructus reportaviſſe. Confido autem fore, ut id ipſum, ob eam, qua es in omnes humanitatem, quam facillime ſim conſequuturus. Ego vero interea, quod & Chriſtiana Reſpublica me, & praeclara virtutum, quibus mirifice inclareſcis decora, hortantur, libenter facio: uti Deum

Opti-

Optimum Maximum continenter orem, atque obteſter, ut quemadmodum Te ſingulari providentia delectum, & exaltatum ad Summi Pontificatus apicem voluit, quo afflictis viduatae Eccleſiae rebus eruditione, prudentia, pietate denique Tua opem intenderes; ita maximo ejuſdem bono, & commodo diu multumque ſoſpitem atque incolumem ſervet, Tibique lumen, vim, auxiliumque ſuppeditet, ut eam juſte ſancteque veluti Chriſti in terris vices tenentem addecet, regas, ac modereris. Audiet autem ille non mea tantum, ſed etiam totius Orbis Catholici vota, atque una efficiet, ut qui antehac, ob egregie navatam in tot tantiſque dignitatibus, quibus Te Deceſſores Tui ornarunt, operam ſumma in celebritate verſabare, is ipſe nunc in fungendo Oecumenici Paſtoris & Pontificis Maximi munera non modo opinionem vincas omnium, quae de virtute tua eſt, ſed etiam ae-

ques

ques juſtitiam, probitatem, & gloriam Pontificum ſuperiorum, qui omnium maxime inclaruerunt. Quae cum nullus dubitem, quin ſecundae, proſpereque concedenda Eccleſiae ſint; tum ad Tuos pervolutus pedes, Apoſtolicam benedictionem animo cumprimis demiſſo imploro, ac poſtulo.

PRAE-

PRAEFATIO.

NEminem eſſe hominem arbitror in hoc genere controverſiarum vel mediocriter exercitatum qui neſciat a Theologos illos, quorum a noſtro de poteſtate Romani Pontificis dogmate diſpar eſt diſſidenſque ſententia, ita eſſe animo comparatos, uti cauſſae ſuae praeſidium in Decretis Conſtantienſibus collocari oportere defendant. Quum enim tota haec, quae illis nobiſcum eſt concertatio in tria Capita propemodum revocetur, quae totidem poſtremis Cleri Gallicani Propoſitionibus comprehenduntur: an ſcilicet tanta ſit Romani Pontificis, tamque conſtans in dijudicandis rebus fidei auctoritas, uti nunquam deficere poſſit a veritate; tum an idem Pontifex generalium Conciliorum poteſtati obnoxius ſit; poſtremo an eorum legibus conſtringi atque obligari queat; illi Synodum Conſtantienſem appellant, cujus Canonibus & inſtitutis tria illa decora ſummo Eccleſiae totius Antiſtiti praerepta fuiſſe vociferantur. Nam etſi multa in antiquis Chriſtianorum monumentis poſita eſſe exiſtimant, quae ſuis opinationibus ſuffragentur; nihil tamen clari ac ſolidi inde concludunt, quo illae praeclare imprimis atque invicte demonſtrari poſſint. Imo vero pleraque in eiſdem monumentis animadvertunt, quibus Italorum dogmata confirmari videntur; adeoque fateri coguntur, rem adhuc ancipitem dubiamque futuram fuiſſe, niſi praeſto adeſſet aequus ac legitimus judex, qui Scripturarum traditioniſque momenta, quae ultro citroque adferri ſolent, ad proprium verumque ſenſum ſuprema auctoritate, *irreformabilique judicio* revocaſſet. Ergo interpretem atque judicem omni exceptione majorem in Conſtantienſi Concilio ſe reperiſſe gloriantur; quippe quod ſumma qua valebat auctoritate de graviſſimis hiſce diſputationibus quid omnino ſit ſentiendum, certis luculentiſque decretis praeſcripſerit. Neque enim clarius aut diſertius definiri potuiſſe contendunt, quam definitum ab ea Synodo eſt; Romanum Pontificem in dirimendis generibus illis controverſiarum, quae ad fidei morumque caſtitatem pertinent, ſubjacere poteſtati generalium Conciliorum. Quo quidem ſemel poſito fundamento, reliqua omnia ſerie quadam ſequuntur, quae Galli Theologi vehementer probant: ſummam videlicet in condendis, ſtatuendiſque fidei regulis auctoritatem Pontifici Maximo deripi oportere; quod ea penes Eccleſiam univerſam Synodoſque generales reſideat; quarum Canonibus, non Epiſcopi ceteri ſolum, verum etiam Romanus teneatur obtemperare.

Itaque Conſtantienſis Concilii tam certam eſſe defendunt tamque exploratam ſententiam; ut qui Adverſariorum exiſtimant, contingere aliquando poſſe, ut quae olim a Synodis perſpicue enucleateque ſancita ſunt, & nu-

& numero capitalium dogmatum habita, lapſu temporum a Theologis obduci tenebris, atque inter adiaphora recenſeri poſſint; ii quidem Synodi tantae exemplo abuti audeant; perinde ac ſi quae illius praeſcripto conſtituta ſunt, hac noſtra aetate in utramque partem agitari a Scholaſticis temere videantur (a). Quia etiam Synodum eamdem praeſidio ſibi eſſe putat factio illa hominum inproborum, quae per ſummam impietatem atque inſcientiam pugnat; magnam vim copiamque Epiſcoporum, quibus Romanus Antiſtes praeſideat, incidere in errorem poſſe; ita ut demtis omnino paucis, reliqui omnes ea veluti fidei principia tueantur, quae anteactis temporibus Synodi Oecumenicae reprobaverunt. Neminem quippe eſſe qui neſciat, omnes jam fere per univerſum orbem Epiſcopos Pontifici Maximo, eximiam ſibi atque ineluctabilem auctoritatem in Eccleſia tribuenti, libenter accedere, de qua tamen illum Patres Conſtantienſes dejecerunt (b).

Sed quid ego de hac hominum impiorum colluvie loquor, qui a Janſenio ſtare non dubitant? Clerus ipſe, ac magna Gallorum Theologorum vis Decreta Conſtantienſia, quae, illorum judicio, non ſchiſmaticos modo dubioſve, ſed rite quoque ſancteque delectos Pontifices omnino reſpiciunt, non unius tantum & alterius Oecumenicae Synodi, verum etiam Romanae Sedis adſenſione probata fuiſſe defendunt. Quod ſi verum eſt, nihil profecto erit illis deſiderandum, ut iis decretis nixa ſententia ad fidem pertinere credatur. Quid enim magis ad fidei regulam pertinet, quam quod Synodi generalis auctoritate ſancitum eſt, ſi ad eam ſanctionem; quae tamen in Divini juris interpretatione verſetur; cum Eccleſiae univerſae, tum Sedis Apoſtolicae conſenſus acceſſerit? Ac Meldenſium quidem Epiſcopus libro X. ſuae *Defenſionis* cap. XIX. ſerio percontatur: *An Conſtantienſibus Decretis nixa ſententia ad fidem Catholicam pertineat*. Serioque deinde reponit; Nihil propemodum obſtare. „ Quominus *noſtra* „ ſententia haeretica ſit, quae Concilii Oecumenici definitioni tam perſpi„ cue adverſatur. . . . . nec videri *nos* omnis condemnationis immunes. *Ac* „ *rurſum*: An ergo Adverſarii ex omiſſo anathemate ab haereſi ſatis pur„ gatos ſe putent, ipſi viderint; a gravi certe nota immunes eſſe non „ poſſunt. *Et paullo poſt*: Videant contemptores Decreti Conſtantienſis, „ quanta illis immineant, qui plenam & abſolutam tanti Concilii defini-

„ tio-

(a). La Deciſion même peut devenir un ſujet de diſpute, comme on voit à l'egard de celle du Concile de Conſtance ſur la ſuperiorité du Concile general au deſſus du Pape. *Inſt. Paſtor. de M. l'Eveq. de Senez. Part. II. art. II. num. II.*

(b) Le plus grand nombre joint au Pape peut donc embraſſer un ſentiment faux dans ces diſputes, & il l'en braſſe en effet lorſq'il regarde l'infallibilitè du Pape comme une veritè revelée, pendant que les defenſeurs des libertez de l'Egliſe Gallicane ſoutienrent de leur cotè que les Decrets du Concile de Conſtance qui ont defini leur doctrine, appartiennent à la foi. *Ibid. T. IV. artic. X. n. IV.* Mais ne voyouſnous pas que la deciſion des Conciles generaux de Conſtance & de Basle, ſur la ſuperioritè du Concile au deſſus du Pape, eſt meconnuè par le plus grand nombre? *Ibid. Tom. II. artic. IV. num. IV.*

„ tionem abjecerunt. Et libro XII. cap. II. fidenter audacterque pronuntiat, *ſententiam Pariſienſium*, qui Romanos Pontifices fidem ſollenniter adſerentes a ſcopo aberrare poſſe comminiſcuntur, *res inter judicatas reponendam eſſe ex dictis de Concilio Conſtantienſi*. „ Non enim ullus hominum, ſtante quidem Conſtantienſi Concilio, eſt in fide infallibilis: Atqui demonſtravimus, *inquit*, Conſtantienſe Concilium, nullo unquam Eccleſiae Decreto labefactatum, imo tanta Sedis Apoſtolicae, tanta Eccleſiae univerſae veneratione ſuſceptum, invicta auctoritate ſtare oportere. Ergo certa & invicta auctoritate conſtat, unius Eccleſiae, ſive collectae ſive diſperſae, ſed tamen conſentientis, ſententiam eſſe infallibilem.

Quae quum ita ſint, mirabile profecto videri non debet, ſi plerique & ex Italia, & ex aliis Catholici orbis partibus Theologi jam inde a multo tempore diligentem navarint operam, ut quae eſſet Synodi Conſtantienſis, quod ad priores ſeſſiones pertinet, auctoritas, quae vis atque intelligentia Decretorum, in aliquo lumine ponerent. Verum qui ante Schelſtratum floruerunt, quamquam haud longe a veritate aberrarunt, imo & rem ipſam quodammodo attigerunt, meris tamen conjectationibus indulgebant, quippe quum illis non alia Synodi acta ſuppeterent, quam quae Baſileenſes in Epitomen fraude mala contraxerant. Nam qui Baſileenſi Conciliabulo interfuerunt, amplam fuſamque Actorum Conſtantienſium Collectionem publicae luci invidentes, ea tantummodo vulgari curarunt, quae aut ab eorum rationibus haud omnino aliena, aut etiam ſibi aliquo eſſe poſſe praeſidio putaverunt. Sed Emmanuel Schelſtratus, vir ſumma fide atque integritate, non ſine numine ac ſingulari providentia, feliciore ſucceſſu in hoc genere argumenti verſatus eſt. Ille, qua erat aſſiduitate ac diligentia, e Vaticanis Codicibus anecdota quaedam in lucem protulit, quibus tum omnis Conſtantienſium Decretorum vis everſa atque labefactata eſt, quum eam vel maxime adſertam & confirmatam ſollenni illa ſua *Declaratione* Gallicani Epiſcopi voluerunt. Ita factum, ut quotquot deinceps ſecundam illius Declarationis Propoſitionem defendere libris editis ſtuduerunt, in id potiſſimum incubuerint ut Vaticanis Actis fidem omnem atque auctoritatem adimerent.

Nam ut Ludovicum Maimburgium, Illuſtriſſimum Boſſuetium, Natalem Alex. alioſque multos praeteream, quorum in hoc genere argumenti verſata induſtria eſt; Antonius Arnaldus, vir acri ferocique ingenio, quum aequo animo ferre non poſſet, ut quae minus ipſe probabat, Vaticanorum Codicum auctoritate confirmarentur, ad perſcribendam Diſſertationem eam adjecit animum, quae poſt illius obitum lucem adſpexit *,

c qua-

* Nemo enim dubitat, Arnaldum auctorem eſſe Libri Anonymi, qui anno 1711. in lucem editus eſt hoc titulo: *Eclairciſſemens ſur l'autorité des Conciles generaux & des Papes: ou Explication du vrai ſens de trois decrets des Seſſions IV & V. du Concile general de Conſtance &c. contre la Diſſertation de Monſieur de Schelſtrate*

quaque Schelſtratum modo contortis argumentationibus, modo atrociſſimis contumeliis exagitavit. Quam ego Diſſertationem ubi primùm per otium legere potui, tanta vi, tantoque orationis artificio elaboratam eſſe animadverti, ut initio perculſus animus vix reperiret, quae ſibi eſſet ad ſolide vindicandum ab invidia Schelſtratum, munienda via. Ubi autem omnes partes, atque omnia illius membra conſiderare, rationeſque ſtudioſius expendere ſum aggreſſus, magis magiſque confirmatus in ea ſententia ſum, ut veritatem cum eloquentia conjunctam prodeſſe hominibus arbitrarer, eloquentiam autem a veritate deſertam plurimum obeſſe plerumque, prodeſſe nunquam. Ergo ne quem ſimplicem, & minus in hoc argumenti genere exercitatum in fraudem illicere poſſet, etſi res ab inſtituto propoſitoque meo aliena prima ſpecie videbatur, quippe qui me Boſſuetio uni praecipue refellendo dedidiſſem; ſtatui tamen ea quoque Arnaldi argumenta diſſolvere, quibus magnum quoddam robur ineſſe, incauti Lectores ſuſcpicari facile potuiſſent. Nam reliqua omnia, quae tacitus praetermiſi, aut refellendo Boſſuetianam *defenſionem*, ſoluta jam in ſuperioribus libris a me ſunt ac penitus profligata; aut tam ſunt inepta, omniſque rationis atque judicii vacua, uti concidant ipſa per ſe, neque eruditum Lectorem poſtulent, qui illorum deprehendere poſſit futilitatem. Nihil porro de conviciis aut de ſcommatis loquor, quibus ille Schelſtratum vexavit, quamquam ab iis ſibi eſſe temperaturum ſancte promiſiſſet (a). Sed aut ea erat indoles hominis, iique ferocientis ingenii impetus, ut etiam nolenti exciderent; aut ad ea confugiendum fuit, ubi ſe maxime ratione deſertum animadvertit, ut argumentorum loco eſſent.

Illud autem mihi maxime eſſe laetandum video, quod Hermannus Von-der-Hardtius homo de Proteſtantium quidem grege, ſed in conſulendis veteribus Monumentis diligens imprimis & accuratus, Acta Conſtantienſia, poſt perluſtratos MSS. Codices, qui in Pluteis Germanicarum Bibliothecarium deliteſcebant, haud exiguo Reipublicae litterariae bono commodoque vulgaverit. Hujus enim ampliſsimam collectionem quum ſedulo dataque opera pervolviſſem, & cum Vaticanis illis Fragmentis ab Schelſtrato editis contuliſſem, comperi equidem ita omnia inter ſe cohaerere atque congruere, uti nihil poſsit videri atque excogitari ſimilius. Quocirca mirari non ſubit, ſi Von-der-Hardtius ipſe tum Romani Theologi ſtudia vehementer probaverit, tum ſua intereſſe putaverit, Anecdota illa Vaticana ſibi adoptare, atque in ſuam collectionem recipere, tum iis etiam inſiſtere, ubi ex recens editis Monumentis rerum in Concilio Conſtantienſi geſtarum hiſtoriam contexit.

Inte-

ſtrate &c. Videſis Jacobum Lenfant Praefat ad Hiſt. Concilii Conſtantienſis num. XVI.

(a) Laiſſons donc là ces reproches temeraires qui ſe peuvent faire également de part & d'autre dans les diſputes, où on ne garde pas les regles de l'honneteté: & arretons nous ſeulement à conſiderer d'une vue tranquille & ſans paſſion le poids des raiſons & des preuves. *Cap. I. in fine*.

Interea Jacobus Lenfantius e ſecta Calvinianorum novam Synodi Conſtantienſis moliri coepit hiſtoriam. Is autem etſi ab Eccleſia Romana animo eſſet abalienato, neque illius partes tueri, eique gratificari vellet; quod tamen apertae veritati noctes obducere haudquaquam poſſet, neque meliora nanciſci monumenta, quam quae ab Emmanuele Schelſtrato e Vaticanis, & ab Hermano Von-der-Hardtio e Germanis Codicibus edita fuerant, plura litteris conſignavit, quae magno mihi uſui fuerunt, quaeque adeo integra in meam hanc lucubrationem transferre aliquando licuit. Verum, ut eſt haeretici hominis ingenium, ſubdolum, inconſtans, & varium, poſt exactam ſuam Hiſtoriam ad Vaticanos & Germanicos Codices, in Antonii Arnaldi Diſſertationem bono quodam fato ſe incidiſſe commemorat, ſibique maxime fuiſſe gratulatum, quod ſibi ipſi, ſe quidem neſcio, cum Viro tanto praeclare in rebus praecipuis conveniſſet: quo modo juſtae cauſſae patrocinium ſuſcepiſſet, neque eloquentia majore quemquam, neque ſtudio neque gravitate ſoliditateque ratiocinandi fuiſſe teſtatur. Ita ille quidem, dum gloriam ex Arnaldi exiſtimatione captare pergit, ſui obliviſcitur, ſecumque vehementer pugnat. Quum enim Arnaldi tota in eo verſetur oratio, uti Schelſtratenis actis omnem adimere ſatagat auctoritatem, contra Lenfantius ſuam hiſce ipſis actis locupletare hiſtoriam operae praetium exiſtimavit, ac vix locus occurrit, in quo ipſorum fidem ſollicitare auſus ſit.

Itaque ego ipſe, qui tanta vi copiaque monumentorum, Heterodoxis etiam Scriptoribus conſentientibus, Vaticanorum Codicum ſinceritatem admirabilem in modum confirmari videbam, rem ſane gratam noſtris hominibus facturum me eſſe putavi, ſi quae eſſet Decretis Conſtantienſibus fides & auctoritas adjungenda, in aliquo luminae collocaſſem. Ac multis quidem mihi videor demonſtraſſe, nutare illa omni ex parte, atque ſe ipſis concidere. Tum enim conſtituta a Nationibus ſunt, quum Conſtantienſis conventus rationem Synodi Oecumenicae non obtinebat, propterea quod Gregorius & Benedictus, qui cum Johanne XXIII. de Pontificatu certabant, & quae illis parebant factiones, nondum Conſtantiam adveniſſent, neque Synodum, ut poſtmodum factum eſt, ab integro convocaſſent. Quid? ſi ipſo etiam Johanne, dubio Pontifice, quo duce Conſtantienſes uti unice poterant, quoad ipſi & dignitas & libertas conſtitit, indigne ferente, aç vehementiſſime reluctante, ejuſmodi Decreta, quae Romanae Eccleſiae aliquo eſſe poſſunt incommodo, ſancita fuiſſe demonſtrem? Imo vero & Purpuratos Patres, qui diſcedente Johanne Conſtantiae ſubſtiterant, aut eo reverſi fuerant, eorum promulgationi omni ope ſummoque ſtudio & conatu interceſſiſſe, non modo e Vaticanis illis Fragmentis a Schelſtratio vulgatis, verum & ex alii coaevis Scriptoribus apertiſſime evinco: ex quibus nimirum plane conſtat, cum Franciſcum Cardinalem Zabarellam Epiſcopum Florentinum, totius utique ſacri Senatus conſilio, quum Nationum Decreta Seſſione IV. promulgaret, verba illa ſecundi articuli; *Ad reformationem in Capite & in membris*; ſilentio praeteriiſſe; tum Seſſione V. lectum qui-

dem

dem eumdem articulum, iis etiam additis verbis, fuiſſe, ſed rurſus obſiſtentibus & intercedentibus iiſdem Eminentiſſimis Patribus; indigne ferentibus, rem tantam ſine matura deliberatione, non adhibito ſollenni & canonico examine, ac deſpecto Romanae Eccleſiae Senatu, a ſolis quatuor Nationibus, unius Gerſonis tumultuaria oratione inflammatis, praeter aliorum Conciliorum morem, temere definiri. Quapropter neque Martini V. Conſtantienſis Synodi Acta Apoſtolica auctoritate confirmantis judicio Seſſionum illarum Decreta convaluiſſe, quum Pontificiae confirmationis ſuffragium ad ea ſolum Martinus adhibuerit, quae *conciliariter* geſta ſancitaque fuiſſent; cujuſmodi profecto multis de cauſis haberi non poterant, quae in duabus illis Seſſionibus decreta fuerant. Quare quidquid horum attigerint Adverſarii ulcus erit; ita male inſtituta ratio exitum reperire non poterit.

Quod enim ad Baſileenſem Synodum provocant, quam veluti legitimam & Oecumenicam in pluribus ejus Seſſionibus, in quibus Conſtantienſia Decreta & inculcata, & laudata, & firmata ſunt, & habendam eſſe, & ab Eugenio IV. reapſe habitam & confirmatam fuiſſe jactitant; nae illi malae ac deſperatae cauſſae peſſimum patrocinium accerſunt. Quum enim Baſileenſes iis freti decretis, peſtilentiſſimas turbas in Eccleſia excitarint, & nefaria ſchiſmata invexerint, & in Romani Pontificis Monarchiam divinitus conſtitutam debacchati ſint, hoc certe eorum exemplo, ac funeſto experimento tum primum compertum fuit, quantum ex illis Chriſtianae Reipublicae exitium impenderet. Neque vero quidquam a veritate magis alienum dici poſſe crediderim, quam Eugenium Quartum, Pontificem talem ac tantum, ſcientem volentemque Baſileenſibus acceſſiſſe, quos norat jura ac privilegia, quibus donata a Chriſto Sedes Apoſtolica fuerat, tollere, funditusque delere inſtituiſſe. Ille quamdiu ſibi Romanae Eccleſiae auctoritatem defendere integrum fuit, ſic acriter & vehementer contra improborum hominum manum certavit, ut ſi quiſquam in eo munere fortis eſt viſus, ille certe meo judicio fuerit. Sed ubi conſeſſus Baſileenſium, Principum Laicorum favore elatus atque auxilio fretus, extrema omnia minari coepit; ille veritus, ne rurſum Eccleſia in factiones diſcinderetur, atque una nefarium ſchiſma oriretur, quod perpaucis ante annis ſingulari Numinis providentia exciſum erat, vi adactus atque compulſus, quum & animi & corporis aegritudine conflictaretur, ancipites neſcio quas Epiſtolas dedit, quibus Apoſtolicae dignitatis faſtigium uni Deo ſubditum Concilio quodammodo ſubjeciſſe prima fronte videri potuit. Verum non ex litteris quas ille coactus ad Synodum miſerit: ſed ex iis, quas & antea libens volenſque ſcripſerit, ac deinceps exaraverit, & ex iis, quae fortiter geſſerit, ut a Latrocinalis Synodi injuriis & contumeliis ſummam Sedis Apoſtolicae auctoritatem vindicaret, repetenda Eugenii ſententia eſt. *Nam quae vi praeter priorem ſententiam eliciuntur, ea non reformidantium, ſed*

ve-

vexantium ſunt placita (*a*). *Quum & ipſum nomen ſententiae pereat, quando non illud dicitur quod ſentitur; unde nec aliquid praeſtat cauſſae, de qua ſic fuerit judicatum, & contradicentibus multum ex hoc firmitatis accedit* (*b*).

Sed enim ne ſolus in ſua cauſa pugnare Pontifex videretur, Florentinae Synodi; cujus fruſtra a quibuſdam Oecumenica dignitas & auctoritas ſollicitatur; ſubſidium, & Latinorum Graecorumque Patrum, ad tuendam Sedis Apoſtolicae Monarchiam, ejuſque potiſſima jura & inſigniores praerogativas, conſpiratio & unanimis conſenſus acceſſit: ut quemadmodum de Latrocinio Epheſino & Concilio Calcedonenſi Gelaſis Pontifex ſcribit (*c*); *Male geſta & injuſta Synodus per bene geſtam & legitimam Synodum* ſubmovetur. Quid enim ad ejus auctoritatem amplificandam, & ſuper totam Chriſtianam Rempublicam evehendam, magnificentius excogitari potuit, quam quod in Decreto Unionis definitum ac declaratum eſt? ipſam videlicet Apoſtolicam Sedem in univerſum orbem tenere primatum; ac Romanum Pontificem totius Eccleſiae caput eſſe, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem; eique ad paſcendam, & regendam, & gubernandam univerſalem Eccleſiam, plenam a Chriſto Domino poteſtatem traditam eſſe. Neque enim Gallos Theologos moror, qui Graeca Synodi verba, quae in eodem Decreto ſtatim occurrunt: καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς πρακτικοῖς τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι διαλαμβάνεται; inſcite ab Interprete in *Quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur*, translata fuiſſe dictitant, ut inde eliciant, Canonibus legibuſque Conciliorum ſubjectam eſſe Summi Pontificis auctoritatem. Tantum ſiquidem abeſt, ut Latinus textus merae interpretationis loco haberi debeat, uti potius ex eo tanquam ex archetypo expreſſum fuiſſe Graecum demonſtrem. Manere igitur immotum Latinum, multis argumentis concludo: quo ſemel poſito fundamento, non conſtringi Conciliorum Canonibus, ſed magis magiſque confirmari oſtendo, ex Synodi Florentinae ſententia, ſummam illam & plenam Romanorum Pontificum poteſtatem.

Tandem res ipſa hortari videtur, quoniam de Conciliorum Canonibus injecta commemoratio eſt, paucis repetere, quae fuſius in altera hujuſce Operis parte ſum perſequutus, quo tertiam Cleri Gallicani propoſitionem repellerem. Quum enim Monarchiam Eccleſiaſticam, etſi agnitam & ampliſſimis verbis adſertam, infringi tamen reipſa atque labefactari, ejuſque loco neſcio quod mixtum regimen invehi a Theologis adverſae partis conſpicerem, operae pretium me eſſe facturum exiſtimavi, ſi ejuſdem Monarchiae ideam e Scriptura & Patribus, & communibus ut plurimum & pervulgatis notionibus informatam, ſingulari Diſſertatione ob oculos

(*a*) S. Athanaſ. Hiſt. Arian. num. XLI.
(*b*) Facund. Hermian. lib. XII. pro defenſ. trium capit.
(*c*) Epiſt. XIII. ad Epiſcop. Dardaniae.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM. NUELE

los Lectorum ponere, multiſque rationibus confirmare inſtituiſſem: quae conducere poſſet ad magnam rerum illarum partem clarius feliciuſque perſpiciendam, quae diſputatae antea a me ſunt, quaeque diſputantur in eo ipſo poſtremo libro, quo tertiam illam exagito Cleri Gallicani propoſitionem. Paucis enim, pro rerum copia & ubertate, ſed invicte tamen, mea quidem ſententia, evinco, tantam eſſe tamque eximiam Romani Pontificis auctoritatem, ut obnoxius non ſit Canonibus & inſtitutis Conciliorum, tametſi Canonum cuſtodem ac defenſorem ſe eſſe jure quodam ſuo glorietur. Itaque Lectorum meorum poſtulo atque imploro fidem, ut poſteaquam Volumen hoc meum percurrerint, & cum Cl. Adverſarii libris contulerint, animo ab omni antecepta opinione atque ab omni partium ſtudio vacuo, ſententiam ferant, atque una dijudicent, tantane apud nos eſſe debeat, in hoc ſane negotio, Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis auctoritas, ut quae ab illis de Synodorum generalium in ipſos Romanos Pontifices poteſtate conſtituta ſunt, inter Catholicae fidei ſanctiones immotaſque regulas haberi debeant; & annon potius, iis poſthabitis ac merito neglectis, ad illos primigenios Canones, & avita illa veterum Patrum, ipſorumque Romanorum Pontificum, & Conciliorum generalium teſtimonia, fides noſtra atque ſententia conformanda ſit, quae ſuperioribus Tomis ſedulo enucleata ſunt, & quibus plane demonſtratum eſt, tum demum ipſa quoque Synodorum Oecumenicarum dictata & definita in arcem ſummae auctoritatis invadere, quum Sedis Apoſtolicae judicio fallere & falli neſcio ſollenniter confirmantur.

NOS

NOS FR. THOMAS RIPOLL

Sacrae Theologiae Profeſſor Ordinis Praedicatorum humilis Magiſter. Generalis & Servus.

HArum ſerie, noſtrique authoritate Officii, facultatem facimus P. Magiſtro Fr. Joſeph Auguſtino Orſi Congregationis noſtrae Sancti Marci de Florentia, Sacrae Indicis Congregationi a Secretis, edendi Opus a ſe elaboratum DE ROMANI PONTIFICIS IN SYNODOS OECUMENICAS, ET IN EARUM CANONES POTESTATE, ubi PP. Magiſtri F. Pius Thomas Schiara Caſanatenſi Bibliothecae Praefectus, & Fr. Dominicus Vincentius Elefante in Collegio Urbano de Propaganda Fide Sacrae Theologiae Praelector illud legerint, edique poſſe probaverint; ſervatis aliis de Jure ſervandis; In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c. Datum Romae apud S. Mariam ſuper Minervam die VII. Martii MDCCXL.

Fr. Thomas Ripoll Magiſter Ordinis.

Reg. fol. 75.

Loco ✠ Sigilli.

F. Pius Thomas Schiara Magiſter, Caſan. Bibl. Praefectus, Pro-Socius.

APPROBATIO.

SUſcepti pro Apoſtolica Sede Operis Tomum tertium in duas diſſectum Partes, a Cl. Authore F. Joſepho Auguſtino Orſio Sac. Indicis Congregationi a Secretis inſcriptum: DE SUMMA ROMANI PONTIFICIS IN OECUMENICAS SYNODOS & EARUM CANONES POTESTATE: perlegi ex mandato Rmi Patris Noſtri F. Thomae Ripoll Magiſtri Ordinis. Pergit quo pede cepit, rerum geſtarum notitia, doctrinae ubertate, pondere argumentorum, orationis elegantia, Vir praeſtantiſſimus. Quod ultimum praeſidii, ſummaeque arcis loco Adverſariis erat, aggreditur; evincitque, longe aliter eos de Conſtantienſium Decretorum mente ac vi, deque Baſileenſium Authoritate ſentire, atque veritas poſtulet. Ceterorum ex Piſana, Florentina, Lateranenſi, ex Gallicanis, ex Africanis Synodis, ex Romanis Pontificibus, atque undique conquiſitorum nihil diſſimulat, ſingula diſcutit, ſolideque ac nervoſe refellit. Injecta poſtmodum peropportune de Forma Eccleſiaſtici Regiminis graviſſima Diſſertatione, in eo lumine Cauſam collocat, ut nulli deinceps non probanda eſſe videantur, ac facile quiſquis intelligat, quantum contra Opinantes Regni a Chriſto inſtituti rationem immane labefactent. Opus itaque Bono Chriſtianae Reipublicae elaboratum, ut edatur, cito vulgetur, atque a Theologis teratur, exopto. Romae apud Sanctam Mariam ſuper Minervam IV. Calendas ſextiles CIↃ IↃ CC XL.

F. Pius Thomas Schiara Sac. Theol. Mag. Caſanatenſi Bibliothecae Praefectus.

A P.

APPROBATIO.

VIri doctiſſimi Joſephi Auguſtini Orſii Sacrae Indicis Congregationi a Secretis Tomum tertium Magni Operis DE ROMANI PONTIFICIS IN SYNODOS OECUMENICAS, ET IN EARUM CANONES POTESTATE juſſu Reverendiſſimi Patris Magiſtri Generalis Ordinis noſtri F. Thomae Ripoll animo imprimis attento perlegi, admiratuſque ſum vehementer ſummam hominis eruditionem, & ſingularem in refellendis adverſariorum argumentis dexteritatem. Cum enim jam inde a multo tempore Theologi Galli ſuum in Synodis Piſana, Conſtantienſi, & Baſileenſi praeſidium collocaverint; ille quae ſit Piſanae de Romani Pontificis poteſtate ſententia primum explicat, tum Conſtantienſium Decretorum fidem evertit ac labefactat, poſtremo Baſileenſium vafritiem atque improbitatem in aperto lumine ponit, tanta vi, tantaque copia argumentorum, ut nihil ſupra deſiderari poſſit. Convertit deinde animum ad Synodi Florentinae Decretum, quod pro Sede Apoſtolica maxime facit, eaſque tenebras omnes diſſolvit, ac diſſipat, quas illi obducere adverſarii ſatagunt. Ne qua vero his pateat coarctandae canonibus Conciliorum Pontificiae auctoritatis via, praeclaram illam, ac numeris omnibus abſolutam Diſſertationem de Eccleſiaſtica Monarchia ſubinde adjicit, quae cum ſuperioribus libris, tum etiam poſtremo, quo tertiam Cleri Gallicani Propoſitionem exagitat, illuſtrando, mirandum in modum conducit. Ita qui leget, continuo intelliget, quam praeclare noverit Orſius configere oculos cornicum. Cum ergo Tomus hic tertius nihil contineat, quod a fide Catholica, & caſtis moribus diſcrepet, multaque complectatur, quae magnae utilitati, & commodo Chriſtianae Reipublicae eſſe poſſint, auctor equidem ſum, uti in lucem quam primum edatur. Romae e Coenobio Minervitano Idibus Martiis MDCCXL.

Fr. Dominicus Vincentius Elefante S. Theol. Magiſter ejuſdemque in Collegio Urbano de Propaganda Fide Profeſſor, ac Sacrae Congregationis Indicis Conſultor, Ordinis Praedicatorum.

APPROBATIO.

NOvis Gallicanae Eccleſiae Libertatibus propugnandis infirmiſſimum ex Concilii ſive Conſtantienſis, ſive Baſileenſis Decretis Actiſve praeſidium adſciſci, Thema praecipuum eſt quarti Voluminis egregii Operis Reverendiſſimi Patris Magiſtri Fr. Joſephi Auguſtini Orſi in poſthumas Jacobi Benigni Boſſuetii pro Declaratione Cleri Gallicani anni 1682. lucubrationes. Quod quidem Clariſſimus Auctor argumentis undique conquiſitis, puriſque e fontibus derivatis ita evincit, ut quicquid non modo Boſſuetius, ſed & Maimburgus, Arnaldus, Natalis Alexander, Launoius, aliique ejuſdem furfuris, etſi ceteroquin magni nominis Auctores, quo ſuum extol-

lerent

lerent commentum, congerere ſategerunt, fere ad nihilum redigatur, exhibeaturque inſigne exemplum, haudquaquam fieri poſſe, ut malae cauſae ſit bona defenſio. Aptiſſime eidem ſubnectitur Themati Diſſertatio de Eccleſiaſtica Monarchia, omnibus profecto numeris abſoluta; nec. non tertii memoratae Declarationis Articuli, quae per Meldenſem Epiſcopum propugnatur, compendiaria quidem, prout erat operae pretium, ſed exacta nervoſaque confutatio. Ejuſmodi autem in Libro, quem jubente Reverendiſſimo P. Fr. Aloyſio Nicolao Ridolfi Sac. Pal. Apoſt. Magiſtro attentis oculis menteque luſtravi, demiratus quoque ſum incenſum religioſiſſimi Auctoris erga Eccleſiam Romanam ſtudium, conſtantiſſimam in ſcribendo modeſtiam, & inaffectatam nativamque ſtili elegantiam. Quamobrem Volumen hocce uti par, imo & forte praeſtantius tribus aliis jam evulgatis, laude plauſuque ab Eruditis omnibus excipiendum eſſe, adeo non ambigo, ut tuto judicem. Romae die 2. Auguſti 1740.

Thomas Sergius Piorum Oper. S. Rom. Inquiſitionis Conſultor.

APPROBATIO.

Quae pro Summi Pontificis, & Sanctae Romanae Sedis majeſtate, dignitate, & juribus vindicandis, praeſertim adverſus ea, quae ex Synodorum Conſtantienſis, & Baſileenſis Decretis a Meldenſi Epiſcopo prolata fuerunt, Reverendiſſimus P. Joſeph Auguſtinus Orſi Sacrae Congregationis Indicis a Secretis ſingulari doctrina, & eruditione diſſeruit, mandante Reverendiſſimo P. Nicolao Aloyſio Ridolfi Sac. Pal. Apoſt. Magiſtro diligenter legi. Et quum omnia, quae egregium Opus complectitur, morum regulis, & Chriſtianae, Catholicae Eccleſiae dogmatibus apprime conſentiant, publicae utilitati, atque optimae cauſſae defenſioni Romanis typis edendum eſſe, quantum ad me attinet, cenſeo.

Ex Collegio Clementino hac die 20. Auguſti 1740.

D. Jo: Franciſcus Baldinus Clericor. Regular. Congregationis Somaſchae, Sacrarum Congregationum Indicis, & Rituum Conſultor, & Sancti Officii Qualificator.

REIMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dom. Jordani Patr. Antioch. Viceſgerens.

REIM-

REIMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Sacri Palatii Apoſtolici Magiſt. Ord. Praed.

LIBER QUINTUS

Quo MELDENSIS EPISCOPI Liber Nonus, de Concilio Conſtantienſi, & Conciliorum Oecumenicorum Poteſtate.

,, Ad Caput Secundum Gallicanae Declarationis

Examinatur & confutatur.

CAPUT PRIMUM.
,, REfertur DECLARATIONIS Caput II. Concilium Conſtantienſe in hoc argumento non eſſe ſuſpectum. pag. 1.
ARTICULUS UNICUS.
Conſtantienſis Synodi Decreta, aut ipſa ex ſe merito nobis in hoc argumento ſuſpecta ſunt, aut ea nobis ſuſpecta Baſileenſis Synodus Galliquę Theologi reddiderunt. 2
CAPUT II.
,, Conſtantienſis Concilii in Caput II. Declarationis laudata Decreta ex Seſſ. IV. & V. referuntur: Cenſores noſtros, atque ipſum etiam Auctorem tractatus de Libertatibus Eccleſiae Gallicanae, nec Synodi verba attendiſſe, nedum intellexerint. 6
ARTICULUS UNICUS.
Pariſienſium Theologorum, de Conciliorum generalium auctoritate cum illa Romanorum Pontificum comparata, doctrina exponitur. Quibus illa principiis nitatur, & quas inde conſecutiones eliciant. 7
CAPUT III.
,, Ordo diſputationis hujus. Cenſores noſtri tria objiciunt: primum quidem de textu, alterum de ſenſu ac mente: poſtremum de auctoritate Decretorum Conſtantienſium. 10
CAPUT IV.
,, Novum *Emmanuelis Schelſtrati* de Textus fucatione commentum. 11
ARTICULUS UNICUS.
Haec verba: Ad reformationem generalem Eccleſiae Dei in capite & membris; *a Decreto primo quartae Seſſionis abeſſe debent.* 12
§. I.
Certum eſt, ea verba in pluribus, atque optimae notae, & indubitatae fidei MSS. Codicibus non occurrere. ibid.
§. II.
Ante quartam Seſſionem magna tum generatim de Synodi Oecumenicae ſupra Romanum Pontificem poteſtate, tum ſpeciatim de his verbis; Et ad reformationem generalem Eccleſiae Dei in Capite & in membris; *inter Cardinales atque Nationes diſſenſio ac diſceptatio fuit.* 18
§. III.
Verba iſta; Ad reformationem generalem in Capite & in membris; *Cardina-*

dinalis Florentinus reapſe in publica Seſſione non legit. An ea omiſerit, conſentientibus aut refragantibus Nationibus, ſedulo ac diligenter inquiritur. 24

CAPUT V.

„ Schelſtrati, de falſata Seſſione „ IV. Conſtantienſi, fabula con„ futatur: Probitas PP. Baſileen„ ſium omnium Scriptorum conſen„ ſu aſſeritur: Beati Ludovici Ale„ mandi ejus Coetus Principis exi„ mia ſanctitas. 29

ARTICULUS PRIMUS.

Jure ne an injuria Baſileenſium Patrum fidem, in edendo cum ea de Reformatione Clauſula quartae Conſtantienſis Concilii Seſſionis primo Decreto Schelſtratus in ſuſpicionem vocaverit? 30

ARTICULUS II.

Quanti ad praeſentem controverſiam momenti ſit, demonſtraſſe, tum in primo Decreto Seſſionis quartae ſuppreſſam fuiſſe clauſulam de reformatione, tum omnino praetermiſſum fuiſſe ſecundum Decretum de poteſtate cujuslibet Synodi generalis in quemlibet Pontificem coactiva. 34

CAPUT VI.

„ Seſſionis Quintae, qua potiſſimum „ utimur, lectionem neque in du„ bium revocari poſſe; neque un„ quam in dubium revocatam. 36

ARTICULUS PRIMUS.

Toto illo ſaeculo, quod funeſtum illud Occidentis ſchiſma praeceſſit, communis ac pervulgata fuit Theologorum, atque imprimis Pariſienſium, doctrina. 1. Concilia niſi a Romanis Pontificibus convocari non poſſe. 2. Debere in eis Romanos Pontifices praeſidere. 3. Ex Romanis Pontificibus fluere, aut ſaltem pendere eorum auctoritatem. 4. Eorum de fide moribuſque Decreta irrita eſſe, niſi a Romanis Pontificibus confirmentur. 5. Romanos Pontifices a Synodis Oecumenicis niſi in cauſſa fidei judicari non poſſe. 38

ARTICULUS II.

Exponuntur argumenta, quibus potiſſimum veteres Theologi doctrinam ſuperiori Articulo expoſitam confirmabant. 47

CAPUT VII.

„ Ad ſenſum Conſtantienſium Ca„ nonum conſtituendum praemitti„ tur brevis hiſtoria ſchiſmatis: Ex „ ipſo ſchiſmate fidei periculum, „ Sedis Apoſtolicae contemptus, „ morum corruptela, ac neceſſa„ ria reformatio. 52

CAPUT VIII.

„ Tria ſchiſmati quaeſita remedia. „ Concilium Oecumenicum neceſ„ ſarium. Eccleſia Gallicana ab „ Odorico Raynaldo Wicleſiſ„ mi accuſata propter ſubtractam „ ſimul obedientiam & Anna„ tas. 53

ARTICULUS UNICUS.

Exorto ſchiſmate, eadem quae in ſuperioribus Articulis expoſita ſunt ab avita traditione derivata dogmata, in Scholis Theologicis obtinuiſſe, compertum eſt ex Theologorum aeſtu graviſſimiſque diſſidiis, in mediis ſtatuendis, quibus pax in Eccleſia reſarciri poſſet. ibid.

§. I.

Synodi generalis celebrationem tanquam viam exſtinguendo ſchiſmati accommodatam inter primos propoſuiſſe videtur Henricus de Haſſia: At Synodum cogitabat, cujus a Romano Pon-

Pontifice decreta penderent. Neglecta eſt haec via, quod neque de Pontificatu contendentes in eam conſenſuri eſſent, nec ſine Romani Pontificis conſenſu Synodus celebrata quidquam habitura roboris eſſet. 54

§. II.

Rejecta, ſeu potius neglecta, ob eas quas diximus aliaſque difficultates, Concilii generalis celebratione, in utriuſque de Papatu contendentis voluntariam ceſſionem, velut, in viam ceteris ad obtinendam Eccleſiae pacem aptiorem, omnes ferme & Patres & Theologi conſenſerunt. 63

§. III.

Univerſitas Pariſienſis & Eccleſia Gallicana cum aliis Univerſitatibus & Nationibus, nec non & utriuſque, ut dicebantur, obedientiae Cardinales a Gregorio & Benedicto tandem receſſerunt, quod eos, jam pro ſchiſmaticis & haereticis haberent; adeoque ipſos reapſe, vel, ut ajunt ipſo facto a jure Papatus excidiſſe judicarent. 65

CAPUT IX.

„ Nullum remedium niſi in Conciliorum generalium ſuperiore poteſtate: an ea ſit agnita per ordinem ad ſchiſma; an ideo translata ad ſchiſmatis cauſſam, quod in aliis quoque cauſſis praevalere ſoleret? 69

ARTICULUS UNICUS.

Univerſitas Pariſienſis & Cardinales quum a Gregorio XII. & Benedicto XIII. diſceſſerunt, & quum ad futurum Pontificem, vel ad generalem Synodum provocabant, hoc maxime urgebant, idque unum principii loco ſumebant, quod Pontifice ſchiſmatici & haeretici Conciliorum generalium auctoritati ſubjecti ſunt. 71

CAPUT X.

„ Concilium Piſanum ab utriuſque obedientiae Cardinalibus convocatum, quo jure? ejus Concilii acta. 77

ARTICULUS UNICUS.

Piſanae Synodi convocatio, ejuſque acta hoc uno fundamento nituntur, quod ſaeviente ſchiſmate, Cardinalium eſt Oecumenicam Synodum congregare, & huic ſemel coactae auctoritas ineſt ad dubios Pontifices, ſchiſmatis & haereſeos inſimulatos, judicandos & in ordinem redigendos. 78

CAPUT XI.

„ Confirmatur aſſertum illud, quod proceſſus Eccleſiae Catholicae & Piſani Concilii, ſuperiore Conciliorum, etiam extra ſchiſma in ſummis quibuſque negotiis auctoritate nitatur. Quibus fundamentis Concilii Piſani decreta nitantur. 82

ARTICULUS UNICUS.

Meldenſis Epiſcopi argumenta expenduntur, & in ipſum retorquentur; invicteque probatur, iis elevari ac prorſus infringi Piſanae Synodi actorum ac Decretorum vim & auctoritatem. ibid.

CAPUT XII.

„ An ſine temeritate Concilii Piſani auctoritas rejici poſſit? 87

ARTICULUS UNICUS.

Nec Haereſeos, neque Schiſmatis, neque temeritatis arguendi ſunt, qui Piſanam Synodum velut legitimam, & Oecumenicam agnoſcere renuerunt, aut etiamum renuunt. 88

CA-

CAPUT XII. &c.

„ Ad Conſtantienſe Concilium devenitur: ejus cauſſae atque initia referuntur: rerum ſeries uſque ad Seſſionem V. Hinc confutati qui ad ſchiſmatis tempus decreta reſtringunt. 94

CAPUT XX.

„ Seſsioni quartae & quintae aeque ac reliquis Concilii Oecumenici auctoritas conſtat. An valeat Bellarmini reſponſio, earum ſeſſionum Decreta a Florentina & Lateranenſi Synodis antiquata? ibid.

CAPUT XXI.

„ An Seſſionis quartae & quintae dubia ſit auctoritas, quod duae Obedientiae defuerint? An Johannis XXIII. Obedientia tertia pars Eccleſiae fuerit? An Johannes XXIII. aut alii Seſsioni quartae & quintae contradixerint? Johannis Turrecrematae & Johannis Gerſonis loci. 97

ARTICULUS PRIMUS.

An Conſtantienſis Synodus, quae ſub initium ſola Johannis XXIII. Obedientia conſtabat, Oecumenica tamen in prioribus ſeſſionibus fuerit, quod aliae duae Gregorii & Benedicti Obedientiae nefario ſchiſmate ab Eccleſia ſejunctae, ad ejus adhuc compagem & unitatem nequaquam poſt Piſanam Synodum pertinerent? 99

I. QUAESTIO. 100

II. QUAESTIO. 101

III. QUAESTIO. 102

IV. QUAESTIO. ibid.

V. QUAESTIO. 104

ARTICULUS SECUNDUS.

Aut fatendum eſt cum Cardinali Cameracenſi, haud minores poſt Piſanum Concilium, circa Alexandri V. & Succeſſoris ejus Canonicam electionem, juris & facti fuiſſe difficultates, quam ante eam Synodum fuerant in cauſſa Gregorii & Benedicti; aut omnino improbanda eſt vis Johanni XXIII. a Conſtantienſi Synodo illata, ut Pontificiam dignitatem abdicare compelleretur. 106

CAPUT XXII.

„ Quod inter Catholicos certum ſit, Concilium Conſtantienſe jam inde ab initio, & ante adunatas Obedientias fuiſſe Oecumenicum. Bulla, *Inter cunctas*, a Martino V. ſacro approbante Concilio, edita Conſtantiae. 111

CAPUT XXIII. &c.

„ An novae Concilii convocationes, Gregorii & Benedicti Obedientiis Conſtantiam advenientibus, pacis ſtudio factae, antecedentium ſeſſionum auctoritatem infringant? de ſuſcepto Gregorio ſeſſione XIV. 112

ARTICULUS PRIMUS.

Ex ipſis Adverſariorum principiis demonſtratur, Gregorianos & Benedictinos, antequam ad Synodum Conſtantienſem aggregarentur, ſchiſmaticos & haereticos non fuiſſe. Quumque notabilis Eccleſiae pars fuerint, illis adhuc Synodo repugnantibus, aut eam nondum agnoſcentibus, ab ea non ſatis fuiſſe univerſalem Eccleſiam repraeſentatam. ibid.

ARTICULUS II.

Sibi non conſtant, nec ſuis rationibus cohaerent Adverſarii, quum iis in nos exceptionibus agunt, quae nullo nego-

negotio in eos regeruntur. 119

CAPUT XXVIII. &c.

„ Objectio ex defectu confirmati (*ſ.*
„ *confirmationis*) petita diſſolvi-
„ tur. 123

ARTICULUS PRIMUS.

De quartae quintaeque Seſſionis Decretis ad Conciliorum generalium poteſtatem & auctoritatem pertinentibus, ſatis pro rei gravitate ac difficultate, in Synodo Conſtantienſi deliberatum non eſt. 126

ARTICULUS II.

Decretis quartae quintaeque Seſſionis non modo conſenſum Johannes XXIII. non attribuit, verum & eis vehementiſſime repugnavit. 133

ARTICULUS III.

Neque Cardinalium Collegium, neque alii plures inſignes Epiſcopi & Doctores Conſtantienſibus de Conciliorum poteſtate Decretis conſenſum adhibuerunt. 138

ARTICULUS IV.

Non fuiſſe Synodi mentem, ut ea de Conciliorum poteſtate Capitula peremtorio & prorſus irretractabili Decreto ſancirentur, neque ut ea tanquam Articuli ad fidei regulam immobilem & irreformabilem pertinentes ab omnibus Catholicis reciperentur. 143

ARTICULUS V.

Martinus V. Seſſionis quintae decreta velut conciliariter facta, vel ad fidem pertinentia, minime confirmavit. In aliis autem Synodi Decretis firmandis, & appellationibus a Pontifice ad futura Concilia prohibendis, ſummam in Synodos Oecumenicas auctoritatem ſibi ſuiſque Succeſſoribus Romanis Pontificibus, adſeruit ac vindicavit. 148

CAPUT XXXI.

„ An illa formula: *Sacro approbante*
„ *te Concilio*: Papam Concilio ſu-
„ periorem probet? 154

CAPUT XXXII. &c.

„ Emanuelis Schelſtrati objecta a Co-
„ dicibus Manuſcriptis petita ſol-
„ vuntur circa Seſſionem IV. 155

ARTICULUS PRIMUS.

Editis a Schelſtrate e Vaticanis Codicibus Conſtantienſis Synodi Actis fides adſeritur, & a Meldenſis Epiſcopi objectis Arnaldique cenſura & cavillis vindicatur. ibid.

ARTICULUS II.

De eodem argumento diſſeritur, ac ſpeciatim longior illa in Schelſtratenis Actis Cardinalium ac trium Nationum adverſus Imperatorem & Nationem Germanicam & Anglicam, de praemittenda Reformationis tractatibus novi Pontificis electione, Proteſtatio, necnon & eorum quae poſtea ſequuta ſunt, narratio, ab Arnaldi Criticis adverſus eas obſervationibus vindicantur. 163

ARTICULUS III.

Ob quam potiſſimum rationem Cardinales ac tres Nationes tantopere vellent inſiſterentque, ut electio Pontificis Eccleſiae Reformationi praemitteretur. Quae inde adverſus priorum Seſſionum Decreta conſecutiones eliciantur? 172

LIBER QUINTUS

QUO

MELDENSIS EPISCOPI

LIBER NONUS,

De Concilio Conſtantienſi, & Conciliorum Oecumenicorum Poteſtate,

„ Ad Caput Secundum Gallicanae Declarationis

Examinatur, & confutatur,

CAPUT PRIMUM.

„ Refertur DECLARATIONIS Caput II.
„ Concilium Conſtantienſe in hoc
„ argumento non eſſe ſuſpectum.

GALLICANAE Declarationis Caput Secundum, cujus in hoc libro nono, & in eo qui proxime ſequitur, Meldenſis Epiſcopus ſuſcipit defenſionem, his verbis conceptum eſt: *Sic autem ineſſe Apoſtolicae Sedi ac Petri Succeſſoribus, Chriſti Vicariis, rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, ut ſimul valeant atque immota conſiſtant ſanctae Oecumenicae Synodi Conſtantienſis, a Sede Apoſtolica comprobata, ipſoque Romanorum Pontificum ac totius Eccleſiae uſu confirmata, atque ab Eccleſia Gallicana perpetua religione cuſtodita decreta, de auctoritate Conciliorum Generalium, quae Seſſione IV. & V. continentur: Nec probari a Gallicana Eccleſia, qui eorum decretorum, quaſi dubiae ſint autoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad ſolum ſchiſmatis tempus Concilii dicta detorqueant.* Quantis obſeſſa ſint & implicata difficultatibus Conſtantienſia illa Decreta, quae tantopere in hoc Capite celebrantur, & a Clero Gallicano, ad Apoſtolicae Sedi Romaniſque Pontificibus, Petri Succeſoribus & Chriſti Vicariis, traditam divinitus poteſtatis plenitudinem certa ; ut

ut ajunt, ratione explicandam, hoc eſt certis limitibus, ac praefixis terminis coërcendam adhibentur; quot, inquam, ea decreta ſint involuta & obſeſſa difficultatibus, a pluribus graviſſimis Theologis jamdudum patefactum eſt; ex quorum nimirum luculentis hoc de argumento lucubrationibus hoc unum ſaltem (ne quid audacius in ipſo diſputationis limine pronuntiem, mihique ſumam) efficitur atque exſiſtit, immerito ea decreta proferri velut immotas, & quae concuti nequeant, firmiſſimaſque regulas, ex quibus certo de Pontificiae auctoritatis vi & amplitudine ſtatuatur. Quum enim Apoſtolorum Principi, adeoque & ejus Succeſſoribus, tributa a Chriſto poteſtas nullis in Evangelio limitibus circumſcribatur, quum Eccleſiae univerſa molitio in Petro ut in fundamento aedificata ſit; quum claves regni caelorum ad omnia liganda atque ſolvenda generatim Petrus acceperit: quum ipſi univerſum Gregem ex Agnis & Ovibus coaleſcentem Chriſtus indefinite ſubjecerit; quicunque ejus auctoritatem definire, coërcere & novis limitibus concludere auſit, ab eo juſtiſſime quaeritur, in qua poteſtate id faciat, atque illud etiam merito exigitur, ut caeleſtem ſibi adeſſe poteſtatem, certiſſimis minimeque dubiis argumentis demonſtret. Plurima autem ſunt, quibus vetamur caeleſtem hanc in Synodo Conſtantienſi agnoſcere poteſtatem, in iis Canonibus conſtituendis, quibus Pontificia Majeſtas depreſſa locoque veluti ſuo mota eſt, aut mota fuiſſet, ſi illorum Canonum auctoritas invaluiſſet. Quamquam ergo debitas laudes tantae Synodo ſuſceptiſque ab ea pro exſtinguendo ſchiſmate, & pace atque unitate reſtituenda laboribus minime invidemus; attamen in hoc argumento, de quo cum Gallis Theologis digladiamur, eam nobis eſſe ſuſpectam, candide profitemur; nec miramur, aliquos olim fuiſſe, aut etiamnum eſſe, qui *auditio Synodi Conſtantienſis vel ipſo nomine, ſtatim neſcio quid inimicum Romanae potentiae cogitant*. Hanc quidem ſuſpicionem quorumdam animis *per imperitiam* eſſe ſubortam, confidenter Illuſtriſſimus Auctor pronuntiat. Sed nos invidiae, qua ob ſeſſiones illas duas apud pleroſque Conſtantienſis Synodus flagrat, aliam cogitamus atque perſpicimus cauſſam: quam paucis aperiamus neceſſe eſt ne qua in nos vitii alicujus ſuſpicio cadat, ſed ea, ſi qua eſt, tota aut in Synodum ipſam, aut ſane in Adverſarios noſtros rejiciatur.

ARTICULUS UNICUS.

Conſtantienſis Synodi Decreta, aut ipſa ex ſe merito nobis in hoc argumento ſuſpecta ſunt, aut ea nobis ſuſpecta Baſileenſis Synodus Gallique Theologi reddiderunt.

QUotieſcumque in praeſenti diſputatione Synodi Conſtantienſis Decreta abſolute commemoramus, ea intelligi volumus (ut id ſemel monuiſſe ſufficiat) quae Seſſione quarta & quinta de Conciliorum in Romanos Pontifices auctoritate conſtituta ſunt. Quum vero doctrinam & opiniones, quas refellendas ſuſcepimus, Gallis Theologis imputamus, ii nobis obſervantur, eoſque deſignamus, qui Baſileenſium de Eccleſiaſti-

ca Poteſtate ſenſus aut olim induerunt, aut etiamnum propugnant, & Gallicanae doctrinae nomine ideo venditant, quod ceteris Nationibus, extincta diſſidiorum face, ad avitum erga Sedem Apoſtolicam obſequium redeuntibus, Gallica natio in eiſdem ſenſibus, quos ſemel, ut volunt, ſopiendo ſchiſmati adſciverat, conſtanter perſeverarit: quamquam ſatis ſuperque compertum eſt, veterem ſententiam adhuc poſt Baſileenſem Synodum apud plures ejuſdem Gallicae Gentis Theologos obtinuiſſe.

Quoniam ergo queritur Illuſtriſſimus Auctor quibuſdam in hac cauſſa Synodum Conſtantienſem eſſe ſuſpectam, imo id eorum imperitiae tribuit, ea nobis ab hiſce Theologis repellenda injuria eſt, demonſtrandumque, non ex imperitia hanc eorum ſuſpicionem profluxiſſe, ſed talia fuiſſe quae in Romanos Pontifices a Baſileenſibus, Conſtantienſium Decretorum velut auctoritate fretis, tentata & admiſſa ſunt, ut ea non ad firmandam & amplificandam, ſed potius ad elevandam atque labefactandam Sedis Apoſtolicae auctoritatem edita fuiſſe, videri merito poſſint. Etenim Baſileenſis Synodus, ut ſuo loco latius ediſſeremus, ut ſemel coacta eſt, iis nixa Decretis, ſuperiorem ſeſe legitimo certoque Pontifice pronuntiavit, tum Eugenio IV. eam diſſolvere volenti pertinaciter reſtitit, eumque per ſummam injuriam & Pontificiae Majeſtatis dedecus ad Apoſtolicas litteras improbandas & revocandas adegit, quibus jure ſuo in inviſam ſibi Synodum animadverterat. Neque his contenta, Legatis Apoſtolicis quas voluit conditiones praeſcripſit, eoſque ſibi cum aliqua juris praerogativa & auctoritate praeeſſe paſſa non eſt. Eis a Synodo juſſu Romani Pontificis diſcendentibus alium ſibi Praeſidem ipſa conſtituit: quo non auctore, ſed inſtigatore in Eugenium & coactam ſub eo Florentinam Synodum debacchata eſt. Nam Synodum primo Ferrariam, & paullo poſt Florentiam Eugenius tranſtulerat, ac transferenti tum omnes fere Orientales morem geſſerant adhaerebantque, tum plerique Occidentales paruerant. Pauci a legitimo Pontifice diris devoti Baſileae ſubſtiterant; atque ea tamen parva manus Epiſcoporum cum adjunctis ſibi aliquot ſecundi Ordinis Sacerdotibus ſeſe pro Oecumenica Synodo venditare perrexit, Pontificem accuſare, in jus vocare, parere renuenti Pontificatum abrogare, mox alium Pontificem conſtituere, conſtitutoque jus dicere, & ad arbitrium leges praeſcribere; atque illam imprimis ut Synodus adhuc ſubſiſteret, nec ſolveretur quin aliam conciperet ac deſignaret quantocius pariendam ac celebrandam; ut non tam diverſae Synodi viderentur, quam una eademque *moraliter*, ut ajunt, continuata; quae proinde ſummum eſſet Eccleſiae Tribunal, ſemper quodammodo in ea ſubſiſtens, ad quod ſumma negotia deferrentur, ad quod a Romano Pontifice appellaretur, quod Pontificiam auctoritatem pro libito moderaretur & coërceret.

Haec ſumma eſt eorum, quae Baſileenſis Synodus Conſtantienſibus freta decretis aggreſſa eſt. Quaerimus ergo, jurene an injuria eorum decretorum auctoritatem obtenderit. Si enim jure reſponderint; ergo ea merito nobis inviſa ſunt, veluti Roma-

nae potentiae inimica & Pontificiae Majeſtati infeſta. Si autem injuria; ergo Baſileenſibus imputent, quod iis decretis abuſi ea ſuſpecta & inviſa Romanis Theologis reddiderunt. Quum enim Monarchicum in Eccleſia regimen Chriſtus inſtituiſſet; quum Petrum eiuſque in Romana Sede Succeſſores Monarchica hac poteſtate inſtruxiſſet; quum ejuſdem Poteſtatis jure ſummum hactenus in Eccleſia imperium Romani Pontifices exercuiſſent, & Synodis Oecumenicis jus dixiſſent legeſque dictaſſent, non autem ab eis niſi proprio iudicio & arbitrio probatas & confirmatas accepiſſent: quiſquis hanc Monarchiam ſeu Monarchicum regimen evertere, & in Ariſtocraticum convertere aggrediatur; is utique veluti Romanae potentiae infenſus & Pontificiae Majeſtati inimicus habendus eſt. Haec autem fuiſſe videtur Baſileenſis Synodi mens, quum Romanum Pontificem in ordinem redigere, in ejus mores & actus inquirere, in eum animadvertere, ipſum exauctorare, ei leges & jura praeſcribere, certos ejus poteſtati fines ac limites conſtituere cogitavit, & in Eccleſia Tribunal erigere molita eſt, ad quod tandem graviorum rerum & negotiorum ſumma referretur, & quod jugiter Romanis ipſis Pontificibus immineret. Si hanc ipſe auctoritatem Baſileenſis Synodus e Conſtantienſibus Decretis legitime derivavit; inde ergo tanti mali labes profluxit, quod gradatim in teterrimum ſchiſma deſivit: adeoque nemo nobis jure ſuccenſeat, ſi ſuſpectam in hac cauſſa Synodum Conſtantienſem habemus. Si autem abſonae illae ac temerariae conſecutiones, quas e Conſtantienſibus Decretis Baſileenſis Synodus duxit, in eis nequaquam continebantur, quin & ab eorum mente, qui Decreta illa condiderunt, alienae judicandae ſunt; peſſime ergo de Conſtantienſibus Patribus Baſileenſes meriti ſunt, qui illos totius fere Catholici orbis invidiae pravis ac detortis illorum decretorum interpretamentis objecerunt.

Quod ergo Illuſtriſſimus Adverſarius e Conſtantienſi Synodo adfert, ut hanc ab ea invidiam depellat; aut inconſtantiae notam ejuſdem Synodi Patribus inurendam eſſe ſuadet, aut Baſileenſibus temeritatis & imprudentiae, non autem nobis Romaniſve Theologis imperitiae. Alterutrum enim ex iis verbis conſequens eſt quae Synodus protulit, quum res eo deveniſſet, ut abjectis omnibus, qui de Papatu litigarent, verus & indubitatus Pontifex crearetur (a): *Dent operam Electores, cum de creatione agitur Vicarii Jeſu Chriſti, ſucceſſoris Beati Petri, univerſalis Eccleſiae Rectoris, gregis Domini ductoris, ne quid aliud cogitent, quam ut eorum miniſterio de utili & idoneo univerſali Eccleſiae Paſtore provideatur*. Quae verba Eccleſiae, ut ſcite Boſſuetius atque eleganter obſervat, Summum Pontificem jam veluti parientis quam graviter ac ſincere commendent ejus Apoſtolicam dignitatem, nemo utique non videt. Ac dicimus tamen ea vix conciliari poſſe cum prioribus ejuſdem Synodi decretis, ſi illa in eam mentem atque ſententiam accipiantur & exponantur, quam

(a) Conc. Conſtan. Seſſ. XL.

quam illis Baſileenſes adfinxerunt. Si enim Romanus Pontifex, ut in his verbis perſpicue traditur, univerſalis Eccleſiae, veluti unius Gregis, rector, ductor, & paſtor eſt; ad eum utique univerſalem Eccleſiam, cum toto orbe diffuſam, tum in Synodis Oecumenicis repraeſentatam, regere, ducere, ac paſcere pertinebit: quae munera ſine auctoritate & juriſdictione a rectore, ductore & Paſtore exerceri nequeunt: non autem Eccleſiae univerſalis ſeu generalis Synodi erit Paſtorem ſuum atque Rectorem, ejuſque poteſtatem ſeu poteſtatis uſum cum auctoritate dirigere ac moderari & praefixos limites tranſeuntem poenarum etiam inflictione cohibere. Quae tamen priorum Decretorum ſententia eſt, ſi Baſileenſes audimus. Quare aut Conſtantienſibus Patribus certa non haeſit de Romani Pontificis auctoritate & firma conſtanſque ſententia, ut qui nunc illum Eccleſiae univerſali veluti Paſtorem atque ductorem gregi praefecerint, nunc autem ejuſdem Eccleſiae auctoritati & animadverſioni obnoxium eſſe decreverint ac declararint: Aut Baſileenſes Patres temere priora illa Decreta interpretati ſunt; quorum videlicet aſperitas ita mollienda erat ac temperanda, ut cum iis verbis ſenſibuſque congruerent, quae ex Scripturarum fonte & avita Patrum traditione Synodus Conſtantienſis hauſiſſet. Ac proinde vel inconſtantiae dica ſcribenda huic Synodo eſt, vel temeritatis & imprudentiae Baſileenſi: nos autem ullius culpae adfines non ſumus, ſi priora illa decreta pro certis immotiſque regulis non habemus, ad quas exigendae ſint de Romani Pontificis auctoritate Catholicorum Theologorum variæ diſcrepanteſque ſententiae. Quam enim male cohaereant hinc tributa laudatis verbis Romano Pontifici velut Paſtori poteſtas regendi velut gregem univerſalem Eccleſiam; hinc autem vindicata prioribus decretis eidem univerſali Eccleſiae vel Oecumenicae Synodo, ut Baſileenſes voluerunt, poteſtas in Romanum Pontificem coactiva; quam, inquam, haec male cohaereant, cum ex ſe ſe explorata res eſt, tum plerique ex Adverſariis, ut ſuo loco videbimus, candide agnoſcunt ac profitentur, qui & Florentinam Synodum hoc nomine ſuſpectam habent, & e Conciliorum generalium catalogo expunctam vellent, quod Pontificiam auctoritatem iis verbis declararint, quibus maxime adfinia & conſentanea ſunt, quae paullo ante cum Boſſuetio ex Synodo Conſtantienſi deſcripſimus.

Quod autem idem Illuſtriſſimus Adverſarius adjungit: „ Pontificiam „ Sedem, atque illam Petri navem, „ foeda diuturnaque tempeſtate pro„ pemodum obrutam, per Conſtan„ tienſem Synodum ex his fluctibus „ emerſiſſe: tum ab ea Synodo ma„ gna vi totaque autoritate adverſus „ Wicleſiſtas, & Huſſitas Romanae „ Sedis adſertam, quam omnis Im„ perii hoſtes ac perduelles dementi„ bus odiis exagitaverant, ſupre„ mam in Eccleſiam poteſtatem; id pertinet ad eam Synodi partem, quam nemo Catholicorum non vehementer probat, & quam divini fuiſſe operis, nemo non certiſſime agnoſcit, ac ſollenniter profitetur.

CA-

CAPUT II.

„ Conſtantienſis Concilii in Caput II.
„ Declarationis laudata Decreta
„ ex Seſſ. IV. & V. referuntur:
„ Cenſores noſtros, atque ipſum
„ etiam Auctorem tractatus de Li-
„ bertatibus Eccleſiae Gallicanae,
„ nec Synodi verba attendiſſe, ne-
„ dum intellexerint.

QUum haec Decreta frequentiſſime nobis memoranda ſint, imo quum in eis ventilandis ac trutinandis tota fere ſuſcepti operis diſputatio verſetur, libet ea hîc cum Illuſtriſſimo Adverſario ex laudatis Synodi Conſtantienſis ſeſſionibus exhibere. Seſſione igitur IV. haec verba ſunt: *In nomine Sanctae atque individuae Trinitatis. Haec Sancta Synodus Conſtantienſis, generale Concilium faciens, pro extirpatione praeſentis ſchiſmatis, & unione ac reformatione Eccleſiae Dei in Capite & Membris habenda, in Spiritu Sancto legitime congregata .... ordinat, diſponit, ſtatuit, decernit & declarat quod ſequitur. Et primo quod ipſa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitime, Generale Concilium faciens, & Eccleſiam Catholicam repraeſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus, vel conditionis, etiamſi Papalis, exſiſtat, obedire tenetur, in his quae pertinent ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiae Dei in Capite & membris.* In hac Seſſione, cum Romanorum Rege fuerunt ducenti Patres, ut in ipſo initio Seſſionis adſcriptum eſt.

Seſſio vero quinta ſic habet: *Haec Sancta Synodus Conſtantienſis, Generale Concilium faciens, pro extirpatione ipſius ſchiſmatis, & unione ac reformatione Eccleſiae Dei in Capite & in membris ad laudem Dei Omnipotentis in Spiritu Sancto legitime congregata, ad conſequendum facilius, ſecurius, liberius unionem & reformationem Eccleſiae Dei, ordinat, definit, decernit & declarat ut ſequitur. Et primo, quod ipſa in Spiritu Sancto legitime congregata, Concilium univerſale faciens, & Eccleſiam Catholicam repraeſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis, exſiſtat, obedire tenetur, in his quae pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem dictae Eccleſiae in Capite & in Membris.*

Item declarat, quod quicumque, cujuſcumque conditionis, ſtatus & dignitatis, etiamſi Papalis, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus & praeceptis hujus Synodi ſacrae, & cujuſcumque alterius Concilii univerſalis legitime congregati, ſuper praemiſſis, ſeu ad ea pertinentibus, factis vel faciendis obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignae poenitentiae ſubjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris remedia, ſi opus fuerit, recurrendo.

Hinc colligit Illuſtriſſimus Adverſarius, nec verba quidem horumce Decretorum attendiſſe, nedum ſententiam intellexerint, qui ea vel ad ſolum Conſtantienſe Concilium referenda eſſe duxerunt, vel ea tantum ad ſchiſmatis extirpationem, aut aequo vel incerto jure de Papatu conten-

tendentium Pontificum cauſſam pertinere, judicarunt. Qua de re noſtram ſuo loco ſententiam aperiemus. Nunc autem exponemus, quam Galli Theologi ſententiam hiſce Decretis adfingant, vel quod ſuper illis ſyſtema Theologicum exſtruant: qua in re ipſius, quam in praeſentia verſamus cauſſae conſtitutio poſita eſt.

ARTICULUS UNICUS.

Pariſienſium Theologorum, de Conciliorum generalium auctoritate cum illa Romanorum Pontificum comparata doctrina exponitur. Quibus illa principiis nitatur, & quas inde conſectiones eliciant.

QUod primo ab Adverſariis adſumitur, atque ipſorum doctrinae veluti fundamenti loco ſubſternitur, hoc eſt. Claves Regni Caelorum, & ligandi atque ſolvendi totamque ſpiritualem auctoritatem ac poteſtatem prius & immediatius, plenius & abſolutius traditas Eccleſiae fuiſſe quam Petro Romanoque Pontifici illius in Sede Apoſtolica Succeſſori. In Eccleſia namque Chriſtus, Gallis Auctoribus, caeleſtem ſuam auctoritatem claveſque depoſuit, quas ipſa tamen primo ac principaliter per Romanum Pontificem, veluti per organum ſuum & inſtrumentum praecipuum adminiſtraret: cujus proinde auctoritas & poteſtas, quamvis capitis & paſtoris praerogativa praefulgeat, ipſius tamen Eccleſiae judicio, regulis ac determinationi ſubjaceat; & cujus adeo ſit Chriſti gregem paſcere & gubernare non arbitrio ſuo & imperio, ſed ejuſdem Eccleſiae legibus & inſtitutis. Hinc illud ex Auguſtino frequentiſſime ingerunt: *Claves non uni datas eſſe, ſed unitati.* Itemque illud ex Hieronymo adſcitum: *Si auctoritas quaeritur, Orbis major eſt Vrbe.* Quae tamen non eo pertinent, ut non & Pontifex ſuam a Deo poteſtatem immediate habere credatur; quum illam quoque quorumlibet Epiſcoporum ex Deo immediate derivent: ſed ut intelligamus, eam univerſae Eccleſiae poteſtati & auctoritati ſubditam & obnoxiam eſſe, pro illius utilitate & judicio varie temperandam ac definiendam; ut nimirum pars ab univerſo corpore pendeat, eique congruat. Ita enim ſtatuunt: perinde abſonum eſſe, ampliorem Romano Pontifici vim atque poteſtatem, quam Eccleſiae corpori vindicare, atque ſi quiſpiam aliquam partem toto majorem eſſe contendat. Quum autem univerſam Eccleſiam in Synodis Oecumenicis repraeſentari decernant, hinc eamdem ſpiritualis auctoritatis amplitudinem, arcem atque faſtigium, quibus totam Eccleſiam donant, Synodis etiam Oecumenicis tribuunt; adeoque & earum legibus Romanos Pontifices perinde ſubjiciunt, ab eis utique, ſi parere contemſerint, puniendos & coërcendos. Quae omnia ex Conſtantienſibus Decretis colligere ſibi videntur, quibus nempe ſancitum ſit: Synodum Oecumenicam, quae univerſalem Eccleſiam repraeſentet, ab ipſo Chriſto immediate poteſtatem habere, ejuſque legibus & ſtatutis neminem non eſſe ſubjectum, cujuſcumque dignitatis, etiamſi Papalis, exſiſtat, condignae poenitentiae ſubjiciendus ac debite puniendus, ſi contumaciter obedire contemſerit.

Alterum principium, quo potiſ-

ſimum

ſimum Adverſarii nituntur, & unde plura maximi momenti derivant, in eo verſatur, quod Romanus Pontifex totius Eccleſiae caput haud *eſſentiale*, ut vocant, & *primarium* eſt, ſed *accidentale*, *ſecundarium*, atque *miniſteriale*. Caput enim internum & *eſſentiale*, a quo vis & integritas Eccleſiae, ejuſque ſtatus & vigor omnino pendent, Chriſtus eſt, qui vitam in illam jugiter influit, & cujus illa Spiritu regitur & vegetatur; a quo proinde ſi vel ad momentum disjungeretur, eam ſtatim ſpiritus & vita deficerent. At a Romano Pontifice ſtatus & vigor Eccleſiae, ejuſque unitas & ſoliditas & ſtabilitas haud omnino pendent: quum nullo, vel incerto Pontifice, vel eo mortuo, vel in haereſim labente, vel propter eam juſte Sede ſua depulſo & ejecto, non ideo Eccleſia pereat aut diffluat, ſed in ſua unitate & integritate conſiſtat. Quare accidentarium tantum & externum caput eſt, quod quidem aptiſſimum eſſe fatentur & accommodatiſſimum ad omnium membrorum pacem & conſonantiam fovendam atque ſervandam; quamquam ea proprie per interiorem ſubminiſtrationem ſpiritus copulentur: qui velut divinum ſemen ut ait Gerſon toties Adverſariis laudatus, & vivificus ſanguis per Eccleſiaſticum corpus difunditur, ejuſque unitatem ſuapte vi & efficacitate continet ac tuetur.

Hinc porro efficiunt, non debere quidem lege communi abſque Romani Pontificis conſenſione Synodos Oecumenicas congregari; ne videlicet abſque capitis nutu temere membra moveri, & in unum confluere locum videantur. Attamen fieri poſſe, ut ſi aliquando vel ad reparandum Eccleſiae ſtatum, vel ad reformandos mores, vel ad reſtituendam diſciplinam, vel ad evellenda ſchiſmata, vel ad fidem adſerendam ac vindicandam, neceſſaria Synodus Oecumenica videatur; & Romanus Pontifex negligat ac ſuo muneri deſit, vel eam quoque pravis artibus impediat; fieri, inquam, poſſe, ut ipſo etiam negligente, vel etiam repugnante, ea nihilominus, conſpirantibus in unam ſententiam Eccleſiae proceribus & Epiſcopis, legitime celebretur. Ut enim legitima Synodus habeatur, ſatis eſt ut in Chriſti nomine, & in Spiritu Sancto congregetur: ea porro in Chriſti nomine, & in Spiritu Sancto congregari cenſenda eſt, quum unius Dei gloriam & Eccleſiae aedificationem prae oculis habet, & in ſpiritu pacis & dilectionis ad ea ſolum intendit quae fidei, quae diſciplinae, quae Chriſtianis moribus apta & conſentanea ſunt. Unde etiam conſequens eſt, ut quamquam communi itidem lege debeat Synodis Oecumenicis Romanus Pontifex, vel ipſe per ſe ſe, vel per ſuos Legatos praeeſſe: attamen ſi vel ipſe adeſſe renuat, vel Legatos ad Synodum deſtinare recuſet, vel eos inde invita Synodo revocet; non ideo Synodum neceſſaria auctoritas deficit imo nec manca vel mutila, acephala aut imperfecta cenſeri debet: quum in Eccleſia Catholica, eamque repraeſentante Oecumenica Synodo ipſa quoque Papalis auctoritas velut in fonte & radice quodammodo contineatur. Habet enim Chriſtum ſibi indivulſe cohaerentem, ſuumque in eam Spiritum jugiter influentem; cujus virtute ac poteſtate munita ſe ipſa continet ac tuetur, nullaque poteſtas eſt, quae in-

invitam ac reluctantem aut diſſolvat, aut alio transferat. Quo referunt illas Concilii Conſtantienſis inſtitutiones, quibus poſt diſceſſum Johannis XXIII. Seſſione tertia declaratum eſt: *Quod per receſſum Papae vel aliorum Praelatorum non eſt diſſolutum ſacrum Concilium, ſed remanet in ſua auctoritate & integritate, etiamſi quae ordinationes factae fuiſſent in contrarium, vel in futurum fierent... Et, quod ipſum ſacrum Concilium non transferatur ad alium locum, niſi ex cauſa rationabili, & ab ipſo Concilio deliberanda & concludenda*. Quae poſtea Baſileenſes ad quamlibet Oecumenicam Synodum pertinere ſanxerunt, eorumque ſententiam Adverſarii pro aris focisque tuentur.

Denique hinc facile intelligere eſt, quem iidem Theologi eſſe velint adhibitae Conciliorum generalium Decretis Pontificiae confirmationis effectum. Ab illis enim Auctoribus graviſſime ipſi diſſentiunt, qui Conciliaribus Decretis ſummam & immobilem & irretractabilem firmitatem deeſſe putant, niſi Apoſtolica auctoritate firmentur. At contra ſtatuunt, illa ſuapte vi ac robore inconcuſſa eſſe atque immota conſiſtere: adeoque Apoſtolicam confirmationem non eo pertinere volunt, ut latis de fide decretis robur quod deſit addat, ſed ut quod ineſt, uberius declaretur. Non enim, inquiunt, Apoſtoli Hieroſolymis congregati vim ac robur Conciliaris Decreti in eo poſuerunt, quod Petro ipſorum Principi & capiti placuiſſet; ſed, quod Spiritui Sancto & univerſae Synodo viſum eſſet: *Viſum eſt*, inquiunt, non quidem Spiritui Sancto & Petro; ſed *Spiritui Sancto & nobis*. „ In quo proinde, uti Boſſuetius ob- „ ſervat (a), Apoſtoli robur eſſe po- „ ſitum voluerunt: nempe ut *Spiritus* „ *Sancti* efficacia & vis conjungere- „ tur cum illo, *nobis*, inque ipſa „ unitate ſe exerceret: Subindeque non ex Apoſtolica confirmatione, ſed ex praeſentia & inſpiratione Spiritus Sancti, quae Epiſcopis, Apoſtolorum ſucceſſoribus, in Chriſti nomine congregatis nunquam deſit, Synodalium Decretorum robur ac firmitas repetenda eſt. Quo pacto integra eſt Epiſcoporum in Conciliis Oecumenicis libertas, ipſorumque Conciliorum Majeſtas ſarta tectaque ſervatur, nec ſumma illa & abſoluta poteſtas infringitur, quam eiſdem Conciliis Conſtantienſes Patres ſuis Decretis adſeruerunt.

Haec itaque ſumma eſt doctrinae, quae ſub Cleri Gallicani nomine circumfertur, quam Conſtantienſibus decretis praejudicatam, inviolabilem & immotam eſſe contendunt, ac pro nihilo ducunt graviſſimas illas difficultates, quibus eorum auctoritas impetitur atque labefactatur: quarum tamen vel minimam atque leviſſimam ſatis habere ponderis judicarent, ut jure decreta illa contemnere viderentur, ſi ipſorum opinionibus, aut quas vocant Eccleſiae Gallicanae libertatibus talia a nobis objicerentur. At quoniam hiſce ipſis Libertatibus conſentanea eſſe videntur, quaecumque adverſus illa merito & graviſſime excipimus, commenta & ludibria ſunt, miroque ab illis contemtu deſpiciuntur potius; hoc enim longe facilius atque commodius;

(a) Par. 2. lib. XII. cap. VI.

quam ſolide refellantur. Verum his omiſſis, quae nullo operae pretio jactantur, ad rem ipſam aggrediamur, eamque ſuis momentis ſedulo & accurate libremus.

CAPUT III.

„ Ordo diſputationis hujus. Cenſores noſtri tria objiciunt: primum quidem de textu, alterum de ſenſu ac mente: poſtremum de auctoritate Decretorum Conſtantienſium:

PLacet & nobis ad haec tria capita revocare difficultates omnes, quibus acies hebetatur argumentorum, quae adverſus noſtram doctrinam e Conſtantienſibus Decretis Galli Theologi intorquent. Quodlibet autem horumce capitum, ſi rite ſeduloque expendatur, ſatis, ut jam monuimus, habere momenti judicamus ad eorum argumentorum vim elevandam. Quamquam enim leve illud primo adſpectu videri poſſit, quod ex fucatione textus in Decreto primo IV. ſeſsionis objicimus; quum hoc Decretum in V. ſeſſione fuerit integrum, & ut modo in editis legitur, repetitum; attamen quoniam inde evidentiſſime patet, fuiſſe inter Nationes & Cardinales in iis decretis condendis opinionum divortia & pertinaces conflictationes; hinc plurimum detrahitur ex illa auctoritate, quam vel unius, ut vocant, *Obedientiae* Johannis XXIII. quae ſola tunc Synodum conſtituebat, in unam eamdemque ſententiam unanimis conſpiratio eiſdem decretis addidiſſet. Quapropter in ea re diligentius enucleanda nequaquam, ut Adverſarii volunt, opera luditur.

Quod vero pertinet ad alterum Caput, quod in inveſtigando eruendoque Decretorum ſenſu verſatur, plane illud ac luculentiſſime demonſtrabitur: quod & in ipſa Synodo poſt quartam & quintam Seſſionem, & ſtatim poſt Synodum, ſalva fide, & abſque ulla haereſeos aut impietatis nota licitum & integrum fuit Patribus ac Theologis de Romani Pontificis, aut Synodi Oecumenicae praecellentia in utramlibet partem diſceptare: adeoque Patrum Conſtantienſium haud eam fuiſſe mentem, ut Synodi Oecumenicae ſupra legitimum certumque Pontificem velut articulum fidei omnibus credendum proponerent, aut ſecus ſentientes haereſeos inſimularent: quod temere Gerſon praedicavit, & ſchiſmaticorum Baſileenſium factio definivit. Ac propterea Conſtantienſibus Decretis fruſtra Gallos Theologos niti, ut hanc controverſiam definitam ac dijudicatam eſſe demonſtrent.

Denique, quaecumque fuiſſet eorum Patrum mens atque ſententia, qui prioribus illis Seſſionibus interfuerunt; quum ab eis tamen aliae duae, ut vocabantur, *Obedientiae* abfuerint; quum non modo Johannes XXIII. quem tertia illa *Obedientia* ceu legitimum Pontificem venerabatur, eiſdem Seſſionibus non interfuerit, verum & earum Decretis repugnarit, eaque improbaverit; quum denique Martinus V. non modo notiſsima illa decreta Apoſtolica auctoritate nunquam firmaverit, verum & verbis & rebus ipſis ſub finem Synodi geſtis acerrime illis repugnaverit; quum, inquam, res ita ſe habuerint, quaecumque fuiſſet eorum Patrum mens,

qui

qui decreta illa primitus condiderunt; palam eſt, hinc eis facile abrogari Eccleſiae univerſalis auctoritatem. Qua illis detracta, liberum eſt, eadem ad ſacrarum litterarum, & veterum Patrum & Conciliorum, ipſorumque adeo Romanorum Pontificum, & conſtitutorum ab eis dogmatum normam & amuſſim exigere, nec niſi ut eis conſona comprobare.

Haec ergo ſumma eſt ſuſceptae in hoc libro diſputationis; in qua pertractanda more noſtro Illuſtriſſimi ipſius Adverſarii veſtigiis inſiſtemus: qui quum & Synodi geſtis, & ipſa celeberrimi ac maximi negotii ſerie, & veterem lectionem, & adfictam Conſtantienſibus a Gerſone & Baſileenſibus ſententiam, & eorum decretorum ſummam & ineluctabilem auctoritatem tueri ſe poſſe confidat; nos eadem acta quam diligentiſſime luſtrabimus ac referemus, ipſamque rerum geſtarum ſeriem ſumma fide repraeſentabimus. Inde enim aperte patebit, quantis ea Decreta premantur difficultatibus, & quam temere quidam & imprudenter ea ad ſummae auctoritatis arcem atque faſtigium evehere conentur.

CAPUT IV.

„ Novum *Emmanuelis Scheleſtrati* de
„ Textus fucatione commentum.

Mirabatur, ſeu potius indignabatur Capite ſuperiori Illuſtriſſimus Adverſarius, quod anno demum 1683. quinquaginta ſcilicet & ducentis annis poſtquam Conſtantienſes Canones conditi ſunt, *Emmanuel a Scheleſtrato* S. T. D. Bibliothecae Vaticanae Praefectus, repente prodierit, qui cum Conſtantienſis Concilii nova Acta proferret, ſtatim in ipſo titulo ejuſdem Concilii primum Decretum Seſſionis quartae a Baſileenſibus corruptum eſſe teſtatus eſt: ut uno ſcilicet ictu Baſileenſem Synodum & Conſtantienſem confodere. Res quidem, inquit, intentata hactenus, Canoneſque integros, uti eos retulimus, ex Romana editione deſcriptos, omnes admiſerunt. In hoc vero Capite, & in ſequenti maximopere queritur, quod Baſileenſes, quos ſummis in caelum laudibus effert, & quorum pietatem, ſapientiam & ſanctitatem, morumque gravitatem mirifice praedicat; queritur, inquam, Boſſuetius, quod Baſileenſes in edendis Conſtantienſibus Decretis fraudis ac malae fidei idem Scheleſtratus poſtularit. Perinde ac dolo malo Decreto primo quartae ſeſſionis addiderint, quod Pontifex Synodis Oecumenicis *obedire tenetur in his, quae pertinent... ad reformationem generalem Eccleſiae Dei in Capite & membris*. Haec enim verba, quae ad reformationem ſpectant, ab eo Decreto abeſſe debere, & in illud praeter jus faſque a Baſileenſibus inſerta fuiſſe, laudatus Scheleſtratus contendit: cujus hac de re ſententiam non modo Meldenſis Epiſcopus, verum & Ludovicus Maimbourg (*a*) Nat. Alex. (*b*) Dupinius (*c*) & Antonius Arnaldus (*d*), meris ducti conjecturis, quas tamen hic more ſuo pro cla-

(*a*) Trait Hiſtoriq. de l'Egliſ. de Rome cap. XXIII.
(*b*) Diſſert IV. in Hiſt. Sec. XV. & XVI. Artic I. §. VI.
(*c*) Tom. XII. Biblioth. (*d*) Eclairciſſem. ſur les Concil. Gen. cap. X.

riſſimis demonſtrationibus mira confidentia venditat, refellere inſtituerunt.

Duplicem itaque haec controverſia complectitur quaeſtionem. 1. Utrum ea, quae mox retulimus verba ex primo Decreto quartae Seſſionis expungenda ſint. 2. Utrum jure Baſileenſibus crimini datum fuerit, quod in Epitome Actorum Conſtantienſium, eorum juſſu adornata, nec non diplomate munita, haec ipſa verba legantur.

ARTICULUS UNICUS.

Haec verba: Ad reformationem generalem Eccleſiae Dei in capite & membris; *a Decreto primo quartae Seſſionis abeſſe debent*.

Quamquam eſt hodie Viris eruditis hujuſce Theſeos veritas explorata; libet tamen in ea confirmanda & vindicanda aliquantulum immorari, ut in ipſo ſuſceptae diſputationis veſtibulo ſpecimen aliquod Lectori praebeam methodi & artificii, quo Adverſarii in noſtris oppugnandis & ſuis adſerendis uti ſolent. Mirabitur enim prudens Lector, quum certas & exploratiſſimas veritates, quas ope MSS. Codicum Schelſtratus in lucem protulit, intelliget atque perſpiciet, ab inſignioribus, quos paullo ante laudavi Gallicanae Declarationis Defenſoribus, ac potiſſimum ab Arnaldo, veluti ſomnia, ludibria, fabulas viſioneſque contemni: contra vero leviſſimas quas adferunt conjecturas paſſim ab eis miraque confidentia pro claris invictiſque demonſtrationibus venditari. Quare ne hac methodo perquam ipſis familiari fucum facere pergant, & Lectorum ſimplicitati illudere; quam levia & inania ſint, quae tanto ſtrepitu ab eis & praefidentia jactantur, noſtriſque momentis ac rationibus objiciuntur, paullo accuratius a nobis demonſtrabitur, utque planius atque nitidius noſtra decurrat oratio, ea in plures §§. diſtribuetur.

§. I.

Certum eſt, ea verba in pluribus, atque optimae notae, & indubitatae fidei MSS. Codicibus non occurrere.

ID conſtat imprimis ex MSS. Codd. quos Emmanuel a Schelſtrate Bibliothecae Vaticanae olim Praefectus conſuluit, & quorum collatione hunc in editis errorem detexit: de quibus haec Vir Cl. „ Tres, *inquit* (*a*), „ Codices MSS. continentes Acta „ Conſtantienſis Concilii a Notariis „ ipſius conſcripta, ex quibus Baſi„ leenſes Decreta compilarunt, non „ habent illa verba in primo Decreto „ Seſſionis quartae ..... Codices „ quatuor MSS. continentes Geſta in„ dubitata Conſtantienſis Synodi, „ quorum duo circa ipſius Conſtantien„ ſis Concilii tempus conſcripti ſunt, „ licet habeant multo plura, quam „ hactenus edita, nullam tamen men„ tionem faciunt in Decreto Seſſionis „ quartae *De reformatione Eccleſiae* „ *in Capite & in membris* ..... Duo „ demum Codices continentes Re„ geſtum Actorum Conſtantienſis Con„ ci-

(*a*) Differt. I. de ſenſu &c. Dec. Conſt. cap. I.

„ cilii; quorum unus circa tempus „ ipſius Concilii ſcriptus ſpectavit ad „ Em. Card. Sirletum, alius antiquo „ charactere Italico conſcriptus eſt; „ licet omnia Acta contineant a prima „ Seſſione uſque ad electionem Mar„ tini V., nullam tamen mentionem „ faciunt in Decreto Seſſioni quartae „ *De reformatione in Capite & in* „ *membris*. Ceteros, quos vidi Co„ dices praetereo, in quibus tamen „ omnibus praedicta verba deſideran„ tur. Unde colligit, ea tanquam inſititia & adulterina eſſe inde expungenda. Videamus, quid huic argumento Gallicae Declarationis acerrimi Defenſores reponant.

Codicibus a Schelſtrato laudatis opponit Ludovicus Maimbourg Codicem Pariſienſem S. Victoris, quem velut omnium antiquiſſimum laudat, & pluris faciendum eſſe depraedicat quam omnes ſimul Vaticanos atque Romanos Codices: quorum tamen numero ne ſe ſe Schelſtratus efferat, alios novem huic S. Victoris conſentaneos, & in verbis illis exhibendis conformes, Pariſiis ſe ſe vidiſſe teſtatur.

Natalis Alex. praeter eoſdem decem ſaltem Codd. MSS. optime notae Pariſiis exſtantes in Bibliothecis Regia, Colbertina, Regalis Abbatiae S. Victoris, Collegii Navarrici &c. opponimus, inquit & Codices Germanicos & Belgicos, *quibus undique collectis* uſum ſe teſtatur Petrus Crabbe Mechlinienſis Vir eruditus & diligens in editione ſua Colonienſi Conciliorum &c. Opponit etiam MSS. Exemplaria longe plura *undique conquiſita*, quibus uſum ſe teſtatur Laurentius Surius, *in quibus erant nonnulla admirandae vetuſtatis*: qui tamen Decretum Seſſionis IV. Concilii Conſtantinenſis iiſdem verbis edidit, quibus illud vulgo legimus, quia iiſdem verbis conceptum legit in omnibus, quae vidit, Exemplaribus MSS. Neque his Nat. Alex. contentus, addit & Codices quos Severinus Binius, quos Romanae Conciliorum Editionis Curatores, quos demum Patres Labbeus & Coſſartius conſuluerunt. Quid, inquit, Codices a Severino Binio luſtratos commemorem? Quid Vaticanos, & aliarum Almae Urbis Bibliothecarum, ab Editionis Romanae Curatoribus, quae Pauli V. P. M. auctoritate prodiit, inſpectos? An criterium illis deerat, quo ſincera Exemplaria diſcernerent a mendoſis? An Codices non viderunt, quos D. Schelſtrate vidit? An cum aliis non contulerunt? Quin id fecerint, dubium non eſt, exploratumque habuerint, ſinceriores, antiquiores, & melioris notae Codices Actorum Concilii Conſtantienſis, Decretum Seſſionis IV. iis exhibere verbis, quibus illud ediderunt, cum hacce clauſula, *Et ad reformationem generalem Eccleſiae Dei in Capite & in membris*. Regia etiam & Labbeana editiones mirifice confirmant, Codices omnes Regiae hujus Urbis ita prorſus Decretum illud habere. Sane ſi PP. Labbe & Coſſartius vel unum legiſſent Codicem MS. in quo haec verba defuiſſent, ea de re pro ſua integritate monuiſſent Lectorem &c. Haec Nat. Alex. ad quae facile revocari poſſunt novem probationes, quibus Arnaldus Operis ſuperius laudati cap. II. Codicum noſtrorum auctoritatem elevare conatur: quas ad Caput XXXII. hujuſce libri commodius & accuratius expendemus. Itaque ſi Gallos Scrip-

tores

tores audimus, Decretum iſtud Seſſionis IV. cum ea clauſula exhibent Codices omnes Pariſienſes, quos Maimbourg, Labbeus atque Coſſartius conſuluerunt; hanc pariter repraeſentant Germanici omnes & Belgici, quos Petrus Crabbe luſtravit; hanc ii longe plures, quos undecumque Laurentius Surius acceſſivit; hanc illi, qui SeverinoBinio ad manus fuerunt; hanc Vaticani, & aliarum Urbis Bibliothecarum, quos Editionis Romanae Curatores inſpexerunt. Uno verbo; *fidem*, inquit Turnelius (*a*), *ac ſinceritatem Decretorum probant ac teſtantur omnes fere Codices MSS.* & Auctor Tractatus Gallici de Poteſtate Eccleſiaſtica & temporali pag. 440. pariter adfirmat, quod ea verba in omnibus fere MSS. Codd. reperiuntur, quorum aliqui vel ante Baſileenſem Synodum exarati ſunt: qui proinde paucis illis a Schelſtrate laudatis praeferendi ſint: quibus etiam parum eſſe fidendum temere pronunciant, quoniam, inquit idem Anonymus Auctor (*b*), e locis ſuſpectis eruti ſunt, ſcilicet e Romanis Bibliothecis, ubi mutilari de induſtria potuerunt, quod Romanae Curiae opinionibus adverſabantur, vel etiam Amanuenſium incuria ea verba praetermitti. Eademque pari fiducia ac temeritate & Arnaldus efſutit. Haec itaque omnia ſingillatim nobis examinanda ſunt.

Ac primum quod ad Pariſienſes Codd. attinet; Regia & Labbeana Editiones mirifice, inquit Nat. Alex. Confirmat, Cod. omnes Regiae illius Urbis ita prorſus (ut ipſe vellet) Decretum illud habere. Nam ſi Labbeus & Coſſartius vel unum legiſſent Codicem MS. in quo haec verba defuiſſent, ea de re pro ſua integritate monuiſſent Lectorem. Certum eſt tamen Pariſiis, atque in ea ipſa, quam omnes, ac potiſſimum Maimburgius, commemorant, Bibliotheca S. Victoris, exſtare Codicem MS. in quo ea verba deſiderantur. Viderintne porro illum Labbeus atque Coſſartius, an non viderint, penitus ignoramus. Eſſe autem in ea Bibliotheca ejuſmodi Codicem teſtatur heterodoxus Hiſtoricus hac de re minime profecto ſuſpectus: qui Pariſiis a Viro & generis claritate, & eruditione, & dignitate ſpectabili nuntiatum refert (*c*), in uno e tribus Victorinis Codicibus MSS. ea, de quibus nunc agimus, verba deſiderari. Nec dubitamus, quin alii ejuſmodi Codices in tot aliis Pariſienſibus & Gallicanis Bibliothecis reperiri poſſint, quum vel e tribus unius Victorinae unus ſaltem ea verba non habeat. Diximus, *unus ſaltem*, quoniam Auctores

(*a*) Tom. II. de Eccleſ. Quaeſt. V. art. III. pag. 302.

(*b*) Ceux que Schelſtrate allegue .... ſont tirés de lieux ſuſpects, c'eſt-a-dire, des Bibliotheques de Rome, ou l'on a pû les retrancher exprés, parce qu'ils étoient contraires aux maximes de la Cour Romaine, ou même les omettre par mégarde. *pag.* 441.

(*c*) Que de' trois MSS. qui ſont dans la Bibliotheque de S. Victor, *il y en a un cotté* 842. qui ne contient, que les termes *d'extirpation du ſchiſme*, ſans ceux *de Reformation dans le Chef & dans les membres* *; mais que dans les deux autres cottez 844. & 828. on voit la clauſe *de la Reformation de l'Egliſe dans le chef & dans les Membres*, Lenfant. Hiſt. du Conc. de Conſt. liv. II. num. XVI.

* Auctores cenſurae unum dumtaxat Harduino Cod. objiciunt, antea ſignatum nota arithmetica 844. qui nunc aliam praeferat, ſcilicet 403.

res cenſurae in Harduinianam Conciliorum collectionem ex Senatuſconſulto Pariſienſi adornatae, unum dumtaxat Victorinum Codicem laudant, in quo ea verba legantur; abſque dubio duos potius laudaturi Codices, ſi ea in duobus occurrerent; nec alios quoque, ſaltem Pariſienſes, ſilentio praeterituri, niſi illis carerent. Sane R. P. Harduinus, qui ſuam, poſt Labbeanam, ad MSS. Codd. Pariſienſes Soc. Jeſu, Regios & Colbertinos Conciliorum editionem exegit, nullum ſibi viſum Scriptorem admonet, qui MS. Codicem Laudet, in quo ea verba legantur. Quod quamquam mirum videatur, attamen argumento eſſe poteſt, non adeo vel in ipſis Galliis frequentes eſſe Codices, in quibus occurrant. Nec profecto Harduini Cenſores, plures jactanti Codices MSS. unum ſat habuiſſent nominatim opponere Codicem Victorinum, ſi eum multorum citatione obruere potuiſſent. Unde Schelſtrati conjectura firmatur, quod plures e Pariſienſibus Codd. MSS. quos Maimbourg veluti ſibi viſos obtrudit, eam clauſulam habeant, non in Decretis Seſſionis IV. ſed V. In quem errorem Virum eruditum incidere potuiſſe minime ſuſpicaremur, niſi Decreta pluribus in locis, quae fuſe ipſe deſcribit, a Gerſone laudata, quae manifeſtiſſimum eſt ad V. Seſſionem pertinere, craſſiſſimo errore ad IV. Seſſionem retuliſſet.

Sed ut ut ſit de Gallicanis Codicibus, quod ad Germanicos attinet, certa jam & explorata res eſt, melioris notae & indubitatae fidei Codices ea, de quibus agimus, verba in Decreto primo Seſſionis IV. non exhibere. Id enim ampliſsimae Actorum Concilii Conſtantienſis Collectionis in ipſa Germania Editor heterodoxus, non utique Romanis gratificandi ſtudio, ſed pro ſua ingenuitate, clare luculenterque teſtatur. Nam eam clauſulam apud ipſum [a] Brunſuicenſis, Lipſienſis & Gothanus, necnon duo Vindobonenſes Elſtravvianus & Dorrianus, ut & Wolfenbuttellenſis Codices praetermittunt. Quam porro fidem laudati Codices mereantur, lubet hîc ſemel ejuſdem Editoris verbis, qui ſuis illos luſtravit oculis, demonſtrare.
„ Uſi, *inquit* (b), profecto ſumus
„ Codicibus MSS. incomparabilibus
„ ex reconditis totius Germaniae the-
„ ſauris litterariis magno ſtudio feliciſ-
„ ſimoque fato collectis.

„ Primum MS. Codicem authenti-
„ cum plenorum Actorum Concilii
„ Conſt. inclyta dedit Auguſti & lite-
„ ratiſsimi Principis Rudolphi Augu-
„ ſti Bibliotheca Brunſuicenſis. Quod
„ vaſtum volumen, *in ipſo Conſtan-*
„ *tienſi Concilio exaratum*: Neque ti-
„ tulis & argumentis diſtinctum, ſed,
„ ut primi illi Notarii conſueverant,
„ una continua ſerie contextum, te-
„ nuibus ſaltem aut breviculis ſpatiis
„ interjectis, ubi nova ſuccederet
„ materia.

„ Alterum Codicem MS. majorum
„ Actorum Concilii Conſtantienſis
„ dedit Sereniſſimi Principis Frideri-
„ ci Saxoniae Ducis Bibliotheca Go-
„ thana. Quod *Volumen Conſtantiae*
„ *itidem ſcriptum*, nec titulis & ar-
„ gu-

(a) Von der Hart. Act. Conc. Conſt. Tom. IV. ad Seſſ. IV.
(b) Ibid. in Prolegom. cap. III.

„ gumentis niſi in margine inſtructum
„ &c.

„ Tertium Codicem MS.plenorum
„ Actorum Concilii Conſt.dedit praeclara
„ Bibliotheca Paulina Acad.
„ Lipſienſis.Qui cum Brunſvicenſi curatius
„ conſentit, niſi quod aetas paullo
„ recentior, ut proxime tamen
„ Concilii Baſileenſis tempora attingat.
„ Titulis ſiquidem atque argumentis
„ pro recentiori ſtudio undiquaque
„ diſtinctus atque ornatus.
„ Quali Codice & Card. Barberinus
„ & Contelorius uſi, qui eaſdem in
„ Appendice Labbeana ſiſtunt inſcriptiones.
„ Poſſedit hunc Codicem, &
„ ut apparet, deſcripſit *Mag. Thomas*
„ *Wernertius de Brunſvigk* A. 1464.

„ Tribus his grandibus Voluminibus
„ genuinis, antiquis, veris ac
„ plenis Actorum Concilii Conſt.Corporibus,
„ innixi ſumus in noſtra hac
„ nova integrorum Actorum recenſione.

„ Sed nec illi Codices nobis ſuffecerunt.
„ Accivimus plures alios
„ Codd.MSS.a Viris Illuſtribus quondam
„ inſtructos, qui in ipſo Conſtantienſi
„ Concilio rebus interfuerant,
„ ac pro ſua memoria, vel &
„ in Dominorum Principumve ſuorum
„ gratiam, res geſtas ſuo ſtylo brevius
„ paullo poſt conſignarant.

„ In his excellit Johannes Dorre,
„ Juriſconſultus in Concilio praeſens,
„ alias in ſuperioribus Tomis pro dignitate
„ laudatus. Qui peregregium
„ dedit Actorum Concilii Conſt quae
„ ſuis ſpectavit oculis, perbreve licet,
„ argumentum. Quem incomparabilem
„ Codicem Dorrianum ...
„ Bibliotheca Vindobonenſis gratioſiſſime
„ impertivit.

„ Latus Dorri claudit Nicolaus Elſtravv,
„ Conſiliarius quondam Auſtriaeus,
„ alias ex merito nobis laudatus,
„ ſed nunquam ſatis laudandus,
„ *qui in Concilio itidem praeſens*,
„ praeter monumenta eruditorum Virorum,
„ de rebus Concilii in Concilio
„ edita, *aliqua* etiam *Acta* in
„ Seſſionibus prodita, conſignavit.
„ Quos nobiles Elſtravianos MSS.Codices
„ pari fortuna inaeſtimabilis Bibliothecae
„ Vindobonenſis theſaurus
„ literarius benigniſſime ſuggeſsit.

Ejuſdem de Codice Wolfenbutelenſi judicium inferius proferemus.

An hos etiam Codices mendoſos eſſe, quod de Schelſtratenis, Maimbourg & Nat. Alex. reponent? An ex locis ſuſpectis prodiiſſe, quod de Romanis, Auctor Anonymus & Antonius Arnaldus, pronuntiabunt? Unde conſtat, quam levite, laudatus Natalis de Germanicis Codicibus judicarit, ea fretus conjectura, quod neque Petrus Crabbe, neque Laurentius Surius, qui ſuas in Belgio, vel in Germania Conciliorum Editiones ad MSS. Codices adornarunt, eam tamen clauſulam in Decreto primo Seſſionis IV. retinuerunt.

Multo autem majori temeritate iidem Auctores eadem nixi conjectura, de Romanis Codd. nunquam ſibi viſis adverſus Schelſtratum oculatum teſtem ſtatuere voluerunt. Quod enim Romanae Conciliorum Collectionis Editores eam clauſulam non expunxerint, ſtatim inde conficiunt, illam reapſe Romanos & Vaticanos Codd. exhibere, perinde atque a Viris prudentibus illorum tam futili conjecturae plus deferendum exiſtimarint, quam Schelſtrato diſerte teſtanti, in omnibus,

quos

quos magno numero evolvit tum antiquiſſimis & coaevis, tum recentioribus Codd. MSS. eam deſiderari. „ Demum omiſſis aliis teſtari poſſum, „ quod inter omnes MSS. Codd. Conſtantienſis Synodi, quos magno numero me vidiſſe contigit, nullum repererim, in quo verba illa habeantur, praeter unum recentiori manu ex Sirleti Codice tranſcriptum, in quo Tabellarius, cum Originale difficili charactere exaratum eſſet, Acta ex editis Codicibus deſcripſit, & verba illa contra fidem Originalis manuſcripti Decreto I. ſeſſione IV. adjunxit. Aliis autem ſuperius laudatis vetuſtis Codicibus addit etiam *celeberrimum Codicem Capranicenſem*, *qui ad uſum Cardinalis de Capranica Baſileenſis Concilii temporibus ſcriptus videtur*, *& quo Philippus Labbeus ſaepius uſus eſt in Appendice ad Synodum Conſtantienſem*: *in hoc enim*, *ut in reliquis omnibus ſupra citatis*, *deeſt clauſula* de reformatione Eccleſiae in capite & in membris. Unde patet inanitas conjecturae inde ab Adverſariis petitae, quod ſi Labbeus & Coſſartius vel unum nacti fuiſſent Codicem MS. in quo ea verba defuiſſent, Lectorem ea de re pro ſua ingenuitate monuiſſent. Superioribus adjungit etiam Schelſtratus alium Codicem *plane antiquiſſimum*, *qui ex Bibliotheca Em. Card. Lodoviſii in Bibliothecam Em. Card. Ottoboni* migraverat, ejuſdemque R. E. Principis liberalitate in Bibliotheca Vaticana repoſitus fuit, in quo eadem omnino deſiderantur.

Quis ergo Adverſarios ferat tanta fiducia jactantes, vulgatae Baſileenſium lectioni omnes fere MSS. Codices ſuffragari? An ergo undecim Romani Codices, & ſex Germanici, & unus Pariſienſis S. Victoris, antiquiſſimi, & Conſtantienſi Synodo aut coaevi, aut fere coevi, ut alios recentiores Schelſtrato viſos praetereamus; an, inquam, octodecim Codices ſummae antiquitatis Romae, Pariſiis, & per univerſam Germaniam in unam eamdemque lectionem conſpirantes, nullo in numero & pretio, eorum judicio, habendi ſunt? Et quidem Ludovicum Maimbourg, Nat. Alex. & Antonium Arnaldum, quod ad eorum manus, quum ea litteris conſignarent, ampliſſima Germanica collectio nondum pervenerat, ferre utcumque poſſumus. At quis aequo animo ferat Auctorem Anonymum atque Turnelium, qui laudatam Germanicam collectionem & videre potuerunt, & reipſa viderunt, & tamen fidenter jactant, quod lectionis Baſileenſium *fidem ac ſinceritatem* probant ac teſtantur omnes fere Codices manuſcripti? An ergo ſic lubet aut fas eſt Lectorum illudere ſimplicitati? Quanto nos potiori jure adfirmamus, *ea verba in pluribus*, *atque optimae notae*, *& indubitatae fidei MSS. Codicibus non occurrere*? Id quod erat probandum.

§. II.

Ante quartam Seſſionem magna tum generatim de Synodi Oecumenicae ſupra Romanum Pontificem poteſtate, tum ſpeciatim de his verbis: Et ad reformationem generalem Eccleſiae Dei in Capite & in membris; *inter Cardinales atque Nationes diſſenſio ac diſceptatio fuit.*

ANte quartam Synodi Conſtantienſis Seſsionem graves interceſsiſſe inter Nationes & Cardinales ſimultates atque diſceptationes, nec ipſi Adverſarii diffiteri audent. At eas concertationes vel ad Concilii generalis ſupra Romanum Pontificem auctoritatem & poteſtatem, vel ad ea verba ex primo Decreto expungenda, aliave dogmatica, ut vocant, Decreta in proxima Seſsione publicanda pertinuiſſe, Maimbourg, Nat. Alex. Antonius Arnaldus, & quod magis mirere, ipſe etiam Auctor Anonymus conſtantiſsime negant. Solum autem referendas eſſe contendunt ad Capitula quaedam atque Decreta, quae in Johannem XXIII. in Nationum Congregationibus parata fuerant,& quae ipſae Nationes in proxima ſollenni Seſsione edi omnino ac publicari volebant: contra vero Cardinales vehementiſsime inſtabant, ut eorum aliquantiſper publicatio differretur. At Schelſtratus de ipſis quoque (ſi ita loqui fas eſt) dogmaticis Capitulis diſceptatum fuiſſe, invicte demonſtrat, eique Maimbourg, & Nat. Alex. ex parte conſentiunt. Quamquam enim in illis verbis; *Ad reformationem generalem &c.* a primo Capitulo expungendis, vel in eo retinendis, diſputationem poſitam fuiſſe negant: non abnuunt tamen acriter diſceptatum fuiſſe de Capitulis ac Decretis, quibus de Summi Pontificis punitione ſtatuebatur,ſi hujus ſacri Concilii generalis, & cujuſcumque alterius legitime congregati mandatis ac ſanctionibus parere nollet. Imo de his Capitulis in hac Seſsione omittendis tandem Nationibus cum Cardinalibus, ſequeſtre Caeſare conveniſſe, iidem Auctores conſentiunt. Id tamen Anonymus Auctor, & Antonius Arnaldus praefracte negant, atque hic potiſsimum eo animi aeſtu & impotentia, atque ea verborum acerbitate, quae Virum ingenuum & eruditum maxime dedeceat. Cujus rei aliquod hîc ſpecimen exhibebo, ut vel hinc hominis ingenium poſsis agnoſcere [a]: qui quum res certas atque conſtantes, ac praeclaris

(a) Il y abuſe toujours de l'autorité de ſes Manuſcrits..... Il ne faut pour être convaincu ou de ſon peu d'exactitude, ou de ſon peu de bonne foi, qu'écouter ce que diſent ſes Manuſcrits..... c'eſt une abſurdité viſible de ſuppoſer, comme fait M. de Schelſtrate, que ce que vouloient les Cardinaux regardoit les decrets dogmatiques dont il ne s'agiſſoit point du tout dans cette conteſtation.... J'ai dit que c'eſt le comble de la hardieſſe, & je le dis encore. Eſt-ce donc qu'il n'y a qu'a debiter ſes ſonges & ſes reveries pour des veritez?..... Cependant comme ſi M. de Schelſtrate avoit une revelation de Dieu de ce qu'il ne trouve nulle part que dans ſa tête, il nous dit hardiment &c. Mais ce que paſſe tout ce qu' on peut dire en matiere de hardieſſe, eſt que n'ajant fait autre choſe dans la pag. 42. de ſa Diſſertation, que de tirer ces vaines & ridicules inductions &c..... C'eſt donc contre toutes les regles du bon ſens, que Monſieur de Schelſtrate veur

claris monumentis ac teſtimoniis innixas, leviſsimis fretus conjecturis, aggrederetur; eo tamen impetu in Adverſarium irrueret; perinde atque ninihil hic niſi abſurda & inania commenta, ludibria, ſomnia, viſiones & fabulas ſingulis paginis venditaret; ac non ferenda temeritate tum publicam fidem tum communis ſenſus notiones, rectique judicii ac rationis regulas immaniter violaret. At nullibi, ut ſpero, luculentius patebit, ejuſmodi Auctores tum ſe ſe maxime efferre, & intolerandam fiduciam prae ſe ferre, Adverſarioſque ſuos deſpicere, & conviciis ac ſibilis conſectari, quum omnino rationibus deſtituuntur. Quod ſane artificium bonis quidem Viris, & horumce librorum lectioni minime adſuetis quandoque imponere poteſt: ſed qui eorum mores & artes apprime norunt, has facile eludunt, & in eorum caput detorquent. Itaque diſceptationem, quae ante quartam Seſsionem inter Nationes & Cardinales interceſſit, ad Capitula dogmatica de Concilii generalis in Romanum Pontificem poteſtate, vel ad clauſulam *de reformatione in Capite & membris*, primo Capitulo decreto Nationum inſertam, referre; Arnaldo Auctore, fabula eſt, ſomnium eſt atque commentum, quod omnem ſuperat abſurditatem. Nobis autem Auctoribus, haec certa & explorata veritas eſt: quam non inanibus verbis, & contumeliis, ſed ſolidis rationibus ac momentis adſerere & vindicare aggredimur.

Quum die 21. Martii Johannes XXIII. Conſtantia clam elapſus Schafhuſen aufugiſſet, aliquot Cardinales ſtatim obmurmurare, ob ejus abſentiam ſolutum eſſe Concilium, nec jam Synodi generalis nomine cohoneſtandum, ſed pro *Conciliabulo* habendum. Id enim poſtmodum in ſexta Seſſione publico Scripto illis objectum (a): *Aliqui eorum, qui hîc remanſerunt, publice aſſeruerunt, quod per receſſum dicti Dom. Johannis talem qualem e Conſtantia, diſſolutum fuerit dictum Concilium, ita quod ex tunc non fuerit Concilium, ſed Conciliabulum*. Quod ſane difficile conciliatur cum doctrina Pariſienſium de Synodi Oecumenicae in Romanum Pontificem poteſtate. Hujus namque opinionis, uti ſuperius animadvertimus, conſectarium eſt, quod nequaquam e ſimplici Pontificis voluntate, ejuſve praeſentia vel abſentia Concilii generalis ſors ac fortuna pendeat.

Ad hos ergo de Romani Pontificis auctoritate e quorumdam Cardinalium animis evellendos ſenſus, antequam tres ex eorum Collegio ad Pontificem deſtinati Conſtatia diſcederent, juſſus eſt Gerſon ſollennem habere Orationem de Concilii & Pontificis poteſtate. Ad quam a Caeſare & Nationum Deputatis invitati Cardinales, adeſſe renuerunt. Non enim decebat, inquit he-

veur que ces mots indeterminès, de *Capitula praelibata*, ſe rapportent au dogme de la ſuperiorité du Concile au deſſus du Pape .... Qui ne voit donc que rien, n'eſt plus mal couſu l'un à l'autre, que les fauſſes ſuppoſitions du Diſſertateur? .... C'eſt une viſion ridicule de M. de Schelſtrate ..... Et qui s'étonnera de trouver des fictions dans ces Manuſcrits obſcurs, puiſque M. de Schelſtrate n'a pas fait difficulté d'en remplir ſon livre? Ubi ſup. Capite XIII. pag. 239. & ſeqq.

(a) Ap. Von. der Hardt. Tom. 2. Par. XIII. cap. I. pag. 286.

heterodoxus Hiſtoricus [a], eos talem ſermonem audire, qui grave & Pontificis & Romanae Sedis auctoritati vulnus inflicturus erat. Quamobrem quum ſtatim poſt peracta ſacra Caeſar [b] Gerſonianam Orationem legendam Cardinalibus obtuliſſet; eam rurſus velut (c) *in abrogationem juriſdictionis Apoſtolicae* concinnatam, conſtanter intelligere recuſarunt. Haec Gerſonis Oratio, inquit idem Hiſtoricus (d), origo fuit celeberrimae diſputationis, quae tum magno animorum aeſtu, & Conſtantiae & Schafhuſae tractata eſt, quaequae adhuc terminari non potuit; quibuſdam etiamnum propugnantibus, quemadmodum id temporis Cardinales, Pontificem ſuperiorem eſſe Concilio; aliis autem Concilium ſuperius eſſe Pontifice, ut in illa Oratione Gerſon.

Quae Conſtantiae agebantur, Pontificem Schafhuſae agentem minime latebant. Quamobrem de habita per Gerſonem Oratione, & de plauſu, quo ab Imperatore & Nationibus excepta fuerat, acceptis nuntiis; graviter de hac re cum Galliae Legatis, a Synodo ad eum miſſis, expoſtulavit. Statimque eadem ipſa die omnes ad ſe Curiae ſuae Miniſtros, cujuſcumque dignitatis eſſent, tam Eccleſiaſticos quam ſeculares, qui ad hanc diem Conſtantiae ſubſtiterant, graviſſimis litteris, poena etiam excommunicationis propoſita, evocavit. Quibus permoti litteris ſeptem Cardinales, Alamanus Piſanus, Branda, Chalanco, Lauſanenſis, Brancatius, Barenſis, & Tricaricenſis ſequenti die, *inſalutato hoſpite*, ut ait Cerretanus, ac relicta Synodo Schafhuſen ad Pontificem abierunt. Hoc rurſus argumento eſt, quod Pontificem Concilio ſuperiorem habebant. Qui enim ſecus exiſtimabant, eorum judicio fas Pontifici non erat, a Synodo Eccleſiae Miniſtros abducere. Quod & in ſequentibus Seſſionibus ſancitum eſt. Hinc ille Cardinalium ad nutum Pontificis e Concilio diſceſſus valde eos Patribus ſuſpectos reddidit, quod & Johannis fugam probarent, cumeoque in Concilii diſſolutionem occulte colluderent: eaque ſuſpicio illos etiam Cardinales adflavit, vel qui deinceps reverſi ſunt. Quo factum eſt, ut Concilii deliberationibus, de rebus in proxima Seſſione pro Concilii integritate, auctoritate atque vigore definiendis & conficiendis, iidem Cardinales nequaquam adſciſcerentur. *Quod Concilii inſtitutum*, inquit Actorum Editor (e), *haud brevi duravit tempore, poſtquam in dies magis magiſque ſuſpecti habiti Cardinales ex publi-*

(a) La bienſeance ne leur permettoit pas d'aller entendre un diſcours, qui ne pouvoit être que fort deſavantageux au Pape, & où l'on ne manqueroit pas de donner quelque atteinte a l'autorité du Siege de Rome. Lenf. liv. I. n. III.

(b) Von der Hardt. Tom.IV. Par.III. cap. I pag. 65.

(c) Cerretan.ap.Von.der. Hardt.ibid.

(d) Ce fut .... l'origine d'une grande controverſe, qui fut alors agitée avec beaucoup de chaleur tant à Conſtance qu'à Schafhouſe, & qui n'a pû même être terminée juſq'à preſent, les uns ſoutenant encore, comme faiſoient alors les Cardinaux, que le Pape eſt ſuperieur au Concile, & les autres que le Concile eſt Superieur au Pape comme fait ici Gerſon.

(e) Tom.IV.Par.III.pag. 69. & 70.

publicis de diſſoluto Concilio effatis, & *acrioribus diſputationibus ſecutis*. Nam ut idem admonet, & ex Actis conſtat, decreta in Nationum Congregationibus, remotis Cardinalibus, conficiebantur. Quae litteris conſignata, & repetita, vix ante ſollennem ſeſſionem eiſdem purpuratis Patribus exhibebantur, non ut de illis deliberarent; non enim ſat temporis ſuppetebat; ſed ut ea ſimpliciter perlegerent, antequam publice praelegerentur, ac totius Concilii auctoritate definirentur. Quod illi indigne ferentes; ac praeſertim quod poſt abſentiam Papae Conſtantienſem conventum adhuc pro generali Synodo haberent; proximae ſeſſioni, quae poſt Johannis fugam prima futura erat, adeſſe fere omnes recuſarunt. Soli enim Cameracenſis & Florentinus adfuerunt; ea ſpe ducti, fore ut edenda Decreta Pontifex adprobaret; eoque, ut videtur, adhibito temperamento, ut non ſe interim Synodus abſolute Concilium generale inſcriberet; ſed, quae generale Concilium nuncupatur. Hunc enim in praeſenti Seſſione, in Codicibus Brunſvicenſi, Wolfenbutelenſi, Lipſienſi, Gothano, ac duobus Vindobonenſibus Elſtravviano, & Dorriano, nec non apud Bzovium, Synodus titulum uſurpavit: *Haec Sancta Synodus generale Concilium Conſtantienſe nuncupata*. Quod caſu factum non eſſe, ſed ne Cardinales alio titulo adſcito gravius offenderentur, & ad eorum invidiam declinandam, ſaepe memoratus Concilii Hiſtoricus animadvertit (*a*).

Sed quo erga Synodum & Pontificem Cardinales animo eſſent, & quae illis de utriuſque auctoritate haereret opinio, ex eorum ſequentibus cum Nationibus Diſceptationibus & actis, luculentius patebit. Imprimis enim hac ipſa die 26. Martii, qua ſeſſio habita eſt, aliquot Cardinales Schafhuſa Conſtantiam reduces cum Deputatis Nationum coram Imperatore congreſſi, palam eis denuntiarunt, Synodum velut jam ſolutam ob abſentiam Pontificis eſſe habendam, & hunc Synodo ſuperiorem eſſe. Quod praeter Schelſtratum, Jacobus quoque Lenfant litteris conſignavit (*b*): Nec omnino diſſentit Actorum Editor, quum ait (*c*), quod *ſcintillae litium hac veſpera per reduces Cardinales in Congregatione ſparſae, in flammas erupere diebus ſequentibus*. Quibus, ut idem fuſo calamo narrat, acerrime de hoc argumento diſceptatum eſt. Nec verbis modo, ſed actis quoque ſuam Cardinales mentem aperuerunt. Nam Papale decretum, quo Curiae Miniſtri feralibus poenis intentatis, ad certum diem Schafhuſam evocabantur, dum ea Congregatio haberetur, ipſis, ut creditum eſt, Cardinalibus conſentientibus, publice Conſtantiae propoſitum eſt. Quae res graviter Caeſarem & Nationes offendit. Quare ut ſine exitu ullo, ita non ſine magna animorum commotione Congregatio ſoluta eſt (*d*): *Et ſuſcitato*, inquit Nie-

(*a*) Ubi ſup. num. VIII.

(*b*) Ces Cardinaux ſoutinrent dans cette Congregation, que le Concile devoit être regardé comme diſſous par l'abſence du Pape, & que le Pape étoit au deſſus du Concile. Ibid. num. IX.

(*c*) Tom. IV. Par. III. pag. 75.

(*d*) Cet incident, joint à leur prétention

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Niemus (a) *majori clamore contra eos, ipſi Domini Cardinales, inſalutato hoſpite, abierunt.* Quae tamen quamquam Schelſtratus & Jacobus Lenfant ad Congregationem hujus diei referunt, attamen congruentius ad ſequentem diem Actorum Editor referre videtur (b) his fretus Niemi verbis, quorum & laudati Scriptores auctoritate nituntur (c): *Sed in bona quarta feria redierunt huc ſcilicet ad Conſtantiam de Schafhuſen quatuor Cardinales. Et illa die* (27. Menſis Martii) *fuit Congregatio illorum, qui erant de Concilio, & interfuit Rex ipſe. Et illuc acceſſerunt ſex Cardinales, & ample multum locuti fuerunt contra ipſum Concilium, ſcilicet quod diſſolutum eſſet propter abſentiam & receſſum dicti Balthaſaris. Et eis reſponſum fuit acriter per plures de ipſo Concilio Viros magnae auctoritatis & ſcientificos, ſcilicet quod Papa non eſſet ſupra Concilium, ſed eſſet ſub Concilio. Et facta illic contentio magna hinc inde*. Statimque ſubjicit, & eidem Congregationi adnectit quod de Papali Programmate dictum eſt; quo nimirum Conſtantiae publice adfixo Schafhuſam Curiales evocabantur. Quae turbae etiam in diei ſequentis Congregatione recruduerunt, propter adfixum novum Papale Programma, quo citatio Curialium in aliquot dies ipſius auctoritate Pontificis differebatur: *Per hoc*, inquit idem Niemus [d], *reddentes ſe Concilio hujuſmodi magis ſuſpectos.* Ac ſtatim ſubjungit: Quod *ipſi Cardinales ultimo quod ratione non potuerunt illic, tunc clamoribus defendere voluerunt.* Qui Cardinalium aeſtus & clamores, Schelſtrato, Jacobo Lenfant (e) & Actorum Collectore [f] Auctoribus tum ad eaſdem quaeſtiones de ſoluto aut diſolvendo Concilio ejuſque integritate & auctoritate ſpectabant; tum etiam eo pertinebant, ut ſeſſio publica differretur, qua plenius & efficacius ejuſdem Concilii auctoritas adſerenda erat. Cardinalibus conjunctam fuiſſe in hiſce diſputationibus Italicam Nationem, idem Concilii Hiſtoricus animadvertit [g] Quare in ſequenti Nationum Congregatione, ut idem (h) & Actorum Editor [i] obſervant, eadem Italica Natio minime comparuit. Ac proinde nulla ratio erat, cur tantopere quatuor Nationum conſenſum Arnaldus jactaret (k) in iis videlicet Decretis concinnandis, de quibus jam nobis diſſerendum eſt.

Statuta igitur adverſus Cardinalium & Italicae Nationis vota in diem 30. Martii publica ſeſſione, Imperator die 29. Nationes congregavit, ut de Articulis ſequenti die ſollenniter publi-

bli-

tion *de la ſuperiorité du Pape ſur le Concile*, qui fut contredite avec beaucoup de chaleur, fut cauſe qu'on ſe ſepara ſans rien conclure, mais non ſans beaucoup d'aigreur. Ibid ſub fin.

(a) Lib.II.de Vit.Joh.XXIII.cap.IX.
(b) Tom.IV.Par.III pag.76. & ſeqq.
(c) Ubi ſup. cap. VIII.
(d) Ibid. cap. IX.
(e) Ubi ſup. pag. 79.
(f) Ubi ſup. num. XI.

(g) Les trois Nations, qui ſe ſentoient appuyées par l'Empereur, ne parlerent pas moins haut que les Cardinaux *& les Italiens*, & firent tant par leurs inſtances, que la ſeſſion fut réſolute pour le 30. de Mars Ibid.

(h) La Nation Italienne ne paroît point dans cette Congregation. Ibid. ad num. XI.

(i) Ubi ſup. pag. 82.
(k) Ubi ſup. pag. 247. & ſeq.

blicandis deliberarent. Tres tantum Nationes adfuerunt, Germanica, Gallicana, & Anglicana, Italica, quae Cardinalibus adhaeſerat minime comparente. Porro Articuli, de quibus invicem convenerunt, at quorum publicationi conſtanter, ut mox videbimus, Cardinales interceſſerunt, ad haec capita revocantur.

1. Huic Synodo, in Spiritu Sancto legitime congregatae, ipſum quoque Pontificem eſſe ſubjectum, in his quae pertinent ad fidem & extirpationem praeſentis ſchiſmatis & Eccleſiae reformationem in Capite, & in membris.

2. Quod ipſe etiam Romanus Pontifex cogi poſſit, ſi hujus & cujuſcumque alterius Concilii generalis mandatis obedire contumaciter contemſerit.

3. Fugam Pontificis ſcandalo Eccleſiae fuiſſe; ſe ſeque adeo, niſi reſipiſceret, ſchiſmatis & haereſeos vehementer ſuſpectum reddidiſſe.

4. Et Johanni & aliis Concilii membris plenam fuiſſe libertatem, adſtruebatur.

Statim atque haec Decreta Cardinalibus coram Caeſare congregatis communicata ſunt, petierunt, inquit Hiſtoricus (a), ut ex primo poſtrema illa verba expungerentur; *ad Eccleſiae reformationem in Capite, & in membris*: „ parce qu'ils ne croyoient „ pas que le Pape fut obligé d'obeïr „ au Concile dans ce point. At potiſſimum, ut idem ſubjungit, inſtiterunt, ut tres ſequentes articuli; nimirum & ſecundus, quo Pontifex poteſtati Synodi coactivae ſubjiciebatur; & tertius, quo ſchiſmatis & haereſeos poſtulabatur; & quartus, quo plenam ei ſemper fuiſſe libertatem declarabatur; omnino ſupprimerentur. Eademque & Actorum Editor ſequentibus verbis teſtatur (b): „ Omitti vero „ aut deleri voluerant Cardinales, „ praeter verba primi articuli, *de re-* „ *formatione in Capite & in membris*, „ integros alios articulos *de poena in* „ *Pontificem Concilio inobedientem*, „ *ejuſque ſequaces ſtatuenda*: ut & *de* „ *ignominioſa Johannis Papae fuga a* „ *Concilio*: nec non *de libertate & ſe-* „ *curitate in Concilio Johanni Papae*, „ *& ceteris Concilii Patribus curata* „ *praeſtita*. Quae omnia hoc die Cardinalibus ſunt denegata. Quae omnia laudati Scriptores ex Actis conſtare judicant a Schelſtrato vulgatis, quibus, ut vidimus, Arnaldus tum omnem auctoritatem abrogare conatur, tum ex eis nullo pacto confici exiſtimat, eas adverſus Nationes Cardinalium diſputationes ad Decreta dogmatica eſſe referendas, ſed ad ea tantum, quae Johannis perſonam, ejuſque e Synodo fugam reſpiciebant. Verum & integram Actis conſtare fidem atque auctoritatem, & de ipſis quoque Dogmaticis Decretis diſceptatum inter Nationes & Cardinales fuiſſe; tum ex dictis patere credimus, tum ex ſequenti §. extra omnem controverſiam poſitum eſſe conſtabit.

§. III.

(a) Ubi ſup. num. XIII.

(b) Ubi ſup. pag. 81.

§. III.

Verba iſta; Ad reformationem generalem in Capite & in membris; *Cardinalis Florentinus reapſe in publica Seſſione non legit. An ea omiſerit, conſentientibus aut refragantibus Nationibus, ſedulo ac diligenter inquiritur.*

CArdinalem Florentinum, cui decretorum publica lectio demandata eſt, hanc *de generali reformatione in Capite & membris*, clauſulam ſilentio praeteriiſſe; probaverat imprimis Schelſtratus (*a*) hac nota, quam poſt haec Decreti verba, *ad fidem, & ad extirpationem dicti ſchiſmatis*, in uno e Vaticanis Codicibus Conſtantienſis Synodi geſta continentibus adjunctam reperit: *Iſte* (nimirum articulus) *imperfecte fuit factus, ut ſequitur, ideo ſuppletur in ſeſſione ſequenti*. Antonius Arnaldus: qui prae ſuis conjecturis, quas, ut ſaepe diximus, pro totidem demonſtrationibus venditat (*b*), MSS. Codicum fidem nihili habendam eſſe pronuntiat: Schelſtrato graviter indignatur, quod rudis & ineruditi Amanuenſis barbaram notam produxerit ad omnium Editionum labefactandam fidem, quae hoc ſeſſionis IV. Decretum cum ea clauſula repraeſentant. At nota illa, ut ut barbara & inconcinna, exploratiſſimam continet veritatem, quae ab Actorum Collectore (*c*), & Jacobo Lenfant (*d*) ſequentibus argumentis invicte confirmatur. 1. Conſentit plane cum Vaticani Codicis Nota hoc breve proemium, quod articulo, de quo nunc agimus, in Codice Eſtravviano Vindobonenſi praemititur: *Et Cardinalis Florentinus, videlicet Dominus Franciſcus Zabarellis, pronunciavit articulos infraſcriptos, aliqualiter propter importunitatem Cardinalium detruncatos, in haec verba*. Subjungiturque Decretum notiſſima illa clauſula mutilatum. Porro ſequenti Seſſioni haec in eodem Codice adpingitur epigraphe: *Seſſio tertia* (a fuga Papae) *Epiſcopus Boſonienſis* [Poſnanienſis] *de mandato Concilii articulos infraſcriptos, & aliquos reformatorios articulorum praecedentium ſecundae ſeſſionis* (a fuga Papae, alias quartae) *quoad articulos, propter importunitatem Cardinalium pro tunc omiſſos, pronunciavit*.

Secundo, quum Cardinales forte perſpicerent, aegre ferre Nationes, quod Cardinalis Florentinus inter legendum ſtatutos articulos detruncaſſet; quum varia pro urgenda celerius unione Synodo promiſſa feciſſent; & ipſi viciſ-

(*a*) Diſſert. I. cap. II.

(*b*) Cela eſt *demonſtratif*, & on ne doit pas ſeulement écouter contre une preuve ſi convaincante la conjecture incertaine que tire M. de Schelſtrate d'une note fort barbare & preſque inintelligibile qu'il dit avoir trouvée dans un de ſes MSS. aprés ces mots: *Ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis* . . . . . . Pour y trouver du ſens, il a mis, *articulus*, aprés, *iſte*: mais il ne nous dit point à quoi ſe rapporte, *ut ſequitur*. N'eſt-ce donc pas une honte de vouloir que nous nous arretions à ce qu'un Copiſte ignorant a marqué dans ſon livre, où il n'y a rien de ſpecifié, & que ſur cela nous prenions pour faux ce qui ſe trouve dans toutes les editions d'un Concile general, & ce que je vien de faire voir qui s'y doit neceſſairement trouver. Capite X. pag. 191.

(*c*) Ubi ſup. pag. 87. & ſeqq.

(*d*) Ubi ſup. num. XVI.

viciſſim a Synodo petierunt, ut ea de Synodi & Pontificis auctoritate controverſia paullisper ſeponeretur, ob graves quibus implicabatur difficultates: *Videtur attendendum circa praedicta, quae directe reſpiciunt ad unionem Eccleſiae, ſuſpenſis ad tempus aliis materiis, quae habent magnas difficultates, & maturam exigunt deliberationem.* Quae ex tribus Codicibus MSS. Regeſtum Synodi continentibus Schelſtratus eruit (*a*).

Tertio, ex iiſdem aliiſque quatuor Codicibus idem Schelſtratus profert, de hac omiſſione cum Cardinali Florentino per quoſdam e ſuis conqueſtas eſſe Nationes, & poſt aliqualem cum eodem Cardinali diſputationem conſtitutum fuiſſe, ut omnia Decreta, cujuſmodi primitùm fuerant per eaſdem Nationes confecta, in ſequenti ſeſsione publicarentur (*b*): *Fuit per Cardinalem Florentinum ſuper hoc cum aliquibus Deputatis aliqualiter diſputatum. Finaliter Concilium voluit ex integro dictas diffinitiones ad longum iterum in alia ſeſſione pronuntiari.* Et alibi idem Auctor ex iiſdem Regeſti Codicibus prodit (*c*), quod poſt illam cum Cardinali Florentino diſputationem Deputati Nationum die 2. Aprilis inter alia multa ſtatuerunt, *quod proxima Seſſione omnes articuli & clauſulae concordatae per Nationes, in ultima ſeſſione praetermiſſae, expediantur.* Non ergo unius tantum, ut ait Arnaldus, imperiti Scriptoris barbara nota hoc factum nititur, ſed in illud quoque alii Vaticani Codices mire conſentiunt: quibus ne temere, quoniam Vaticani ſunt, fidem Adverſarii detrahant, conſentit & Vindobonenſis Codex, a Nicolao Elſtravv Conſiliario quondam Auſtriaco exaratus, qui Actis ipſis interfuit.

Quarto, Benedictus Gentianus Pariſienſis Academiae ad Synodum Legatus publico ſcripto, quod id temporis Concilii Patribus obtulit, quodque ex duplici antiquiſsimo Codice Vindobonenſi Actorum Editor in lucem emiſit [*d*], hoc nomine in eumdem Cardinalem Florentinum ſequentibus verbis invectus eſt: *Animadvertite, qualiter iſte Rev. Florentinus ſchedulam, in quam Nationes concordaverunt, in iſta ultima ſeſſione, ſcilicet penultima Martii, ſuorum fretus Conſilio ſociorum & fautorum, detruncavit & decurtavit; deludendo & vilipendendo hanc ſacram Congregationem; in qua talia praeſumentes, non ſunt digni ut amodo admittantur.*

Quinto, Gobelinus Perſona Decanus Bilsfeldienſis & Officialis Paderbornenſis, qui Martini V. anno primo ſuum, ut ipſe monet, abſolvit Opus, quique adeo in ipſa Germania Conſtantienſis Synodi acta ſtatim atque vulgabantur, ea litteris conſignabat; hoc idem, quo de nunc agimus, facinus Poſterorum memoriae his verbis commendavit (*e*): *Penultima die Martii, quae fuit vigilia Paſchae, fuerunt pronuntiati quidam articuli per unum de Cardinalibus minus ſufficienter: quapropter ſexta die Menſis Aprilis iidem Arti-*

(*a*) Acta Conc. Conſt. pag. 230.
(*b*) Ibid. pag. 231.
(*c*) Comp Chronolog. pag. XLI.
(*d*) Tom. II. Par. XII. pag. 181.
(*e*) Coſmodrom. Art. VI. capite XCIV.

Articuli per unum alium de Concilio, *Rege praeſente*, *pronuntiati ſunt reformati*,

Sexto, hic tandem articulus, inquit Jacobus Lenfant, fuit reapſe in quinta ſeſſione in eam formam inſtauratus, qua primum 29. Martii fuerat in Nationum congregatione conceptus. Quod argumentum Schelſtratus pluribus urget atque confirmat: Quod ſi plura (*D. Maimbourg*) deſideret, erit, inquit [a], quo abunde ei ſatisfiat: Concilium enim Baſileenſe, cujus auctoritatem tanti facit, refert ex Geſtis Conſtantienſis Concilii (*b*), quod *ob diverſas opiniones de poteſtate Concilii generalis in his*, *quae pertinent ad reformationem Eccleſiae*, *ſuper prima definitione praeſcriptus fuerat omiſſus articulus de hoc faciens mentionem*, *& ſequens*, *qui ex primo dependet*. Quid clarius? Quid manifeſtius? Quid in rem noſtram expreſsius ſcribi vel afferri potuit? Probavimus ex MS. Codice, & Gobelino Perſona, in Decreto primo Seſsionis IV. non reperiri clauſulam *de reformatione*. Geſta ipſius Conſtantienſis Synodi teſtantur, id mirum videri non debere, quia ob varias opiniones de auctoritate Concilii circa reformationem Eccleſiae ſeſsione IV. *ſuper prima definitione praeſcriptus fuerat omiſſus articulus de hoc facens mentionem*: adduntque, ob omiſſum Seſsione IV. articulum illum, Decretum ex integro in alia ſeſsione pronuntiatum fuiſſe. Quod & omnino dicendum eſſet, licet ex teſtimoniis a nobis allatis minime conſtaret. Cur enim Decretum illud Seſsione V. repetitum fuiſſet, ſi illi nihil omnino Seſsione IV. defuiſſet?

Denique, ut ſaepe citati Jacobus Lenfant, & Actorum Editor (*c*) obſervant, hinc facile conciliatur MSS. Codicum diſcrepantia. Nam Romani, Germanique Codices, & aliquot Galli articulos proferunt cujuſmodi reapſe per Cardinalem Florentinum pronuntiati in publica ſeſsione fuerunt. At Codices Victorini, qui ut Adverſarii teſtantur, Excerpta continent, quae ex ipſo Conſtantienſi Concilio a Praeſulibus Theologiſque Nationis Gallicanae Pariſios mittebantur, eoſdem articulos exhibent, cujuſmodi in Nationum Congregatione formati & praeſcripti fuerant. Fieri namque potuit, ut excerpta illa, antequam ſeſsio haberetur, Pariſios dirigerentur: Indeque fortaſſe contigit, ut laudata Decreta aliter in iis Codicibus ederentur, quam a Synodi Notariis, aliiſque qui rebus geſtis interfuerunt, edita ſunt.

Ea eſt ejuſmodi momentorum vis ac perſpicuitas, ut neminem deinceps futurum exiſtimemus, qui non jactatas Arnaldo demonſtrationes irrideat, & qui non facile intelligat, quam temere ille ſuis conjecturis Vaticanorum Codicum, quos nunquam viderat, auctoritatem & fidem ſollicitarit. Nam quod jactat, mirum fuiſſe Cardinalium & Nationum circa dogmatica Decreta conſenſum, ac potiſsimum a veri ſimilitudine abludere (*d*), Cardinalem Florentinum, qui vel ab ipſo Bellarmino inter Auctores recenſetur, qui Concilii Oecumenici poteſtatem ſupra

(*a*) Diſſert. I. cap. II. pag. 44.

(*b*) Citat. in margine *Regeſtum Actorum Baſileenſium ex Geſtis Conſtantienſis Concilii huc uſque ineditis*.

(*c*) Tom. VI. pag XII.

(*d*) Arnald. cap. XI. pag. 209. & ſeqq.

ſupra Romani Pontificis auctoritatem extollunt, articulos huic opinioni faventes mutilare ac ſupprimere voluiſſe; quanti ſit habendum, ex dictis perſpicue conſtat: quum miro tum veterum Codicum & actorum, tum coaevorum Scriptorum concentu pateat, quod fieri non potuiſſe Arnaldus judicat, id reapſe contigiſſe; nimirum Cardinalem Florentinum ea Decreta, aliis ſuadentibus, ac pene cogentibus Cardinalibus, vel omnino praeteriiſſe, vel ea *de reformatione* clauſula multaſſe.

Hinc etiam facile ſolvitur quod velut achilleum ac decretorium, tum idem Arnaldus (*a*), tum Boſſuetius (*b*), & alii proferunt: nimirum eam clauſulam, ſi decreti prooemium ſpectetur, ad ejus integritatem omnino deſiderari. Hinc enim ſolum efficitur, articulum ex decreto Nationum legi cum ea clauſula debuiſſe, at non reapſe lectum fuiſſe, ejus publicationi conſtanter intercedentibus Cardinalibus. Unde gravis oritur dubitatio, an ipſae quoque Nationes in ejus tandem omiſſionem conſenſerint. Si enim conſenſiſſent, quidni & prooemium, quod eam clauſulam poſtulat, reformaſſent? Cur & conqueſtae fuiſſent, & eam omiſſionem Cardinali Florentino tam acriter exprobaſſent? Cur denique in proxima Seſſione omnino inſtaurari articulos voluiſſent? At contra conſenſiſſe tandem ea de re cum Cardinalibus Nationes, ex MSS. Codicibus colligere ſibi Schelſtratus videtur: in quibus ſcilicet legit, mediante Rege Romanorum *adhibitum fuiſſe quoddam moderamen in expediendis in illa Seſſione*: Quod ille ita interpretatur (*c*), ut inter cetera Decreta omitteretur ſecundum de poteſtate coactiva Concilii, & in primo Decreto nulla mentio fieret de reformatione Eccleſiae. Cui profecto interpretationi plurimum favere videntur, quae ex aliis Codicibus profert (*d*); nimirum quod paratis omnibus ad celebrandam ſeſſionem, *habita fuit non modica diſceptatio inter D. Regem, DD. Cardinales, & Deputatos Nationum ſuper Capitulis praelibatis: & tandem Divino Flamine inſpirante, in unam ſententiam convenerunt, quod tantum Capitula infraſcripta in dicta ſeſſione ſtatuerentur. Fuit ergo dicta ſeſſio de conſenſu & voluntate D. Regis, & omnium DD. Cardinalium in Conſtantia exiſtentium, quatuor Nationum, & Oratorum Regum & Principum celebrata*. Ac ſubjungitur, quod Cardinalis Florentinus, *ſacro Conſtantienſi approbante Concilio, legit Capitula infraſcripta*: inter quae neque ſecundum de poteſtate Synodi in Pontificem coactiva locum habet, & in primo omittitur clauſula de reformatione in capite & membris. Quae proinde omiſſa videntur, ipſis quoque & Caeſare & Nationibus conſentientibus.

Quod pertinet ad ſecundum Decretum, Ludovicus Maimbourg & Nat. Alexand. facile conſentiunt, illud fuiſſe ex Nationum conſenſu praetermiſ-

(*a*) Cap. X. pag. 189. & ſeqq.
(*b*) Cap. ſeq.
(*c*) Comp. chron. pag. XI. ex 4. Codd. Geſt. Conc. Conſt. contin.
(*d*) Acta Protonot. ex 3. Codd. MSS. pag. 225.

ſum, quoniam neque in ullis Codicibus neque in vulgatis editionibus legitur. At contra, clauſulam de reformatione in capite & membris, ipſis quoque conſentientibus Cardinalibus, lectam fuiſſe contendunt, quoniam illam, ut ipſi teſtantur, & in Codicibus Gallicanis, & in vulgatis Editionibus repererunt. Porro ita ut ſequitur ſeſe rem habuiſſe, laudatus Maimbourg conjectura auguratur. Primum Seſſionis IV. Decretum quatuor, ipſius judicio, articulos ſeu membra complectebatur. 1. An Synodus immediate a Chriſto poteſtatem haberet, cui vel ab ipſo Pontifice parendum eſſet in iis, quae ad fidem & extirpationem ſchiſmatis pertinerent. 2. An addendum eſſet, in iis etiam quae pertinent ad Eccleſiae in capite & membris reformationem. 3. An Pontifex parere detrectans, ad obediendum a Synodo cogi poſſet inflictione poenarum. 4. An auctoritas, quae Conſtantienſi Synodo tempore ſchiſmatis coactae vindicabatur, cuilibet alteri Synodo communis eſſet. Ait ergo, quod de primo nulla Cardinalibus cum Nationibus diſſenſio fuit; adeoque tota controverſia in tribus aliis articulis verſabatur: quae, ſequeſtre Caeſare, ita compoſita eſt, ut in decreto duo tantum priores Articuli retinerentur, duobus poſterioribus ad ſeſſionem proximam reſervatis.

Verum Actorum Conſtantienſis Concilii in Germania Collector (*a*) haec omnia non Nationum nutu & conſenſu, ſed Cardinalium arbitrio & voluntate, invito Caeſare & Nationibus, omiſſa fuiſſe opinatur. Quare poſt longas diſceptationes hoc tandem Cardinalibus datum per Nationes ait „ ut articulum *de Papae Johannis fuga*, „ ob quam *haereticus* in concluſione „ erat appellatus, poenaque dignus „ judicatus, decretis ſuperioribus pu- „ blicandis junctum, hoc die omitti „ concederent. Quem articulum, hoc „ die in ſeſſione quarta cum aliis pro- „ mulgandum, ſuperioris diei Congre- „ gatio generalis ex Vindobonenſi „ Codice exhibet, hoc titulo expreſ- „ ſe addito: *Articulus datus, & ad- „ ditus ad alios articulos pro ſecunda „ ſeſſione* (a fuga Papae Johannis, „ quae eſt ordine quarta.) Praeter „ hunc vero articulum a Nationibus „ indultum qui omitteretur, ſicuti „ non praelectus eſt; in aliis articulis „ quidquam a Nationibus haud muta- „ tum, aut quod mutaretur non con- „ ceſſum. Certa vel verba articuli „ aut decreti primi *de reformatione „ Eccleſiae in capite & in membris*, a „ Nationibus nullo plane modo vo- „ luiſſe omitti, patet ex eventu, „ quando Concilium vehementer of- „ fenſum, dum Cardinalis Zabarella „ in praelegendo illa verba cum aliis „ omiſit; ut non ſolum publicis libel- „ lis Concilium teſtaretur diſſenſum „ & offenſam, ſed & in ſequenti Seſ- „ ſione publice reſtitui illa juberet. Subjungitque, quod in illum gravem articulum in ſecunda Seſſione a fuga, alias quarta publicandum, ſed qui omitteretur, permiſſum, collimabant verba Manuſcriptorum, quae Schelſtratenus allegavit: quaeque jam ex ipſo paullo ſuperius produximus.

Jacobus Lenfant ut horumce Manuſcriptorum fidem cum rebus poſtea ſecutis

(*a*) Tom. IV. pag 84. & ſeqq.

cutis conciliet (*a*), aliquod adhibitum fuiſſe temperamentum, & ipſe agnoſcit: ſed in quo poſitum fuerit ejuſmodi temperamentum, facile judicari non poſſe. Nam ea Cardinalium cum Nationum Deputatis collatio tumultuaria fuit; adeoque fieri facile potuit, ut ſeſe mutuo non ſatis intelligerent: indeque factum, ut & Cardinalis Florentinus ad ea de Reformatione verba perveniens ſubſiſteret, ea praeter communem deliberationem addita adfirmans; & nihilominus hanc ei omiſſionem Nationes acriter exprobrarint. Quod, inquit idem Auctor (*b*) aequitas poſtulat, *qu'on impute plûtôt à quelque mal-entendu procedé des conteſtations du matin, qu'à aucune mauvaiſe foi de part ni d'autre.*

Mihi venit in mentem an haec ita conciliari poſſent; ut Deputati quidem Nationum, qui cum Cardinalibus contulerunt, ſaltem ſubobſcure ac generalibus verbis in eam omiſſionem conſenſerint. Quod quum ipſis Nationibus, quae jam in *Choro* ad celebrandam Seſſionem praeſto aderant, communicari non potuiſſet; hinc earum queſtus & ſubita indignatio, quod non audirent per Cardinalem Florentinum articulum promulgari integrum & cum omnibus clauſulis, quibus illum in communi Congregatione munierant.

Ut ut ſit, ex his tamen quae hactenus diſſeruimus, ratio facile redditur, cur reſecta clauſula *de reformatione in Capite & membris*, Decretum prooemio non omnino reſpondeat. Nimirum ob temporis anguſtiam, quoniam ſtatim poſt illam in Eccleſiae Sacello Cardinalium atque Deputatorum collationem in *Chorum* ad celebrandam ſeſſionem itum eſt, & ne acriores inter Nationes ipſas & Cardinales concertationes, aut graviora ſcandala ſuſcitarentur; articulus legendus Cardinali exhibitus eſt qualis jam fuerat litteris conſignatus, nec facile potuit inter legendum ad eam formam revocari, in qua priora examuſſim poſterioribus reſponderent.

CAPUT V.

„ Schelſtrati, de falſata Seſsione
„ IV. Conſtantienſi fabula confu-
„ tatur: Probitas PP. Baſileen-
„ ſium omnium Scriptorum con-
„ ſenſu aſſeritur: Beati Ludovici
„ Alemandi ejus Coetus Principis
„ eximia ſanctitas.

HOc revera eſt, quod maxime urit Adverſarios, ſcilicet Baſileenſes Patres ab Emmanuele Schelſtrato non ſatis integrae fidei in edendis quartae Seſsionis Conſtantienſis Decretis inſimulatos. Concoquere namque non poſſunt, tanto, ut eum praedicant, Coetui, cui praeerat Ludovicus Alemandus Cardinalis, & in quo aderant Epiſcopi ac Doctores pietatis, ut ajunt, ac doctrinae nomine commendati, tantum facinus imputari. Scilicet Ludovicum Cardinalem Archiepiſcopum Arelatenſem Clemens VII. anno 1527. edito Diplomate ad Praepoſitum & Canonicos Eccleſiae Metropolitanae Arelatenſis, &

Fra-

(*a*) Lib. II. num. XV.
(*b*) Ibid. num. XV.

Fratres Celeſtinos Avenionenſes, eum cum Petro de Luxemburgo Cardinale, Beatis adſcripſit: eoſque pro Beatis coli & venerari poſſe decrevit; *ut qui vitam caelibem, caſtamque & immaculatam egerint, clarique miraculis haberentur*. „ Ut profecto, *ſubjungit Boſſuetius*, tali Viro, & „ quidem tantum facinus nulla ſatisfa- „ ctione purganti, falſitatem impu- „ tare, non modo ſummae temerita- „ tis, ſed etiam manifeſtae impieta- „ tis eſſe conſtet. Quod vero ad alios Epiſcopos ac Doctores „ iis, in- „ quit, tantus Conventus Viris con- „ ſtabat, qui bona fide agerent, mi- „ roque reformandae Eccleſiaſticae „ diſciplinae ſtudio tenerentur ..... „ ut profecto tantos Viros erraſſe bona „ fide, atque ulterius quam oporteat „ ſtudio reformationis abreptos, ſu- „ ſpicari liceat: falſi inſimulare, im- „ pium abſurdumque ſit. Eademque pari confidentia & alii ex Adverſariis objiciunt: perinde atque ipſi quoque doctrina ac pietate excellentes Viri, quum praepoſtero zelo aliiſve turbulentis affectibus in tranſverſum abripiuntur, ad minus decoras artes non aliquando confugiant: aut qui Baſileenſium geſta revolvit; non illud identidem uſurpare cogatur.

Tantum religio potuit ſuadere
malorum.

Igitur ne Schelſtratum optimum Virum & eruditum *ſummae temeritatis, & manifeſtae impietatis* ab Epiſcopo Meldenſi poſtulatum, omnino indefenſum relinquamus, in rationes breviter inquiremus, quibus Baſileenſes reos egit depravatae, in iis quae pertinent ad quartam Seſsionem primumque illius ſeſsionis Decretum, Synodi Conſtantienſis editionis.

ARTICULUS PRIMUS.

Jure ne an injuria Baſileenſium Patrum fidem, in edendo cum ea de Reformatione clauſula quartae Conſtantienſis Concilii Seſſionis primo Decreto Schelſtratus in ſuſpicionem vocaverit?

AD ſollicitandam & in ſuſpicionem vocandam Baſileenſium fidem illud Cl. Schelſtrato incitamento fuit, quod ex Actis a quatuor Protonotariis conſcriptis ſuam Baſileenſes Geſtorum ac Decretorum Synodi Conſtantienſis Epitomen compilarunt. Quum porro tres ipſe nactus fuiſſet antiquiſſimos Codices, ejuſmodi Acta a Protonotariis conſcripta, continentes, ac primum quartae ſeſſionis Decretum ſine illa de Reformatione clauſula repraeſentantes; hinc illi ſuſpicio ſuborta eſt, fuiſſe eam clauſulam laudato Decreto præter MSS. Codicum fidem & auctoritatem inſertam: „ Baſileenſes, „ *inquit Cl. Auctor* (a), uſi ſunt Actis „ a quatuor Protonotariis Conſtantien- „ ſis Synodi collectis, ut in titulo ſuae „ Compilationis ipſimet fatentur: in „ Actis autem, quae ab ipſa Con- „ ſtantienſi Synodo per Protonotarios „ ad id Deputatos collecta fuerunt, „ verba illa deeſſe, ex tribus ejuſdem „ Collectionis MSS. Codicibus pro- „ bavi: neque quidquam, ut puto, „ ad confirmandam rem noſtram ex- „ preſſius dici vel afferri potuit.

Quam-

(a) Diſſert. I. cap. I. pag. 25.

Quamquam autem, ut deinde ſubjungit, vel ſola Acta Protonotariorum Conſtantienſium ſufficere debuiſſent ad Baſileenſium compilationem erroris convincendam; placuit tamen illi & aliorum Codicum adſciſcere auctoritatem, qui pariter & antiquiſſimi ſunt, & in abiiciendis a primo illo quartae Seſſionis Decreto verbis ad reformationem ſpectantibus, cum Protonotariorum Actis concinunt & conſpirant.

At multo vehementius excitatam de Baſileenſis collectionis ſinceritate ſuſpicionem auxiſſet, confirmaviſſetque, MSS. Codicum in Germanicis tunc Bibliothecis deliteſcentium auctoritas, ſi eos luſtrare Viro Cl. licuiſſet. Non enim Pariſiis ex Bibliotheca S. Victoris Baſileenſes ad ſuam Epitomen conficiendam MSS. Codices accerſiverunt, ſed iis uſi ſunt, qui in ipſa Germania praeſto ipſis ac fere prae manibus erant. Ab iis porro Codicibus non modo abſunt verba illa *de reformatione in Capite & in membris*, ubi Decretum primum quartae ſeſſionis exhibent; verum & cur abeſſe debeant, in eis indicia non deſunt.

Profecto, quae ſuperius adduximus teſtimonia, quibus luculentiſsime conſtat, acerrimas fuiſſe de Articulis in quarta ſeſſione promulgandis Cardinalibus cum Nationibus diſceptationes, & Cardinalem Florentinum, ſuis petentibus ac pene cogentibus Collegis, clauſulam de reformatione praeteriiſſe, qui propterea Synodi invidiam ſubierit, cujus deinde juſſu articulus imperfecte promulgatus, in ſequenti ſeſſione inſtauratus ſit; teſtimonia, inquam, quibus haec luculentiſſime demonſtrantur, Baſileenſes Epitomatores latere minime potuerunt. Praeſertim quum rerum in Synodo Conſtantienſi geſtarum recens adhuc eſſet memoria, quum nondum quinque luſtra ab abſoluto Concilio fluxiſſent. Quapropter aut certe fidem eorum ſuſpectam haberi oportere crediderim, aut eos indiligentiae & ignaviae poſtulari. At eos negligentiae coargui vetant quae ipſimet in ſuis litteris jactant partim Compilationi praefixis, partim ſubjunctis, ad conciliandam eidem auctoritatem ac robur. Inde enim habemus, hujus Collectionis provinciam duobus Cardinalibus, duobus Epiſcopis, duobus Theologiae Doctoribus, & Archidiacono Zagabienſi fuiſſe demandatam. *Ipſi autem*, ut in eiſdem litteris legitur, *commiſſioni noſtrae multo tempore diligenti cura vacantes, juxta noſtrum mandatum extraxerunt & collegerunt, ac fideliter conſcribi fecerunt; Decreta & geſta nonnulla praefati ſacri Concilii Conſtantienſis in unum redigentes Volumen*. Quod abſolutum ac perfectum ab univerſo Coetu probatum eſt, ejuſque Bulla munitum.

Haec aliaque plura Schelſtrato animadverſa quum Nat. Alex. retuliſſet: „ Gratias, *inquit*, ampliſſimas debet D. Emmanueli a Schelſtrate „ Reſpublica Literaria, quod obſervatione illa ſua Decretorum Concilii Conſtantienſis, prout ad nos pervenerunt, ſinceritatem praeter intentionem ſuam confirmaverit. Si „ quidem ex ea patet, vix majorem „ adhiberi potuiſſe curam ac diligentiam in Actis ac Decretis illius Concilii colligendis, quam quae a Patribus Synodi Baſileenſis adhibita „ eſt. Viris ſiquidem omnium Eccleſiae Ordinum dignitate, doctrina, „ pro-

„ probitate ſpectatiſſimis hanc pro-
„ vinciam demandarunt, qua fideli-
„ ter ſunt perfuncti. *Opus*, inquit,
„ *fideliter conſcriptum fuit*. Colle-
„ ctionem Baſileenſes Patres appro-
„ barunt, Bulla Concilii Codici ap-
„ penſa, ejuſdemque fore fidei de-
„ clararunt, ac ſi Bulla ejuſdem Con-
„ cilii Conſtantienſis munita forent.
„ Cedo, ſi quae Actorum cujuslibet
„ alterius Synodi Acta magis authen-
„ tica, & majori cura deſcripta &
„ collata ad nos pervenerunt. Verum Cl. Auctor non animadvertit, quod quanto praeclarius Baſileenſium in colligendis edendiſque Conſtantienſibus Actis ac decretis curam diligentiamque commendabat, tanto magis eorum fidem elevabat, & in ſuſpicionem adducebat. Neque enim Baſileenſium Collectorum jactata dignitas, doctrina, probitas & ſi libet addere, & ſequuta miracula unquam ſuadebunt, quod in Actis Protonotariorum legerint quae ab eis abſint, & quae abeſſe debere, niſi in hoc negotio cum ſumma oſcitantia & negligentia verſati ſunt, exploratum habere debuerunt. Quare quanto magis eorum in hoc Opere concinnando cura & diligentia commendatur, tanto eis gravior violatae publicae fidei invidia conflatur. Ejuſdemque commatis eſt quod ſequentibus verbis idem Natalis adjungit.

„ Sed obſervationi D. a Schelſtrate
„ te addendum eſt, tunc ab annis de-
„ cem Concilium Baſileenſe duo illa,
„ de quibus agimus Conſtantienſia De-
„ creta laudaſſe, exſcripſiſſe, reno-
„ vaſſe, confirmaſſe iiſdem omnino
„ verbis, quibus nunc in Actis Con-
„ cilii Conſtantienſis, Romanae,
„ Regiae, Labbeanae Editionis le-
„ guntur; idque non ſemel, ſed
„ quinquies, in publicis ſeſsionibus,
„ antequam Synodus Ferrariam ab
„ Eugenio Quarto transferretur, cum
„ ejus Legati Concilio praeeſſent, ac
„ inprimis Julianus Tit. S. Angeli
„ Cardinalis, Acta ac Decreta Con-
„ cilii Conſtantienſis ſolitus.

„ *Nocturna verſare manu, verſare diurna &c.*

At praeterquamquod Decreta Baſileenſibus in publicis illis Seſsionibus laudata, exſcripta, renovata & confirmata, non ex quarta, ſed ex quinta Synodi Conſtantienſis ſeſsione accerſita ſunt; hoc ipſo Nat. argumento vehementior in Baſileenſes invidia concitatur. Nam qui ab annis decem, adeoque a celebrata Synodo Conſtantienſi vix tredecim annis, ſolidi fuerant hujuſce Concilii Acta & Decreta.

Nocturna verſare manu, verſare diurna,

fieri non potuit, ut ea, quae circa Decreta IV. Seſsionis acciderant, ignorarent; ac potiſsimum non fuiſſe primum Decretum per Cardinalem Florentinum cum ea de Reformatione clauſula promulgatum, cum qua illud editum voluerunt: ac proinde non temere quis mali alicujus doli fraudiſve Baſileenſes inſimularet.

Verum, ut fatear quod res eſt. praeter initas ab Arnaldo, Maimbourg, Boſſuetio & Nat. Alex., alia purgandi Baſileenſes ſuppetit via: quae quidem nobis aperte favet, ſed ea tamen niſi admittatur, illos depravatae Conſtantienſis Decreti editionis reos omnino haberi neceſſe eſt. Hanc autem nobis Conſtantienſium Actorum Editor ope Wolfenbutelenſis Codicis ſuppedita-

ditavit. Hic enim Codex, ut ipſe tradit, Actorum ac Decretorum Concilii Conſtantienſis Epitomen a Baſileenſibus adornatam exhibet; ſed cum multis aliis in locis, tum potiſſimum in primo Seſſionis IV. decreto plurimum a vulgatis ejuſdem Epitomes editionibus diſcrepat (*a*). In Hagenoënſi ſiquidem illo compendio, quod nimirum Hagenoae Imperiali Oppido primum editum eſt, ceteriſque quae ex illa derivatae ſunt ejuſdem compendii Editionibus, addita reperiuntur, ac promulgata dicuntur quae per Nationes quidem fuerant definita, ſed per Cardinalem Zabarellam, reliquorum Cardinalium conſilio, licet invitis Nationibus, ſunt omiſſa, nec praelecta. Aſt in MS. Wolfenbuttelenſi Compendio a Baſileenſium collectione profecto, ita univerſa comparent, prout Conſtantiae ſunt per Zabarellam pronuntiata. Hinc porro colligit laudatus Auctor [*b*], ſuſpicione plane potuiſſe ſuperſedere illos, qui magno molimine, ut in Schelſtrateno liquet, malae fidei accuſarunt Concilii Baſileenſis Patres, qui data opera Acta decretaque Conſtantienſis Concilii corruperint, in Seſſione praecipue quarta. Siquidem in hoc Wolfenbuttelenſi Codice compendii Baſileenſis res uti Conſtantiae geſta, integre planeque comparet. Ut vel Wolfenbuttelenſis ille Codex & ſcrupulum haeſitantibus promte eximat, & Baſileenſis Concilii Patribus fidem atque auctoritatem omnino reddat.

Quod Codicis Wolfenbuttelenſis lectione ad fidem & auctoritatem Baſileenſibus Epitomatoribus reſtituendam uſus Editor ſit, haud equidem improbamus, imo & plurimum commendamus: at profecto inde conſequens non eſt, Schelſtrato crimini dandum eſſe, quod violati velut ex induſtria primi ſeſſionis quartae Decreti Baſileenſes in ſuſpicionem adduxerit. Quum enim certiſſime conſtaret, ad hoc Decretum clauſulam de reformatione neutiquam pertinere, non alia purgandi Baſileenſes ſuppetebat via, quam ut ope MS. Codicis demonſtraretur, haud eorum vitio in hocce decretum eam clauſulam irrepſiſſe. At quum Adverſarii & MSS. aliquot Codicum, & vulgatarum Editionum auctoritate praefracte tuerentur, tum ita legendum eſſe illud Decretum; quod a perſpicua veritate prorſus erat alienum; tum ita reapſe fuiſſe a Baſileenſibus editum; inde plane conſequens erat, Baſileenſes ſecus illud edidiſſe, atque incorruptorum Codicum & veterum monumentorum auctoritas poſtularet. Non ergo ut Maimbourg & alii faciunt, inde Baſileenſibus defenſio paranda erat, quod Codices, quibus in adornanda ſua Collectione uſi ſunt, eam clauſulam forte repraeſentarunt; ſed inde potius quod eam ipſi in autographo & authentico ejuſdem ſuae collectionis Exemplari praetermiſerunt. Sed neque Adverſarii, neque Schelſtratus divinare poterant, aliquem illius Epitomes Codicem MS. in quo illa clauſula eſſet omiſſa, in aliqua ex Bibliothecis Germanicis deliteſcere, inde aliquando eruendum.

(*a*) Von der Hardt. Tom. IV. pag. 87.
(*b*) Ibid. in Prolegom. cap. III. pag. 16.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quanti ad praeſentem controverſiam momenti ſit, demonſtraſſe, tum in primo Decreto Seſſionis quartae ſuppreſſam fuiſſe clauſulam de reformatione, tum omnino praetermiſſum fuiſſe ſecundum Decretum de poteſtate cujuslibet Synodi generalis in quemlibet Pontificem coactiva.

HOC generatim Schelſtrato ab omnibus ejus Adverſariis objicitur, quod inanem operam poſuerit in ventilandis MSS. Codicibus, ad hoc tandem inde eruendum, non tuliſſe Cardinales, imo & conſtanter repugnaſſe, ne primo Decreto Seſſionis IV. clauſula de reformatione in capite & in membris adjungeretur, & ne ſecundum quod Nationes paraverant Decretum de poteſtate coactiva cujuslibet Synodi generalis in Romanum Pontificem, legeretur: quum conſtet, haec omnia inſtaurata poſtmodum fuiſſe in proxima ſeſſione ſollenniter celebrata. Nam etſi verba iſta, *Ad reformationem Eccleſiae in capite & in membris*, ad primum Seſſionis quartae Decretum minime pertinerent; id tamen, inquit Maimbourg, nihil ad praeſentem faceret controverſiam, quoniam reapſe in Decreto V. Seſsionis occurrunt, Quid enim ad vim & robur Decreti facit, in qua illud ſeſſione editum ſit? Atque hinc Arnaldus & Natalis Alexand. efficiunt, aut efficere ſibi videntur, abſque ulla veri ſimilitudine Baſileenſibus adfingi, quod IV. Seſsionis Decreta corrumpere ex induſtria voluerint. Illius, inquit Nat. Alex. interpolationis inutilitas aequos rerum aeſtimatores adducere debet, illam ut minime a Baſileenſibus attentatam concludant. Magni ſiquidem erat momenti ac ponderis Baſileenſibus Patribus declaratio Concilii Conſtantienſis de Conciliorum generalium auctoritate a Chriſto immediate accepta *ad reformationem Eccleſiae Dei in Capite & in membris*, ut & ipſi tam optatae reformationi incumberent. At nihil intererat in qua ſeſsione Declaratio illa edita fuiſſet, an in quarta, vel in quinta, cum non minor eſſet ſacri Concilii in una quam in altera ſeſsione auctoritas. At in V. Seſsione habentur expreſſe illa verba in priori Decreto, *Et ad reformationem generalem Eccleſiae Dei in Capite & in membris*, in omnibus Codd. MSS. cunctiſque Editionibus, ut nemo diffitetur, ne quidem Emmanuel a Schelſtrate: Prorſus ergo inutilis erat Patribus Baſileenſibus interpolatio Decreti Seſsionis IV. per iſtorum additionem verborum. Hiſque adfinia ſunt quae & Arnaldus obſervat (a). Sed ut nihil, inquit, jam dicam de probitate eorum, qui hujus interpolationis inſimulantur, qua de cauſſa eam aggredi voluiſſent? Nemo gratis ſceleſtus eſt. Si ergo, quod vero ſimile non eſt, ea clauſula, *Et ad reformationem EccleſiaeDei &c.* in Decreto IV. Seſsionis non fuiſſet; quid Baſileenſium intererat, ut ea in illud inſereretur? Annon ſatis superque habebant, eam certiſsime ac nemine refragante, in primo Decreto V. Seſsionis occurrere? Non ergo niſi gra-

(a) Cap. X. pag. 193.

gratuito ſcelere tantum facinus aggredi voluiſſent.

At primùm, dici abſolute non poteſt, inanem operam poſuiſſe Schelſtratum in eruenda e Codicibus MSS. & coaevis Scriptoribus rerum in Synodo Conſtantienſi geſtarum, ejuſque Decretorum hiſtoria, quamquam ea quae inde produxit, nihil ad praeſentem facerent controverſiam: faciunt enim plurimum ad veritatem hiſtoriae: quae & MSS. Codicum & veterum monumentorum ope innumeris in locis quotidie emendatur & illuſtratur. Unde mirari ſubit, Viros doctos & eruditos Schelſtrato hoc velut inſolitum & inauditum facinus objeciſſe, quod tam ſero & poſt tot annorum intervallum ad emaculandam Geſtorum ac Decretorum Concilii Conſtantienſis Baſileenſem editionem aggreſſus ſit. „ Sed „ anno demum, *inquit Boſſuetius* (*a*), „ 1683. quinquaginta ſcilicet & du„ centis annis poſtquam Conſtantien„ ſes Canones conditi ſunt; Emma„ nuel a Schelſtrato ..... repente „ prodiit, qui .....primum Decre„ tum Seſſionis IV. a Baſileenſibus „ corruptum eſſe teſtatur. Et Nat. Alex. *Dubium*, inquit (*b*), *de iſtius* Decreti *ſinceritate & integritate mortalium omnium primus excitavit Emmanuel a Schelſtrate Vaticanae Bibliothecae Praefectus &c.* Haec certe mirari ſubit Viris doctis & eruditis excidiſſe. Quot enim quaeſo ſunt, quae non dicam poſt quinquaginta & ducentos, ſed poſt quingentos, & ſexcentos, & mille annos, aliquis certe *mortalium omnium primus*, in vulgatis hiſtoriis aut Codicibus, conſultis fontibus, & primaevis & authenticis Exemplaribus, caſtigavit? Quot quaeſo loca Cl. Viri criticae artis ſtudio egregie ſubacti jamdudum & a multo tempore in veterum Patrum aliorumque Scriptorum Operibus depravata, hoc tandem aevo feliciter reſtituerunt? Quot demum inoliti errores, qui velut naevi cum ſacrae tum profanae Hiſtoriae faciem deturpabant, Patrum noſtrorum memoria evulſi ſunt, & quotidie evelluntur? Ut hinc invidiam in Schelſtratum concitare, perinde ſit atque eamdem in omnes Eruditos derivare. At egregiam Litterariae Reipublicae Schelſtratum navaſſe operam, candide agnoverunt, qui deinceps depoſito tantiſper partium ſtudio, res Conſtantienſis Synodi pertractarunt (*c*), productiſque ab eo Actis & Monumentis uſi ſunt ad ejus Hiſtoriam pluribus in locis ſupplendam & illuſtrandam, & a pluribus erroribus emaculandam.

Deinde & a praeſenti controverſia haec diſceptatio de vera genuinaque illius Decreti lectione non modo aliena non eſt, verum & non una ratione cum illa conjuncta eſt. Nam primùm, ut optime demonſtrat Cl. Schelſtrate (*d*), hinc corrigendum venit *celeberrimae Gallicanae declarationis de Poteſtate Eccleſiaſtica* Caput ſecundum, quo ſollenniter declaratum eſt: *non probari a Gallicana Eccleſia, qui De-*

(*a*) Sup. cap. III.
(*b*) Diſſert. IV. §. VI.
(*c*) Hermannus Von der Hardt. Jac. Lenfant, & alii.
(*d*) Diſſert. I. cap. III.

creta de auctoritate Conciliorum generalium, quae ſeſſione quarta & quinta Conſtantienſis Synodi *continentur . . . ad ſolum ſchiſmatis tempus detorqueant.* Nam ut ipſe Maimbourg diſerte fatetur, temperatum eſt in quarta ſeſſione ipſis quoque Nationibus conſentientibus, ab hoc articulo definiendo; An quae poteſtas Conſtantienſi Synodo, quae tempore ſchiſmatis celebrabatur, hujuſce ſeſſionis decretis vindicaretur, generatim ad quamlibet aliam Synodum pertineret. Quod & jam omnes agnoſcunt, ſive nutu & conſenſu Nationum, ſeu mero Cardinalium arbitrio & voluntate, per Cardinalem Florentinum non fuiſſe in hac quarta Seſſione promulgatum. Perperam ergo in hoc Capite *celeberrime* Declarationis ii ſigillantur, *qui ad ſolum ſchiſmatis tempus* quartae ſeſſionis *dicta* & decreta *detorquent*.

Praeterea e Schelſtratenis Actis eorum opinio profligatur, qui praefracte contendunt, hanc de Conciliorum generalium in Romanos Pontifices poteſtate doctrinam generatim luculenterque fuiſſe in Piſana Synodo definitam (*a*). Ad hanc enim evertendam opinionem ſi alia argumenta deeſſent, hoc certe ſufficere deberet, quod ſub ipſum Synodi Conſtantienſis initium, quum Nationes ſtatuere vellent, cujuslibet Synodi generalis auctoritati ſubjectos eſſe Pontifices tum vehementer in hoc Decretum exarſerunt Cardinales, ut ejus promulgationi conſentire nulla ratione voluerint; imo & ipſis Nationibus perſuaſerint, ut ipſi Maimbourg & Nat. Alex. docent, ut ab illius Decreti promulgatione in hac quarta ſeſſione abſtinerent, ob plurimas, quibus obnoxium erat difficultates. Jam vero quis ſibi perſuadeat, vix quinque annis ab abſoluta Piſana Synodo, ab iiſdem fere Cardinalibus; qui hanc & coëgerant, & celebraverant, & illius pars praecipua & nobiliſſima fuerant; tot excitari potuiſſe diſceptationes, tot objici difficultates adverſus Decretum, quod jam ipſi paullo ante in alio, ut Pariſienſes Theologi volunt, Concilio Oecumenico ſanxiſſent? Porro quanti ad praeſentem controverſiam momenti ſit, ne iſtiuſmodi quaeſtio velut jam ſancita per Piſanam Synodum habeatur; tum per ſeſe apertiſſime conſtat, tum a nobis deinceps luculentius demonſtrabitur: ut proinde vel hinc pateat, haud inanem Schelſtratum luſiſſe operam in ſuis illis Conſtantienſis Synodi Actis ac Decretis e ſitu ac tenebris eruendis.

CAPUT VI.

„ Seſſionis Quintae, qua potiſſimum
„ utimur, lectionem neque in dubium revocari poſſe, neque unquam in dubium revocatam.

NUlla profecto ratio erat, cur in praeſenti Capite Meldenſis Epiſcopus tot congereret teſtimonia, quibus probaret quod omnes agnoſcunt, & nemo unquam in controverſiam vocavit nempe integram eſſe & incorruptam Decretorum quintae ſeſſionis lectionem, nec in ea exhibenda variare Codices Manuſcriptos. Quandoquidem

(*a*) Dans celuy de Piſe, où elle fut agitée pour la premiere fois, on l'eut decidée en faveur du Concile. *Maimbourg pag.* 216.

dem ergo de hac re nulla nobis cum illo diſceptatio eſt; geminum quod ex Gerſone deſcribit teſtimonium ad trutinam revocabimus, non eo profecto ut inſpiciamus, an hujus Capitis concluſio inde ſolide confirmetur, ſed ut Lector intelligat, quam homo iſte in ſuis effatis, quae Pariſienſes Theologi velut oracula venerantur, & parum ſibi conſtet, & veritati cohaereat. Haec ergo loca ſunt quae ex Gerſone Boſſuetius adfert, & quae nobis non ſine examine praetermittenda videntur. Primus locus deſumtus eſt ex ſermone, quem ad Synodum habuit hoc eodem anno 1415. quae Seſſio V. habita eſt, ac 21. die Menſis Julii, cum Sigiſmundus Imperator pacis Eccleſiaſticae gratia in Hiſpaniam profecturus eſſet, ac pro ejus itinere ſacrae Synodi decreto Miſſae ac Litaniae ſolemnes haberentur, quibus omnes Praelati interfuerunt. In hoc ergo ſermone Decretis quintae ſeſſionis de verbo ad verbum, ac ne uno quidem immutato apice, recitatis, ſubdit continuo: „ Conſcribenda prorſus eſſe „ mihi videretur in eminentibus lo„ cis, vel inſculpenda per omnes Ec„ cleſias ſaluberrima haec determina„ tio, lex, vel regula, tanquam „ directio fundamentalis & velut in„ fallibilis, adverſus monſtroſum „ horrendumque offendiculum, quod „ hactenus poſitum erat per multos „ de Eccleſia in itinere mandatorum, „ determinantes ex textibus Gloſſae, „ non ad regulam Evangelicam & ae„ ternam acceptis, Papam non eſſe „ ſubjectum generali Concilio, ne„ que judicari poſſe per ipſum. En, inquit Boſſuetius, quae quatuor menſibus poſt Seſſionem V. coram Patribus ſacroque Concilio dixerit Chriſtianiſſimi Regis Legatus.

Alter Gerſonis locus occurrit in ſermone ad Synodum ſimiliter habito A. D. 1417. Dominica die 17. Januarii: „ Quamvis ultra multiplicare ſermo„ nes quid opus eſt ſuper ea veritate, „ cujus deciſio clariſſima ſolidiſſima„ que facta eſt per hoc ſacrum Conci„ lium, cui non licet obniti, nec „ eam in argumento deducere. Ac paullo poſt Decreta quintae ſeſſionis diligenter exſcribit, ſubjungitque verba ſequentia, quae, inquit Boſſuetius, praetermitti non debent; „ Huic „ veritati fundatae ſuper petram ſa„ crae Scripturae quiſquis a propoſito „ detrahit, cadit in haereſim jam „ damnatam, quam nullus unquam „ Theologus, maxime Pariſienſis & „ Sanctus, aſſeruit.

Quandoquidem haec Gerſonis loca Meldenſis Epiſcopus (cui quemadmodum & aliis Theologis Pariſienſibus, Gerſonis in hoc capite auctoritas inviolabilis eſt,) ita refert, ut ea plane probavi videatur, operae pretium erit ut ea ad trutinam revocemus. Porro ejus in his locis doctrina ad haec capita referri poteſt. 1. Pontificem eſſe ſupra Concilium, haereſim eſſe per Conſtantienſem Synodum jam damnatam. 2. Quod hanc haereſim nullus unquam Theologus, & maxime Pariſienſis & ſanctus aſſeruit. 3. Quod hoc monſtrum opinionis, ſcilicet Papam non eſſe ſubjectum generali Concilio, neque judicari poſſe per ipſum, ante Synodum Conſtantienſem multi de Eccleſia tenuerant. 4. Quod haec eorum opinio non niſi quibuſdam Gloſſis nitebatur, quae ab Evangelica aeternaque regula diſſonabant. 5. Quod Pontificem ſubjacere

jacere

bjacere Concilio, deciſio eſt Synodi Conſtantienſis clariſſima ſolidiſſimaque, cui non liceat obniti, nec eam in argumenta deducere. 6. Hanc veritatem immotam eſſe, utpote innixam ſacrarum litterarum ineluctabili teſtimonio. Ex his ergo Gerſonianae doctrinae capitibus tria, nempe primum, quintum, & ſextum in alia loca rejiciemus; reliqua vero, nempe ſecundum, tertium & quartum in ſequentibus articulis expendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Toto illo ſaeculo, quod funeſto illud Occidentis ſchiſma praeceſſit, communis ac pervulgata fuit Theologorum, atque imprimis Pariſienſium, doctrina, 1. Concilia niſi a Romanis Pontificibus convocari non poſſe. 2. Debere in eis Romanos Pontifices praeſidere. 3. Ex Romanis Pontificibus fluere, aut ſaltem pendere eorum auctoritatem. 4. Eorum de fide moribuſque Decreta irrita eſſe, niſi a Romanis Pontificibus confirmentur. 5. Romanos Pontifices a Synodis Oecumenicis niſi in cauſſa fidei judicari non poſſe.

Quod ad haec pertinet noſtrae doctrinae capita, quae fuerit olim veterum Patrum, Romanorumque Pontificum & Conciliorum ſententia, quidve ex eorum teſtimoniis conſequi videatur; tum ſuperioribus *de Romani Pontificis in definiendis fidei controverſiis judicio*, voluminibus, in quibus traditionem a prioribus Eccleſiae ſaeculis ad uſque duos illos Scholaſticae Theologiae proceres, Thomam atque Bonaventuram perenni curſu deduximus, ampliſſime demonſtratum eſt; tum etiam in ſequenti articalo iterum data opera demonſtrabitur, eadem refricando, quantum ſatis eſſe videbitur, ad confutandam Gerſonis in adlatis locis temeritatem. Quae etiam exorto ſchiſmate tum ante Synodum Conſtantienſem, tum deinceps de his rebus dogmata in Scholis Theologicis obtinuerint, ſuis locis ad ſequentia Capita haud ſegniter expendemus. Quare in praeſentia eorum dumtaxat Theologorum, & maxime Gallorum ſeu Pariſienſium, ſenſus inveſtigabimus & aperiemus, qui proxime funeſtum illud ſchiſma praeceſſerunt, quo per tot annos Occidentalis Eccleſia miſerum in modum dilacerata eſt.

At ne diutius quam par eſt in ſingulorum Theologorum ſententiis referendis immoremur, ea nunc ſpeciatim proferemus ac recenſebimus, quae plurium in ſeſe vim teſtimoniorum continent, & communem illius aevi, potiſſimum in Galliis doctrinam indicare & exhibere videntur. Cujuſmodi imprimis ea ſunt, quae in variis ſcriptis occurrunt occaſione illius magni diſſidii promulgatis, quod initio ſaeculi XIV. inter Bonifacium Octavum & Philippum Pulcrum Francorum Regem interceſſit. Galli enim, quo a Clemente V. memoriae Bonifacii damnationem extorquerent, tum eum haud legitimum fuiſſe Pontificem, tum haereticum fuiſſe contendebant. In utroque autem accuſationis ſuae capite exponendo ſic verſabantur, ut noſtrae doctrinae principiis velut immotis & inconcuſſis uterentur: ut ex ſequentibus Lector compertum & exploratum habebit.

Nam

Nam ut a primo capite exordiar; ideo Bonifacium legitimum non fuiſſe Pontificem contendebat, quoniam S. Caeleſtinum totius Eccleſiae Pontificatum non potuiſſe dimittere exiſtimabant: quod primum conſtat ex quodam Scripto, quod inter Probationes Hiſtoriae hujuſce diſſidii pag. 325. hoc titulo editum eſt: *Notabilia quaedam & rationes juris, & articuli in facto Bonifacii*. Nam Articulo XXV. inter cetera Bonifacius inſimulatus, quod *plures magnos litteratos, & Regularem vitam ducentes, qui de hoc, an ille renunciare potuiſſet, intra ſe diſputaverant, mori fecit in carcere*. Quod ſcelus, ſicut & pleraque alia, quae Bonifacio in ejuſmodi ſcriptis impudentiſſime objecta ſunt, quamquam probatum non ſit; attamen aliunde compertum eſt, de hac re fuiſſe inter Theologos diſputatum; adeo ut Caeleſtinus, antequam ſponte Pontificatu abiret, id fas eſſe Romano Pontifici, ad removendam omnem dubitationem, ſpeciali Diplomate declararit. Hanc autem Pariſienſibus Theologis adhuc haeſiſſe ſententiam, haud oſcure verbis ſequentibus indicatur: *Veritas autem Articuli propoſiti, quoad id quod dicitur, quod D. Caeleſtinus renuntiare non potuit, & ſic ſuus* (Bonifacii) *ad Sedem non fuit legitimus ingreſſus: ut diſputationum ſubtilitates reverendis & lumine divino illuminatis in ſcientiarum doctrina Magiſtris Pariſienſibus relinquantur, apertiſſime ſine aliqua dubitatione, ſine refragatione & contradictione quacumque habetur ex libris antiquis Geſtorum Eccleſiae, & Sanctorum Conciliorum definitionibus, & ex antiquis Chronicis antiquos Eccleſiae & Romanorum Pontificum actus continentibus, ubi haec veritas indubitata omnino continetur*. Et rurſum infra: *Hujus autem veritatis probationes, per Concilia, per libros antiquos, per Regiſtra Eccleſiae, per Chronicas antiquas geſtus Romanae Eccleſiae, & ſummorum Pontificum continentes, omnino in promtu ſunt, & quandocunque placuerit, & locus fuerit, habebuntur*.

Quomodo autem ex his locis, quibus confici credebatur, Romanum Pontificem ſummo Apoſtolatu etiam libere ac ſponte abire non poſſe, quae hîc tantum indicantur, id reapſe opinione ſua Pariſienſes Theologi demonſtrarent, luculentiſſime apparet ex alio ſcripto, quod inter Probationes ejuſdem Hiſtoriae pag. 448. hoc titulo editum eſt: *Rationes, ex quibus probatur, quod Bonifacius legitime ingredi non potuit, Caeleſtino vivente*: in quo ſane Scripto Magiſtrorum Pariſienſium ſubtilitates emicant; adeoque ad illud, meo quidem judicio, ſcripti ſuperioris Auctores digitum intendiſſe videntur iis verbis: *Ut diſputationum ſubtilitates Magiſtris Pariſienſibus relinquantur*. Pluribus ergo in hac Lucubratione rationibus probare illius Auctores inſtituunt, Romanum Pontificem ſuſceptam ſemel dignitatem ſponte abdicare non poſſe, quoniam in Pontificatus ſuſceptione ſpirituale quoddam cum Eccleſia univerſali matrimonium contraxit, cujus vinculum natura ſua inviolabile ſit. Solvi quidem hunc nexum in inferioribus Epiſcopis Romani Pontificis auctoritate, a quo velut a fonte omnis eorum juriſdictio fluit, derivatur ac pendet: at ipſius Romani Pontificis cum Eccleſia nexus

niſi

niſi ſolius Dei auctoritate ſolvi non poteſt, quoniam in terra ſuperiorem non habet, ipſe de omnibus judicans, a nemine judicandus. Totus mihi fere ille Tractatus exſcribendus eſſet, ſi omnia huc vellem loca congerere, in quibus, ea dogmata traduntur & inculcantur, variiſque momentis ac rationibus confirmantur. Itaque delectu utar, & aliqua inde decerpam, quae Lectoribus, quibus non vacet ipſum adire fontem, ſpeciminis loco ſint.

Sic pag. 451. haec ſpeciatim notanda occurrunt: *Univerſalis Eccleſia emanat a Petri Sede quae unitatis Eccleſiae eſt origo .....* Romano Pontifici *commiſſa eſt ſolicitudo omnium Eccleſiarum, qui vocatus eſt a Deo ſolus in plenitudine poteſtatis ad aedificationem Eccleſiae ..... cum juriſdictio illorum ſcilicet inferiorum Praelatorum a Petro & Succeſſoribes deſcendat.* Ac ſubinde quaeritur: *Quis mortalium* illud ſpiritualis Matrimonii vinculum *ſolvet*, quod inter Eccleſiam & Pontificem initum eſt? *Utique nullus, ſed Deus ſolus. Quod*, inquiunt, *luce clarius eſt cuilibet intuenti.*

Sed longe luculentiora ſunt quae ſequuntur pag. 453. Quum enim perinde inferioribus Epiſcopis atque in Romano Pontifice Epiſcopalis character immobilis ſit atque indelebilis; cur ceteris Epiſcopis, non autem Romano Pontifici, juriſdictio adimi poſſit, haec adſignatur ratio, quod aliorum omnium poteſtas & juriſdictio a Romano Pontifice derivatur, cui ab ipſo Chriſto univerſi gregis cura commiſſa eſt; ideoque portionem gregis quam accepta ab eo auctoritate gubernant, illis adimere poteſt. At quum ipſe non modo ſuper univerſum gregem, verum & ſuper ipſos Paſtores conſtitutus ſit, ipſorum quoque Paſtorum ſupremus Paſtor, ac de omnibus judicet a nemine judicandus, nemo illi ſubditos ſubtrahere poteſt, ſuſceptamque ſemel dignitatem abrogare. *Summus autem Hierarcha Romanus Pontifex ſuperior eſt omnibus; ipſe verus Praelatus & Paſtor eſt Dominici gregis, non ſolum tantum, ſed Paſtorum Paſtor ex inſtitutione divina .... Omnis enim cura gregis ab ipſo eſt, vel ejus auctoritate derivata in inferiores ſupremos per ſe, ſicut in Patriarchas, Primates, Metropolitas, & per illos, auctoritate ab ipſo ſumta, in Epiſcopos, & per illos ſimiliter ex auctoritate illius per ſuos ſuperiores derivata, & in ipſos tranſlata & conceſſa, in Curatos inferiores, & Miniſtros curam habentes. Omnis cura diffunditur in omnes ex auctoritate ſummi Hierarchae, cui in perſona Petri Dominici gregis cura mandatur, & imperatur eidem*, Paſce, paſce, paſce. *Ipſe ergo ſummus Hierarcha qui commiſit, poteſt adimere cui commiſit, degradando &c. ...... Hujuſmodi autem ſubditorum ſubtractio nullo modo cadit in ſummum Hierarcham, nec poſſibile eſt per hominem ſibi ſubtrahi ſubditos, quoniam non habet ſuperiorem in terris, ſed omnis anima ſibi ſubdita eſt, ejuſque curae commiſſa, neque a quoquam judicari poteſt, ſed cunctos judicaturus a nemine judicandus eſt, niſi deprehendatur a fide devius. Et haec ſuperioritas non eſt humano privilegio ſed divino, a quo ſua eſt inſtitutio, & qui ſibi paſcendi gregis curam commiſit, Omni enim Clero & populo in unum congregato manet obſequendi ſibi neceſſitas, & non*

& non auctoritas imperandi.

Quamquam vero haec manifeſtum ſit ad ipſam quoque Synodum Oecumenicam pertinere, attamen id longe diſertius ſequentia verba declarant, quibus expreſſe ac nominatim ipſi quoque univerſali Concilio omnis in Romanum Pontificem adimitur juriſdictio, & ea quidem generali ratione, quod juxta Conciliorum atque ipſorum Romanorum Pontificum ſcita, inferioribus in ſuperiores juriſdictionem exercere non licet, adeoque prima Sedes a nemine judicatur. Paullo quidem prolixior eſt locus, ſed integrum tamen referre libet, quia non poterat vehementioribus verbis exponi, quam juri & inſtitutioni divinae, & Eccleſiae conſtitutioni, & Pontificum & univerſalium Conciliorum decretis contrarium ſit, quod in Romanum Pontificem etiam volentem, & hoc fieri permittentem, aliquam ipſa quoque Synodus Oecumenica juriſdictionem exerceat. *Quis*, inquiunt, *erit ille tam veſano ſpirtu ductus qui dicat, Papam Romanum* (ſeu potius Papae Romano) *quantumcumque volenti & conſentienti, etiam & committenti expreſſe, poſſe non tantum per ſolum Collegium Cardinalium, ſed nec per omnes homines, neque per* UNIVERSALE CONCILIUM, *imo per omnem Clerum inſimul congregatum adimi ſubditos, quos Deus commiſit paſcendos & confirmandos? Quis erit tanto favore* (f. furore) *circumdatus, qui dicat ſummo Hierarchae Romano Pontifici volenti & conſentienti &c. poſſe interdici per omnem Clerum ſui ſummi characteris, aut perſanctiſſimi ipſius characteris ampliationis & poteſtatis ſpiritualis executione, quam ipſe Deus in Petro omnibus ſuis Succeſſoribus exequendam commiſit dicens.* Quoticumque ligaveris &c. *Nonne iſte ipſi Apoſtolorum Principi Petro contumelioſus exſiſtet? Nonne contra ipſam Dei inſtitutionem veniet? Nonne Dei Eccleſiam, Dei quodammodo thalamum macularet? Nonne originem unitatis confunderet, & ipſam Eccleſiae divideret unitatem? Nonne tale privilegium Apoſtolorum Principi Petro conceſſum ſuiſque Succeſſoribus auferre conatur? Nonne primam Sedem judicaret, & ab inferioribus ſuis judicari poſſe falſo aſſereret? Contra Gelaſium, contra Nicolaum, contra determinationem Concilii generalis Lateranenſis, contra determinationem Chalcedonenſis Concilii. Nonne hanc praeſumtionem conſtat omnino damnatam, quod per inferiores aliqua hujuſmodi fiant etiam in volentem, & hoc expreſſe committentem, Apoſtolicae Sedis Antiſtitem? Damnatam, inquam, in Concilio generali, ubi expreſſe habetur, quod nil omnino juriſdictionis, in caſibus hujuſmodi & conſimilibus ad juriſdictionem pertinentibus, in ſe committere poſſit Romanus Pontifex inferioribus ſuis. Nonne expreſſe hoc declaratur per Chalcedonenſe Concilium? Nonne determinatur expreſſe per ſanctam VI. Conſtantinopolitanam Synodum, & apertiſſime per Conſtantinopolitanam Synodum VIII.? Sicut apertiſſime probari poteſt, & probabitur, & probaturos nos offerimus in praeſenti, & loco & tempore opportuno.* Quae certe difficile conciliaveris cum Conſtantienſibus quintae ſeſſionis Decretis, quibus Romanus Pontifex cuicumque Synodo generali ſubjicitur, non modo in iis quae ad fidem perti-

nent, verum & ad Eccleſiae reformationem, poenisque per Synodum decernendis obnoxius declaratur, ſi contumax exſliterit, & Synodicis praeceptis parere renuerit. Quum verbis adlatis diſertiſſime ſtatuatur, quod neque univerſale Concilium, neque univerſus Eccleſiae Clerus ullam habent in Romanum Pontificem juriſdictionem, quod poteſtatis ejus amplitudinem coërcere ac limitare non poſſunt, quod ſubditos illi adimere nequeunt, quod jus non habent de illo ejuſque actibus judicandi, idque ea lege, quam omnium cordibus natura inſcripſit, & quae nihilominus Conciliorum quoque generalium auctoritate ſancita, eſt, & ad hanc cauſſam accommodata, quod inferioribus in ſuperiores juriſdictio non competit, neque de illis judicare fas eſt. Quam legem qui violaret, in ipſam Dei inſtitutionem incurreret, in ipſa Apoſtolorum Principis privilegia involaret, ipſam Unitatis originem perturbaret, ipſam Eccleſiae dirimeret unitatem. Quae & ipſi Romani Pontifices, ſpeciatim Gelaſius & Nicolaus, & ipſa Concilia generalia, potiſſimum autem Chalcedonenſe, & VI. & VIII. Synodi, & IV. Lateranenſis, merito caventes, jure ſanxerunt, Sedem Apoſtolicam cuicunque poteſtati ſemper intactam & inviolabilem eſſe habendam. Unde colligi poteſt, qua ratione in ſuperiori ſcripto in hac cauſſa & Chronica & Hiſtoriae, & Conciliorum Canones, & geſta decretaque Pontificum citarentur: quia nimirum ex iis conſtet, Romanum Pontificem ſuperiorem in terra non habere, cujus auctoritate vinculum ſolvi poſſit, quo velut ſponſus univerſali Eccleſiae ſpirituali Matrimonio indivulſe conjunctus eſt.

Sed jam ad alterum accuſationis caput accedamus, quo Bonifacius profeſſae haereſeos poſtulatus eſt. In quo etiam capite enucleando ſic ejus Accuſatores, ut jam diximus, verſati ſunt, eaque in his ſcriptis principia adhibuerunt, ut cum Conſtantienſibus V. Seſſionis Decretis conciliari ullo modo eorum diſputatio nequeat. Haec enim pro certis & indubitatis adſumunt. 1. Pontificem ut Pontificem haereticum eſſe non poſſe, ſed ſolum ut privatam perſonam. 2. Pontificem niſi ob haereſim judicari non poſſe. 3. Perinde eſſe ſive ab Oecumenica Synodo, ſive a ſolo Romano Pontifice judicetur, quoniam Romanus Pontifex vim in ſeſe totius Synodi continet, neque Synodo Oecumenicae ſine Romano Pontifice, ac niſi per ipſum, hanc cauſſam dijudicare fas eſſet.

Quod ergo Pontifex Romanus ut Pontifex eſt, haereticus eſſe non poſſit, diſerte agnoſcunt ac profitentur Bonifacii Accuſatores in Libello, quem Clementi V. obtulerunt, ſuam adverſus ejuſdem Bonifacii defenſores cauſſam urgentes ac proſequentes: *Non quaeritur*, inquiunt, *de haereſi Papae quondam ut Papae, ſed ut privatae perſonae: nec ut Papa potuit eſſe haereticus, ſed ut privata perſona: nec unquam aliquis Papa, inquantum Papa fuit haereticus, ſed a Papatu devians ut Diaboli filius apoſtatans ſicut Judas.*

Deinde, quod Romanus Pontifex niſi ob haereſim judicari non poſſit, Accuſatoribus Bonifacii cum ejus Defenſoribus conveniebat. Quum enim illis ab his objectum fuiſſet, quod Bonifacium praeter fas aliorum

cri-

criminum poſtulaſſent, reſponſum ab illis eſt, ſe id jure feciſſe; tum quia Bonifacium pro legitimo Pontifice non habebant; tum quia haereticum judicabant; tum denique quoniam alia ſcelera commemoraverant ad augendam & confirmandam haereſeos & apoſtaſiae ſuſpicionem: *Quod autem dictus Guillelmus* (de Plaſiano) *in ſui propoſitione, qua dictum Bonifacium ad generale Concilium provocavit, alia crimina quam haereſis propoſuit, de quibus, ut objicitur, non poteſt Apoſtolicus principaliter accuſari: idem Guillelmus fecit rite & legitime dicta crimina proponendo, rationibus quae ſequuntur. Primo quia dictus Bonifacius non erat verus Papa, neque legitimus, ut dictus Guillelmus propoſuit. Item erat haereticus: quibus ſuppoſitis, vel altero eorumdem, poterat de quolibet alio crimine accuſari & puniri. Secundo, quia dicta crimina propoſita fuerunt ad declarandum per ejus verba pernicioſa & opera deteſtabilia, haereſim &* *apoſtaſiam ipſius, juxta illud dominicum verbum*: A fructibus eorum cognoſcetis eos.

Denique, Clementem V. ad Bonifacii memoriam ſolum & abſque Synodo genereli damnandam, iidem ejus accuſatores verbis ac rationibus ſequentibus excitabant: *Cum de ejus* (Bonifacii) *mortui haereſi quaeritur, non habet congregari Concilium generale. Eſtis enim vos, Pater Sanctiſſime, Jeſu Chriſti Vicarius, totum corpus Eccleſiae repraeſentans, qui claves regni caelorum habetis: nec congregatum totum generale Concilium ſine vobis, & niſi per vos, poſſet cognoſcere de negotio ſupra dicto, juxta Patrum ſancita, ſententiamque Doctorum Juris, & Eccleſiae ſanctae Dei*. Quae pariter cum Conſtantienſium Decretorum, & Pariſienſium Theologorum ſenſibus conciliari non poſſunt. Quum enim ex eorum placitis Romanus Pontifex pars quidem praecipua Eccleſiae, ſed tamen mera pars ſit, ita Eccleſiae corpus repraeſentare non poteſt, ut vim in ſe Concilii generalis ſolus contineat. Quum Romano Pontifice a Synodo generali abeunte, ea nihilominus in ſua perfectione & integritate, ex eorum ſententia, permaneat, falſum profecto eſt, quod ſine illo de aliquo negotio cognoſcere Synodus generalis non poſſit. Denique, quum generale Concilium, ex Conſtantienſium Decretis, immediate a Chriſto poteſtatem habeat; nec illud adfirmari poteſt, quod niſi per Romanum Pontificem non poſſit de aliquo negotio Synodus Oecumenica judicare. Quas tamen omnes Romani Pontificis praerogativas in adlatis verbis Galli Bonifacii VIII. Accuſatores agnoſcunt.

Alterum teſtimonium, quod communem Occidentalis Eccleſiae, ac ſpeciatim Pariſienſis Scholae illo aevo doctrinam egregie repraeſentat, ſuppeditant nobis Clementis VI. litterae ad Conſolatorem Armeniae Catholicon ejuſque univerſum Clerum, quas Odoricus Raynaldus exhibet ad an. 1346. num LXVIII. & ex eo Nat. Alex. in Synopſi Hiſt. Saec. XIII. & XIV. cap. II. art. VI. ubi laudati Pontificis geſta commemorans, haec de illo imprimis obſervat: quod Natione Gallus, Patria Lemovix, Ord. Bened. in Coenobio *Caſae Dei* quondam Profeſſor, Doctor Theologus Pariſienſis, Fiſcanenſis Abbas, Atrebatenſis Epiſcopus, ac deinde Senonenſis,

ſis, Rotomagenſis Archipraeſul, Sorbonae Proviſor, Regiorum Sigillorum Cuſtos, & Galliae Cancellarius, & S. R. E. Cardinalis, ac tandem Summus Pontifex fuit. Quod eum Petrarcha *litteratiſſimum* vocat incredibiliſque memoriae: Quod, teſte Trithemio in Chronico Hirſaugienſi, *doctrinae integritatique Benedicti* XII. Deceſſoris ſui, *humanitatem*, *liberalitatem*, *facundiam*, adjecit. Hic ergo talis tantuſque Vir ac Pontifex, Eccleſiae Gallicanae & Academiae Pariſienſis lacte nutritus, Eccleſiae Occidentalis & Pariſienſis Scholae de Sedis Apoſtolicae Romanique Pontificis auctoritate dogmata ignorare non potuit, aut alia quam in earum ſinu didicerat, Armeniae Catholico ſollenniter profitenda ſignificare. Hic ergo aliique Armeniae Praeſules quamvis, ut idem Nat. Alex. obſervat, Eccleſiam Romanam ſolam eſſe Catholicam, ſolum Pontificem Romanum habere plenitudinem poteſtatis, locum tenere B. Petri, eſſe univerſalem Chriſti Vicarium, profeſſi eſſent; ab eis tamen Clemens explicatam magis Pontificii Primatus profeſſionem exegit: cujus ſingula capita ea Odorico Raynaldo idem Hiſtoricus refert, ex quibus nos ea delibamus, quae proprius ad rem noſtram pertinere videntur.

In tribus ergo prioribus Capitibus Sanctiſſimus Pontifex quaerit, an credant, atque profiteantur, Apoſtolorum Principem, & in eo Romanos Pontifices ipſius Succeſſores accepiſſe a Chriſto *pleniſſimam poteſtatem* non modo ſuper omnes Chriſtianos, verum & *ſuper totum & univerſum corpus Eccleſiae militantis*. Quod ne quis diſtributive, ut ajunt, non autem collective intelligendum exiſtimet; Capite tertio ſpeciatim quaerit, an Romanos Pontifices accepiſſe credant ſuper hoc totum & univerſum corpus militantis Eccleſiae *omnem poteſtativam jurisdictionem*, *quam Chriſtus ut caput conforme in humana vita habuit*: Quam utique nemo negaverit fuiſſe non modo diſtributive, verum & collective ſuper totum ac univerſum corpus Eccleſiae.

Capite V. quaerit, an talem ac tantam agnoſcant in Romanis Pontificibus auctoritatem, & juridicam poteſtatem, ut nullius judicio ſint obnoxii, unius Dei judicio reſervati.

Capite VIII. An credant, ſolum Romanum Pontificem poſſe generales condere Canones. Et Capite XIII. An pariter *ſolum Romanum Pontificem* credant *dubiis emergentibus circa fidem Catholicam poſſe per determinationem authenticam, cui ſit inviolabiliter adhaerendum, finem imponere*. *Et eſſe verum & Catholicum quidquid ipſe auctoritate clavium ſibi traditarum a Chriſto determinat eſſe verum: & quod determinat eſſe falſum & haereticum, ſit cenſendum*. Ad quae profecto velut Catholicae fidei dogmata profitenda Armeniae Catholicon eique ſubjectos Epiſcopos Clemens non adegiſſet, niſi haec eadem in Occidentis Eccleſiis, ac potiſſimum in Eccleſia Gallicana, & Academia Pariſienſi id temporis viguiſſent. His porro Conſtantienſium de Conciliorum generalium Romanorumque Pontificum auctoritate decreta conſona profecto non ſunt. Quare Nat. Alex. ſollicite monet, horum Capitum nonnulla explicatione indigere, quartum in primis, octavum & deci-

mum

mum tertium ; ut ſalvis , inquit , Conciliorum Oecumenicorum juribus , & ſuprema a Deoque accepta auctoritate , intelligantur juxta ſacri Concilii Conſtantienſis doctrinam .

At quomodo cum Synodi Conſtantienſis doctrina , quae Concilio Oecumenico , in quo Eccleſia repraeſentetur , ejuſque poteſtati Romanum Pontificem ſubjicit , conciliari poſſunt duo Clementis priora Capita , quibus Romano Pontifici vindicatur pleniſſima poteſtas & juriſdictio , & qualem dum in terris ageret Chriſtus habuit , non modo ſuper omnes Chriſtianos , verum & ſupra totum & univerſum corpus militantis Eccleſiae ? Si enim ſuper univerſum corpus pleniſſimam Romanus Pontifex habet juriſdictionem ; ergo & ſuper Oecumenicam Synodum , in qua idem corpus repraeſentetur : adeoque non ab Oecumenicae Synodi poteſtate Romanus Pontifex , ſed a Romani Pontificis auctoritate Oecumenica Synodus pendet . Quod ſimiliter & ex aliis Capitibus conficitur , quibus Romano Pontifici poteſtas aſſeritur , tum de omnibus judicandi , quum ipſe a nemine , ſed a ſolo Deo , judicetur ; tum generales condendi Canones ; tum denique emergentibus circa fidem quaeſtionibus finem imponendi tali definitione , cui ſit omnino & inviolabiliter adhaerendum . Si enim haec ſoli Romano Pontifici cum Clemente adſerantur & vindicentur ; ipſe de Synodo Oecumenica , non Synodus Oecumenica , de ipſo judicat : neque Canones a Synodis Oecumenicis conditi in ipſum , ſed ab ipſo vim habent : nec denique accedens Romani Pontificis decretis Eccleſiae aut Synodi generalis conſenſus quaeſtionibus circa fidem emergentibus finem imponit ; ſed ideo editis ab eo circa fidem decretis Eccleſiae aut Synodi generalis conſenſus accedit , quoniam ipſius eſt finem quaeſtionibus ſuis decretis imponere , quibus omnino eſt & inviolabiliter adhaerendum .

Huc etiam egregie facit illuſtre Petri Bertrandi teſtimonium , qui per haec tempora in Galliis floruit ; & quum Jus publice in pluribus Regni Academiis , ſcilicet Avenionenſi , Monſpelienſi , Aurelianenſi & Pariſienſi diu & ſumma cum laude profeſſus ſit , quaenam in illis Academiis , atque adeo in toto Regno doctrina vigeret , ipſum latere non potuit . Recta autem fronte pugnant ejus dogmata cum Gerſonianis decretis . Nam Gerſon & ſingulorum Epiſcoporum , & eorumdem in Synodis generalibus congregatorum auctoritatem immediate a Chriſto derivat, & ab eo immediate proficiſci Conciliorum generalium poteſtatem , ob Synodi Conſtantienſis decreta , pro certo habet . At vero Petrus Bertrandus in Tract. de Orig. & uſu Juriſdict. ſpiritualem omnem poteſtatem & juriſdictionem Petro ac ſucceſſoribus Romanis Pontificibus traditam a Chriſto docet, ut ex eis ad alios manaret : *Inter Chriſtianos* , inquit Quaeſt. II. *neceſſaria eſt ſpiritalis poteſtas , quam Chriſtus dedit Beato Petro , quando ei commiſit regimen univerſalis Eccleſiae . Origo hujus poteſtatis immediate fuit a Deo , ſcilicet a Chriſto tradente eam certae perſonae , ſcilicet Petro , pro ſe & ſuis Succeſſoribus , a quibus derivatur in alios &c.* Quae ille tam ſecure minime protuliſſet , niſi haec doctrina communiter in ſcho-

ſcholis & in Academiis obtinuiſſet. Ex ea porro liquido fluit, non Synodis Oecumenicis Romanos Pontifices, ſed his Concilia ipſa Oecumenica ſubjecta eſſe, quum Epiſcopi quamlibet adunati non modo adverſus auctoritatis poteſtatiſque ſuae radicem ac fontem nihil poſſint, verum etiam tantum habeant roboris, quantum ab ipſa radice mutuentur. Quis ergo Gerſonem ferat tanta praefidentia jactantem, quod hanc doctrinam, Conſtantienſibus decretis, ipſius judicio confixam, *nullus unquam Theologus, maxime Parienſis & ſanctus, aſſeruit?*

Sed, ut recte Cl. Thomaſſinus animadvertit (a), nullum deſiderari poteſt locupletius teſtimonium, quam ipſorum, quibuſcum nobis certamen eſt, ſuo ſe telo configentium, dum profitentur, hanc ſuam ſuaeque privatim ſcholae opinationem eſſe & eam quidem nuperrime excitatam. Elevat enim auctoritatem & novitas & paucitas ſua. Almainus lib. de Poteſt. Eccl. cap. XV. *Concluſio eſt, quam tenent Doctores omnes Pariſienſes & Galli, quod poteſtas Papae ſubjecta eſt poteſtati Concilii.* Johannes Major de Auct. Eccleſiae: *Duo ſunt modi oppoſiti dicendi: quorum unus tenet, Papam eſſe ſupra Concilium univerſale. Hunc modum tenent communiter Thomiſtae, & Romae, ut aſſeritur, nulli fas eſt oppoſitum tueri. Alium modum ſemper noſtra Univerſitas Pariſina a diebus Concilii Conſtantienſis imitata eſt.* Et infra: *Noſtra Facultas a diebus Concilii Conſtantienſis.... ſic hanc partem fovet, quod nulli licuit aſſerere oppoſitum probabile.* Quin & ipſe Johannes Gerſonius de Excommunicatione: *Si dicatur, quod poteſt a Papa fieri appellatio ad Concilium generale. Dixerunt olim ante Concilium generale Piſanum & Conſtantienſe, quod hoc nullo modo licebat; & allegant Jura ſua, pro ſe valde, ut eis videtur, expreſſa. Sed conſtanter nunc aſſeritur, quod eſt haereſis damnata per Conſtitutionem Concilii Conſtantienſis.* Neſcio tamen, an uno excepto Gerſonio, ante Baſileenſe Latrocinium, cujuſquam temeritas & impudentia eo proceſſerit, ut hoc adfirmare auſus ſit. Et in lib. de Poteſt. Eccleſ. Conſid. X. *Poſuerunt iſti Papalem auctoritatem ſupra Concilium, aut ſaltem non imparem..... Benedictus autem Deus, qui per hoc ſacroſanctum Conſtantienſe Concilium, illuſtratum divinae legis lumine, dante ad hoc ipſum vexatione praeſentis ſchiſmatis intellectum, liberavit Eccleſiam ſuam ab hac peſtifera pernicioſiſſimaque doctrina.* Suos ergo, ſubjungit laudatus Thomaſſinus, ipſimet confitentur natales, ſcilicet nuperos, & limites valde anguſtos, ſi Eccleſiaſticae antiquitatis & univerſalitatis ratio ineatur: Scholam, non Eccleſiam: Pariſinam, aut ut ipſis largiamur quod ad libitum ſumunt, Gallicanam, non Catholicam: poſt Conſtantienſe demum Concilium, non ante ſenſiſſe ita adfirmant; nec ſponte eo, ſed vi quadam delatam, cum non aliter ex ſchiſmatis illius peſtiferi laqueis extricari ſe poſſe arbitrarentur: cum ad dubios vel ſpurios Pontifices fas eſſet eam ſententiam coarctare. Prius autem vel ipſi non diſſimulant inauditam hanc

tuiſ.

(a) Diſſert. XVIII. in Syn. Rom. an. 532. num. LXXVI.

fuiſſe in Eccleſia Chriſti conflictationem Pontificis & Concilii, capitis & corporis. Et alibi, quum pluribus Gallicanorum Praeſulum teſtimoniis idem Cl. Auctor probaſſet, Romanos Pontifices neque ab ipſis Conciliis Oecumenicis judicari, adverſus recentiores Pariſienſis Scholae Theologos haec intorquet (a): Qui ergo adverſus illa criſtas erigere poſteriores conati ſunt ſcholae Doctores, illi a conſtantiſſima, & ab ipſis uſque incunabulis coalita Eccleſiae Gallicanae doctrina & pronirſſima in Sedem Apoſtolicam reverentia, immane quantum deviarunt. Danda tamen venia eſt, ſi Antiquitatis incurioſiores, ut ea ferebat aetas, & diutini inter binos ternoſque Pontifices ſchiſmatis taedio affecti, nec pacem Eccleſiae, niſi a Concilii ſupra Pontifices auctoritate & judicio Decretorio efflorefcere poſſe perſuaſi, in has Apoſtolico privilegio infeſtas ejecti potius quam appulſi ſunt opinationes. De quibus jam nos profecto multo potiori, quam Gerſonius de noſtris, jure adfirmabimus, quod eas *nullus unquam Theologus, & maxime Pariſienſis & ſanctus*; hoc eſt, qui inſignis pietatis ac doctrinae laude olim floruerit, *aſſeruit* ac vendicavit.

ARTICULUS SECUNDUS.

Exponuntur argumenta, quibus potiſſimum veteres Theologi doctrinam ſuperiori Articulo expoſitam confirmabant.

SI Gerſonem audimus, monſtrum illud opinionis, quod ante Synodum Conſtantienſem multi de Eccleſia tenuerunt, nimirum Papam ſuperiorem eſſe generali Concilio, non niſi quibuſdam Gloſſis nitebatur ab Evangelica aeternaque regula prorſus alienis. Perinde atque non ſolum Divino jure, quod poſitivum vocant, & ex mera Dei voluntate pendet, ſancitum in Evangelio ſit, Pontificem ſubjectum eſſe Concilio; verum etiam aeterna illa & immutabili lege, quae rerum agedarum rationes immutabiles continet, fieri nunquam potuerit, ut Chriſtus totam Eccleſiam, & Synodum Oecumenicam eam repraeſentantem, Romano Pontifici ſubjiceret. Quod quamquam nimium & abſonum eſt, illud tamen Gerſonis verba ſignificant: qui aeſtu contentionis abreptus, quidquid ei in buccam veniebat, libere, ut videtur, etiam in publicis illis venerandiſque Patrum Conteſſibus effutiebat. Sed iis omiſſis, haud abs re erit in momenta & rationes inquirere, quibus expoſitam articulo ſuperiore doctrinam veteres illi Theologi confirmabant, ac temere prolatam a Gerſone, cenſuram repellere, qui eos, ut vidimus, non niſi Gloſſas ab Evangelicis aeterniſque regulis diſſonas attuliſſe, palam ac publice mentitus eſt. Ut enim in ſcriptis contra Bonifacium VIII. editis cernere eſt, non Gloſſae ab eis citabantur, ſed Hiſtoriae, ſed Chronica, ſed Romanorum Pontificum geſta & Conciliorum actus; ac ſpeciatim Concilii Chalcedonenſis, & VI. & VIII. Synodi, & magni Concilii Lateranenſis, nec non Gelaſii & Nicolai Romanorum Pontificum conſtituta: quibus, eorum opinio-

(a) Diſſert. XV. in Conc. Romana ſub Symmacho num. XX.

nione, certiſſime & apertiſſime demonſtretur. neque ipſum *univerſale Concilium* poſſe quidquam juriſdictionis in Romanum Pontificem exercere: Neminem praeter Deum de Romano Pontifice judicare, quum ipſe de omnibus judicet: denique fontem illum eſſe & originem non modo unitatis, verum & Eccleſiaſticae juriſdictionis ac poteſtatis, ita ut Synodi univerſalis decreta nec ſine ipſo, nec niſi per ipſum robur & firmitatem obtineant. Haec porro quae laudabant Conciliorum & Romanorum Pontificum loca Evangelicae inſtitutioni conſona eſſe pro certa habebant, neque vel minimum ambigebant, ab eis divina jura Chriſtique leges violatum iri, qui in eas Romanorum Pontificum praerogativas involaſſent; ut nihil a vero tam longe diſſitum ſit, quam eos non niſi Gloſſas in medium adtuliſſe: atque ut ſuo loco videbimus, in ipſum Gerſonem ejuſque Symmyſtas haec cenſura retorquenda eſt, qui reapſe non niſi commentitiis & adulterinis ex Decreto locis, & temerariis quibuſdam Gloſſulis utebantur. Quod ergo ad *factum* pertinet, falſum omnino eſt, quod Gerſon vetuſtioribus Theologis imputat. Supereſt ergo, ut paullo attentius conſideremus, *jure* ne ea Conciliorum ac Romanorum Pontificum loca, velut ad ſua dogmata confirmanda apta & idonea laudarent. Quod brevius quam rei dignitas poſtularet agemus, quoniam in ſuperioribus Voluminibus haec eadem teſtimonia pleniſſime ac ſollertiſſime expendimus.

Primum itaque laudabatur ab antiquis illis Theologis Chalcedonenſe Concilium, ex quo ſane plura elici poſſunt argumenta, quibus eminentior Romani Pontificis quam Conciliorum generalium demonſtretur auctoritas. Nam 1., ut in ſuperioribus hujuſce Operis Tomis vidimus, S. Leo omnino ac ſollicite cavit, conceptiſque verbis ſaepius prohibuit, ne ſua ad Flavianum Epiſtola in Synodis Epheſina ſecunda & Chalcedonenſi retractaretur, vel earum examini ſubjiceretur. 2. Legati S. Leonis totius fere Synodi Chalcedonenſis ſententiae reſtiterunt, nec ulla ratione paſſi ſunt, ut haec verba, *in duabus naturis*, in fidei formula omitterentur, quae S. Pontifex in illa Epiſtola conſecraverat; minatique ſunt, ſeſe Chalcedone diſceſſuros ad Synodum in Italia celebrandam. 3. Iidem Legati ſententiam in Dioſcorum S. Leonis nomine & auctoritate pronuntiarunt, ut qui *Caput* eſſet *univerſalis Eccleſiae*, illiuſque *praeditus dignitate*, *qui Eccleſiae fundamentum*, *& petra fidei*, *& caeleſtis Regni Janitor nuncupatur*. 4. Univerſa Synodus in ſuis ad eumdem S. Leonem litteris profeſſa eſt, illum totius fere orbis Epiſcopis, non quidem *diſtributive*, ut ajunt, & ſingulatim ſumtis, ſed in ipſa Synodo collectis & congregatis, velut Patrem filiis, & Caput membris, praefuiſſe: ab eoque demiſſiſſime petiit celebris Decreti confirmationem, quod quamquam ab univerſa Synodo comprobatum ipſius Legati improbabant. 5. Canonem illum XXVIII. Chalcedonenſis Concilii S. Leo ſua tantum auctoritate reſcidit, & quidquid pro tribus Capitulis in hac eadem Synodo peractum eſſet, ſequuti Pontifices nullius omnino momenti habendum eſſe dixerunt, quoniam ad ea tantum,

quae

quae ad fidem contra Eutychem adſerendam pertinerent, S. Leo ſuis Legatis, & per eos Synodo contulerat auctoritatem. Cum quibus certe omnibus ac ſingulis pugnare aperta fronte videntur Conſtantienſia Seſſionis quintae Decreta: quibus nimirum, ut Pariſienſibus Theologis placet, ſtatutum eſt, Romanos Pontifices in iis etiam, quae ad fidem pertinent declarandam, obnoxios eſſe Concilio. Repugnantibus Pontificis Romani Legatis, imo & ipſo Romano Pontifice, nihilominus Synodi valere ſententiam; eiſque, invita Synodo, vel abeuntibus, vel alio migrantibus, non ideo Synodum diſſolvi, aut alio transferri. Romanum Pontificem caput eſſe univerſalis Eccleſiae *diſtributive non collective*, hoc eſt ſingularum quidem Eccleſiarum Epiſcoporumque reſpectu, at non omnium in generali Synodo congregatorum: nec ſuper ipſum velut immobile fundamentum & petram fidei aedificatam eſſe univerſalem Eccleſiam, quae ſuam non a Romano Pontifice, ſed ſolum a Chriſto trahit inconcuſſam & immobilem firmitatem. Denique Synodorum decreta non a Romani Pontificis auctoritate aut confirmatione vim ac robur accipere, ſed ab ea poteſtate, quae ipſa Concilia immediate a Chriſto donantur. Quae Synodi Conſtantienſis ſcita ſi cum adlatis Synodi Chalcedonenſis placitis conferantur, palam eſt, ac nemo inficias iverit, ea invicem adverſa fronte pugnare.

Laudabantur quoque ab iiſdem Theologis VI. & VIII. Synodi, quae pariter eiſdem noſtrae doctrinae Capitibus luculentiſſime ſuffragantur, & Conſtantienſibus Seſſionis quintae Decretis adeverſantur. Nam 1. ab Agathone & Hadriano II., perinde atque a S. Leone, diſerte vetitum eſt, ne quae ab ipſis definita & ſtatuta fuerant, ad examen in illis Synodis tanquam minus certa vel firma revocarentur. 2. In utraque Synodo tum Romanis Pontificibus, tum Apoſtolicae Sedi indeficiens fides adſeritur, doctrinaque prorſus immaculata, & Chriſtianae Religionis integra & perfecta ſoliditas, propter eas promiſſiones Apoſtolorum Principi factas, quae nunquam deficere poſſunt: *Ego rogavi pro te &c. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.* Quae per plura ſaecula omnes Orientales Eccleſiae ad Sedis Apoſtolicae pacem & communionem adſpirantes ſollenniter profeſſae ſunt. Unde profecto conſequens eſt, Romanorum Pontificum ſollennia de fide decreta Conciliorum generalium retractationi obnoxia non eſſe; contra atque Conſtantienſibus Decretis, ſi Boſſuetio & aliis Pariſienſibus credimus, ſancitum eſt. 3. Hadrianus II. in Romana Synodo, quam Synodus VIII. ſuſcepit, *Romanum Pontificem*, ait, *de omnium Eccleſiarum Praeſulibus judicaſſe legimus; de eo vero quemquam judicaſſe non legimus:* in Honorium autem ideo in VI. Synodo anathema pronuntiatum eſſe ſubjungit, quoniam propter ſolam haereſis cauſſam licitum eſt *inferioribus* in *ſuperiores* inſurgere. Quibus verbis plane ſignificat, Synodum VI. *inferiorem* Honorio, hunc vero *ſuperiorem* illa fuiſſe. Quod, ut mox videbimus, & ipſa VIII. Synodus ratum habuiſſe videtur. Addit & illud Hadrianus, quod neque in ſexta Synodo fas fuiſſet Patribus anathema in Honorium intorquere, *niſi*

ejuſdem primae Sedis Pontificis praeceſſiſſet auctoritas. Ad quae reſpexiſſe videntur Bonifacii accuſatores, quum Clementem V. ad ipſius Bonifacii memoriam ſine Synodo generali damnandam excitabant, quoniam nec ipſi Synodo generali, *ſine vobis* inquiebant, *& niſi per vos*, de hoc negotio judicare fas eſſet. 4. Synodus VIII. Actione X. Can. II. ideo Nicolai I. & Hadriani II. decretis ſeſe ſubſcribere profitetur, quoniam Apoſtolus praecipit ad Heb. cap. XII. *Obedite praepoſitis veſtris & ſubjacete eis &c.* Quibus verbis Apoſtolus vult, inferiores ſuperioribus ſuis & Praepoſitis ſubjectos eſſe atque obedientes: quae proinde verba in hoc Canone ſacra Synodus non uſurparet, niſi ſe inferiorem, Romanos autem Pontifices ſuperiores agnoſceret.

Laudabant etiam iidem Theologi Gelaſii I. & Nicolai itidem I. Romanorum Pontificum teſtimonia, quae nos quidem alibi expendimus, ſed hîc rurſus inculcare non piget. Gelaſius namque epiſt. XIII. ad Epiſcopos Dardaniae diſerte docet, quod *Sedes Apoſtolica de omni Eccleſia fas habeat judicandi, neque cuiquam de hujus liceat judicare judicio*. Et epiſt. IV. ſeu Commonitorio ad Fauſtum, *Illam*, ait, *de tota Eccleſia judicare, ipſam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam praeceperunt judicio judicari*. Quae generalia verba ne quis cum Boſſuetio, praeter nativum & obvium eorum ſenſum, per partes exponenda, neque ad *omnem ac totam* Eccleſiam etiam in Synodis congregatam, referenda eſſe, contendat; vetant haec alia ejuſdem Sancti Pontificis verba in epiſtola, ſeu Tomo de Anathemate, ubi ſcribere non veretur, quod *Totum in Sedis Apoſtolicae poſitum eſt poteſtate*. Ac propterea, ut ſtatim adjungit, *Quod firmavit in Synodo* (Chalcedonenſi) *Sedes Apoſtolica, hoc robur obtinuit: quod refutavit, habere non potuit firmitatem*. Itaque ex eo quod totum in Apoſtolicae Sedis poſitum ſit poteſtate, conſequens eſt, ut pro ſua auctoritate, vel ut in alia Epiſtola ſcribit, *pro ſuo principatu*, Conciliorum generalium decretis aut robur addat & firmitatem, aut ea irritet ac reſcindat. Quod ei utique nullo modo competeret, qui de tota Eccleſia etiam in Synodis generalibus congregata fas non haberet judicandi. Atque hinc etiam intelligere eſt & haec S. Nicolai verba in eamdem plane ſententiam ad Michaëlem Imperatorem Epiſtola VIII. ſcribentis: *Quoniam quum ſecundum Canones, ubi eſt major auctoritas judicium inferiorum ſit deferendum, ad diſſolvendum ſcilicet vel ad roborandum; patet profecto, Sedis Apoſtolicae, cujus auctoritate major non eſt, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio: ſiquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus: Juxta quod & Bonifacius atque Gelaſius ſanctiſſimi Praeſules, non ſuis adinventionibus, ſed Eccleſiae Romanae conſuetudines non ignorantes dicunt*. Quum S. Pontifex Gelaſium doctrinae ſuae teſtem producat, palam eſt, utriuſque Pontificis unam & eamdem eſſe ſententiam. Quum ergo, Gelaſio auctore, totum in Sedis Apoſtolicae poſitum ſit poteſtate, ideoque pro ſuo principatu ipſa quoque

Con-

Conciliorum generalium decreta irritet aut confirmet; perſuaſum habere debemus, ipſa quoque eorumdem Conciliorum generalium judicia, Nicolai ſententia, ad Sedem Apoſtolicam eſſe referenda: quoniam ubi eſt major auctoritas, illuc inferiorum judicium deferendum eſt, ut pro illius principatu aut ſolvatur aut roboretur; Sedis autem Apoſtolicae auctoritate major in terra non eſt, ideoque omnibus Eccleſiae judiciis ejus auctoritas imminet, ipſa unius Dei ſubjecta judicio.

Denique, ut alia praeteream, laudabantur ab iiſdem Theologis Chronica, Hiſtoriae, & Geſta Conciliorum generalium Romanorumque Pontificum: quibus certum eſt eos ad Marcellinum, Damaſum, Xyſtum III. Symmachum, Leonem III. & alios ejuſmodi Pontifices, eorumque Geſta & Hiſtorias reſpexiſſe: quibus proditum eſt, quod quum ab Adverſariis veluti graviſſimorum criminum rei palam traducerentur; ideoque in Synodos Epiſcopi cogerentur; nemo unquam auſus eſt de illis judicare, vel in eos ſententiam ferre, ob illud videlicet antiquiſſimum, & divino jure conſtitutum Sedis Apoſtolicae privilegium, quod ejus Antiſtites a nemine judicentur, ſed caelo tantum innocentiam debeant, unius Dei ſummi Judicis examini & judicio reſervati. Quae ſpeciatim Romana ſub Symmacho Concilia profeſſae ſunt, eorumque ab avita ejuſdem Sedis Apoſtolicae traditione ductam ſententiam, Ennodius adverſus eorumdem Conciliorum eorumque decretorum temerarios Cenſores praeclaro Apologetico propugnavit, quod in uno illorum Conciliorum Epiſcopi ex tota fere Italia collecti, aliis inſerendum Decretis ſuſceperunt, & habere vim Canonis voluerunt. Porro quae ex hoc Ennodii Libello in rem noſtram elici poſſent argumenta, ea fere occupavit Cl. Thomaſsinus Diſſert. XV. in Concilia Romana ſub Symmacho, ubi a num. I. uſque ad VIII. late demonſtrat, Ennodio Auctore, *ne in univerſali quidem ſive Oecumenica Synodo de prima Sede judicium ferri poſſe*. Atque haec potiſsimum n. IV. in illius Auctoris diſputatione advertenda commendat: „ 1. Praerogativae hujus, „ ut nullius niſi Dei judicio ſubſit prima Sedes, originem derivari a „ Chriſti voce a Petri merito, a Capitis dignitate. Chriſtus enim illis „ verbis. *Tu es Petrus &c. Quaecumque ligaveris &c.* Omnem Petro ſuperſtruendam Eccleſiam ſubjecit, non praefecit: eique indulſit ut ligaret, non ut ligaretur. „ Petri item dignitas innocentiae comes propagata in Succeſſores ejus „ eſt, in quibus ipſe quaſi ſuperſtes „ vivit uſque, judex utique non judicandus. Denique Capitis eſt, „ ſuo membra, non ſe membrorum „ judicio ſubjugare. *Deinde*, quum „ nulla rata ſit & germana Synodus „ niſi a Romano Praeſule convocetur „ confirmeturque: qua demum in „ Synodo legitime in ipſum inquiretur? An mendicata enim ab ipſo „ auctoritas in ipſummet retorquebitur? An per Synodum a ſe collectam & authoratam Judex erit idem ipſe qui reus? *Denique*, quae „ leges Eccleſiaſticae, qui Canones „ depromentur in diſceptanda Romani Praeſulis cauſſa, cum caſsi &

 „ inu-

„ inutiles ſint, niſi ab ipſo ſanciantur „ vel confirmentur? At fruſtra Princeps ad illud quod dedit jus vocatur: nec lator legis lege conſtringitur, niſi volens lubenſque. Haec aliaque ejuſmodi ex Ennodio Thomaſſinus: quae parem vim habere adverſus Synodi Oecumenicae judicium, infra num. VII. pluribus argumentis invicte luculenterque demonſtrat. Qui & num. V. & ſequenti ſapienter monet, ne hanc peculiarem fuiſſe exiſtimemus Ennodii vel Synodi Romanae ſententiam: Aſſentiebatur enim, inquit, Chriſtianus orbis univerſus, imo inclinatiore in Sedem Apoſtolicam devotione ſuperabat. Quod ſpeciatim de Gallicana Eccleſia compertum eſt ex omnium Galliae Epiſcoporum nomine ſcripta ab Avito Epiſcopo Viennenſi de hac Symmachi cauſſa ad Senatores Urbis epiſtola: ex qua videſis quae & nos decerpſimus Tom. 2. lib. IV. cap. XX. Artic. Unic.

Ex his ergo avitae traditionis fontibus ſuam derivabant doctrinam veteres illi Theologi, quos Gerſonius carpit ac lacerat, quod ex textibus Gloſſae, non ad Evangelicam aeternamque legem exactis, temere definirent, Papam ſubjectum non eſſe generali Concilio, nec judicari poſſe per ipſum. At haec quae produximus, & quibus laudati Theologi potiſſimum nitebantur, non ex textibus Gloſſae deſumta ſunt, ſed ex fontibus hauſta Eccleſiaſticae eruditionis. Numquid & haec Gerſon blaterabit Evangelicis aeterniſque regulis conſona non eſſe? Atqui velit nolit concedat neceſſe eſt, & Concilium Chalcedonenſe, & VI. & VIII. Synodum, & Gelaſium & Nicolaum, & Ennodium, alioſque & Pontifices, & Patres, & Synodos, haec Sedis Apoſtolicae jura, & ex Chriſti inſtitutione derivaſſe, qui ſuam ſupra Petrum velut immobile fundamentum aedificarit Eccleſiam; & ex ejuſdem promiſſis, quibus certiſſime praenuntiarit, nunquam fore, ut in Apoſtolorum Principe, ejuſque Sede ac Succeſſoribus fides deficeret, aut ulla vel levi macula adſpergeretur. Id etiam ex hiſce Evangelicis locis eſſe conſequens, in Sollennibus fidei formulis Eccleſia univerſa per plura ſaecula profeſſa eſt. An Gerſonem tot Oecumenicis Synodis, & Romanis Pontificibus, & univerſa Eccleſia, Evangelicarum regularum commodiorem interpretem judicabimus?

CAPUT VII.

„ Ad ſenſum Conſtantienſium Cano„ num conſtituendum praemittitur „ brevis hiſtoria ſchiſmatis: Ex ip„ ſo ſchiſmate fidei periculum, Se„ dis Apoſtolicae contemptus, mo„ rum corruptela, ac neceſſaria „ reformatio.

Quum in hanc de teterrimi & funeſtiſſimi ſchiſmatis origine diſputationem diligentius inquirere, non admodum ad praeſentem controverſiam pertinere aut conferre videatur; ideo quae in hoc Capite Meldenſis Epiſcopus paucis perſtringit, ut ad trutinam revocemus opus non eſt. Eos conſulat Lector qui haec accuratius litteris mandaverunt.

CA-

CAPUT VIII.

„ Tria ſchiſmati quaeſita remedia. „ Concilium Oecumenicum neceſ- „ ſarium. Eccleſia Gallicana ab „ Odorico Raynaldo Wicleſiſmi „ accuſata propter ſubtractam ſi- „ mul obedientiam & Annatas.

PRima Gallia, inquit Boſſuetius, tanto vulneri medicas adhibuit manus: Clerus Gallicanus Lutetiae congregatus anno 1394. Simone Cramando, Patriarcha Alexandrino titulari, Praeſide electo. Quo duce haec profeſſi Gallicani Antiſtites: „ Tendimus ad reintegrationem & conſervationem ſtatus & honoris ſummae dignitatis Papatus, & univerſalis Eccleſiae, ſicut in noſtris conſecrationibus juramus. Hic finis omnium, ut Papalis & univerſalis Eccleſiae dignitas priſtino reponeretur loco. Simul Univerſitas Pariſienſis commoveri coepit: multi tractatus, multi coetus habiti: compertum denique eſt, tria ſanando ſchiſmati accommodata eſſe remedia. Primum, ut contendentes loco cederent. Secundum, quoniam id ab invitis extorqueri non potuit, ut ſe ab eorum obedientia omnes ſubtraherent, ac neutrales eſſent. Tertium, cum periculoſi eſſet exempli, ut ſubjecti ab obedientia ſe ipſi ſubducerent: Concilii generalis auctoritas quaerebatur. In eam poſtea ſententiam ibat frequens conſeſſus Eccleſiae Gallicanae, eodem Cramando Praeſide anno 1406. Hinc tria illa remedia hoc aevo toties celebrata: Ceſſio, Odedientiae ſubtractio ſeu neutralitas, Concilii generalis congregatio.

Haec quidem vera, ſed multis agitata & quaeſita diſſidiis: quorum accuratior enarratio lucem praeſenti controverſiae non modicam adlatura eſt; ut ex ſequenti articulo compertum erit:

ARTICULUS UNICUS.

Exorto ſchismate, eadem quae in ſuperioribus Articulis expoſita sunt ab avita traditione derivata dogmata, in Scholis Theologicis obtinuiſſe, compertum eſt ex Theologorum aeſtu graviſſimisque diſſidis, in mediis ſtatuendis, quibus pax in Eccleſia reſarciri poſſet.

QUod teterrimum ſchiſma altiores in dies radices ageret, Theologi toto pectore incubuerunt in exquirenda remedia, quibus Eccleſiae periclitanti ſubveniretur, & pax, & unitas & concordia jamdiu labefactatae reſarcirentur. Sed in mediis proponendis ac ſtatuendis, quibus tot tantaque commoda parari poſſent, mirum quantum & Eccleſiae Procerum, & Theologorum judicia variarint, ſeſeque viciſſim acerbis ac virulentis ſcriptis proſciderint. Totum autem ejuſmodi diſſidium inde prodiiſſe videbimus, quod haec in Chriſtianis ſcholis adhuc vigerent de Romani Pontificis auctoritate dogmata. 1. Non poſſe ſine illius adſenſu generalem Synodum celebrari. 2. Synodi generalis decreta rata non eſſe, nec vim aut robur habere, niſi illius auctoritate firmentur. 3. Romanos Pontifices, niſi aut haereſim tueantur, aut ſchiſma foveant, quod quum inveteratum eſt, in haereſim deſinit, ab Oecumenicis Sy-

Synodis judicari non poſſe. Quod haec, inquam, de Romani Pontificis auctoritate dogmata communi Theologorum ſententia probarentur, inde acerrime contentiones in decernendis arripiendiſque mediis, quibus Eccleſiae pax & tranquillitas reſtitueretur. Nam 1. propoſita eſt, ſed ſtatim rejecta aut neglecta generalis Synodi celebratio. 2. Propoſita eſt, & fere ab omnibus, ſed incaſſum & inanibus votis, probata utriuſque de Pontificatu contendentis voluntaria ſpontaneaque dignitatis conceſſio. 3. Propoſita eſt ab utriuſque obedientia ſeceſſio, multis improbata: aliis autem probata, quod ab his, qui cedere ſponte renuerent, jam velut ſchiſmaticus & haereticus haberetur. Quod quidem de praeſtanda vel deneganda obedientia diſſidium quum novum gigneret ſchiſma, rurſum Theologi ad Synodi generalis celebrationem animum converterunt: quae tandem Piſis ab utriuſque, ut vocabantur, *Obedientiae* Cardinalibus, indicta eſt, de qua ad ſequentia Capita differemus. Interim vero ut majorem praeſenti diſputationi lucem adferamus, tria illa quae propoſuimus, diſtinctis §§. pertractabimus, elicitiſque ex coaevis & authenticis monumentis probationibus inſtruemus.

§. I.

Synodi generalis celebrationem tanquam viam exſtinguendo ſchiſmati accommodatam inter primos propoſuiſſe videtur Henricus de Haſſia: At Synodum cogitabat, cujus a Romano Pontifice decreta penderent. Neglecta eſt haec via, quod neque de Pontificatu contendentes in eam conſenſuri eſſent, nec ſine Romani Pontificis consensu Synodus celebrata quidquam habitura roboris eſſet.

Sedentibus Romae Urbano VI. Avenione autem Clemente VII. in tres quodammodo factiones Chriſtiana Reſpublica diſciſſa eſt: quarum altera *Urbaniſtarum* dicta eſt, quod Urbano obſequeretur; altera *Clementiſtarum* aut *Clementinorum*, quod Clementem pro Pontifice haberet; tertia *Indifferentium* ſive *neutralium*, quod neutri Pontifici adhaererent; exſpectandum rati donec generalis Synodus haberetur, quae utriuſque diſcuſſis juribus, certam proferret ſententiam, unique eorum Apoſtolicae Cathedrae adſereret principatum. Hos inter emicuit Mag. Henricus de Langenſtein de Aſſia Academiae Pariſienſis Vice-Cancellarius, duobus non longe ab initio ſchiſmatis editis Tractatibus, quorum alterum *Epiſtolam pacis*, cujus ſpecimen exſtat Tom. IV. Hiſtoriae Univerſitatis Pariſienſis pag. 575. alterum *Epiſtolam conſilii pacis*, inſcripſit: qui publici juris factus eſt Tom II. Actorum Concilii Conſtantienſis in Germania editorum, rurſumque Dupinii opera cuſus in Appendice Tomi II. Oper. Joh. Gerſonis. In

hujus

hujus ergo Tractatus capite XIV. quamquam ſeptem indicat vias, attamen quintam, quae Concilii generalis eſt, ceteris praefert ut rationi maxime conſentaneam & expeditam ad Eccleſiae pacem redintegrandam. Deinde Cap.ſeq. docet, jure quidem & lege communi, Concilium ſine Pontificis auctoritate convocari non poſſe: at evenire poſſe aliquos caſus, in quibus ea lex ſervari nequeat: ac praeter hunc de duobus aut pluribus, qui ſibi aequo fere jure Apoſtolicam vindicent dignitatem, alios quatuor recenſet, quorum duo ex hypotheſi proficiſcuntur, quod Pontifex haereſim profiteatur; ceteri ex alia hypotheſi, juxta quam Sede vacante Cardinales aut nolint aut non poſſint novum Eccleſiae Pontificem libera electione praeficere. Quod ergo pertinet ad primum caſum, , jus generalem Synodum convocandi Purpuratis Patribus adſerit. Subjungit tamen, quod *forte ad majorem ſecuritatem expediret, quod uterque electorùm conſentiret congregationi Concilii: quia pauci dubitant, quin unus eorum ſit Papa. Et ita ſatisfieret Canonibus, qui contrarii videntur.*

At praeter hanc de convocatione, alia erat haud levior expedienda quaeſtio; cujus nimirum auctoritate valitura eſſent ac robur habitura quae Synodus ſine Pontifice ſtatuiſſet. Hanc ille ſibi difficultatem opponit, ac paucis reſpondet, ea Chriſti auctoritate valitura, qui Eccleſiae velut caput indivulſe cohaeret, eam ſuo ſpiritu vegetans & gubernans. Attamen ne quis propterea exiſtimet, aut abſolute majorem eſſe Concilii generalis quàm Romani Pontificis auctoritatem, aut indiſcriminatim Concilii generalis Decreta ἀμέσως ex inviſibili, non autem ex adſpectabili Eccleſiae capite robur accipere & firmitatem; ideo prae oculis habenda ſunt quae ſequuntur: *Si dicitur objiciendo praedictis: Papa eſt major Concilio. Reſpondetur*, inquit; quid quaeſo reſpondetur? Numquid abſolute negandam eſſe, & tanquam haereſim aut monſtrum opinionis habendam ejuſmodi propoſitionem? At nondum Pariſienſes Theologi tales ſenſus induerant: Gerſonem aliquem exſpectabat veritas liberanda: *Reſpondetur*, ergo, *quod in caſu noſtro*, quo Eccleſiae Conciliove certus non praeſidet Pontifex, *Concilium nihil ſtatuet, donec ante omnia congregatum, & clarificatum fuerit, ſive auctoritative ſive magiſtraliter, quis ſit verus Papa. Quo facto, ille accedet Concilio, ſi velit, & facta & fienda amplius in eo*, PER IPSUM ROBUR HABEBUNT. Quae ſane cum Gerſonianis hodiernisque Pariſienſium placitis adverſa fronte pugnant. Concilium, inquit, *nihil ſtatuet*, donec certus fuerit ac legitimus Pontifex definitus. Non ergo pertinacem illorum contentionem probaſſet, qui poſtmodum in Synodo Conſtantienſi in Eccleſiae reformationem ante incumbendum eſſe ſentiebant, quam de novi Pontificis electione ageretur. Subjungit: *Accedet Concilio, ſi velit*. Non ergo Pontifex in Synodi poteſtate futurus erat, ſed Synodus in Pontificis poteſtate: qui enim ſuo arbitratu ad Synodum acceſſurus eſſet, non utique a Synodi coactiva poteſtate penderet; ejuſque voluntate futurum erat, ut Synodus aut prorogaretur, aut ſtatim diſſolveretur. Denique *facta*, inquit, *& ſi-*

& fienda in Synodo, *per ipſum robur habebunt*. Haec plane Gerſonis & Pariſienſium dogmata funditus labefactant. Hinc enim omnino conſequens eſt, non a Concilii generalis decretis Pontificem, ſed haec potius a Pontificis auctoritate & confirmatione pendere roburque trahere & ineluctabilem firmitatem.

Subjungit quidem & aliam reſponſionem, ſed quae praemiſſam doctrinam non modo non infringit, verum & egregie confirmat: *Vel dicitur*, inquit, *quod Eccleſia Catholica modo ſuperius declarato eſt in hoc caſu ſuperior Papa: a qua cum ipſe ſit Catholicus, non eſt excluſus, imo eſt ipſius caput ſecundarium. Cujus defectum, vel cum illud non eſt, vel cum eſt & non conſtat quis eſt, ſicut eſt in propoſito, ſupplet Chriſtus Caput Eccleſiae ſuae inſeparabile & primarium*. Non ergo indefinite ac generatim, ſed in *hoc* ſchiſmatis *caſu* Eccleſia vel Concilium Pontifice ſuperior eſt: neque quum legitimus Pontifex adeſt, ſed quum aut nullus eſt, aut non conſtat quis eſt, ſuam Chriſtus ipſe per ſe ſe & ἀμέσως Concilio auctoritatem largitur: adeoque quum certus ac legitimus Pontifex Concilio praeſidet, ea ab inviſibili Capite per caput viſibile in Synodum derivatur.

En qualem Synodum ſapiens ille imprimis maximeque pius illius aetatis Theologus, totque & Johannis Gerſonis & Henrici Von der Hardt & aliorum celebratus laudibus, cogitabat. Non eam profecto, quae nullius Pontificis auctoritate coacta *immediatae* a Chriſto poteſtatem haberet, non modo ad dubios Pontifices in ordinem redigendos, & certum atque indubitatum Eccleſiae praeficiendum; verum etiam ad eamdem Eccleſiam in Capite & membris reformandam, & fidei dogmata diſciplinaeque decreta ſancienda, quibus ipſe Pontifex ſubjiceretur, ad eorum obſervationem poenarum etiam inflictione adigendus. Non, inquam, talis Haſſiaco Synodus obverſabatur, qui Concilii generalis auctoritatem ad haereticum Pontificem judicandum, & ad caſum ſchiſmatis, coërcebat: cetera vero Concilio ſine Pontifice aut prorſus non attingenda, aut non niſi per ipſum robur habitura exiſtimabat.

Hanc Synodi generalis viam velut ad conſequendam unionem magis aptam & accommodatam, non modo alii privati Theologi confirmarunt, verum & Pariſienſis Academia adprobavit, quemadmodum Gerſon teſtatur in Propoſitione, ipſius Univerſitatis nomine facta coram Anglicis euntibus ad Piſanum Concilium Conſid. 3. Verum propter plurimas, quae hinc inde emergebant difficultates neglecta poſtmodum longo tempore eſt haec celebrandae Synodi Oecumenicae ratio. Haerebant enim plurimorum mentibus ea dogmata, quae Synodi generalis celebrationi inſuperabile impedimentum adferre videbantur. Quaerebatur enim primo quis Synodum convocaturus & coacturus eſſet: Id enim juris Romanis Pontificibus adſerebant. Deinde quis Synodo daturus eſſet auctoritatem: hanc enim ex Romano Pontifice velut ex fonte in Synodos Oecumenicas permanare, quamplures illius aevi Theologi perſuaſum habebant. Denique undecumque Synodo auctoritas accerſiretur; huic tamen ſubjectos non eſſe Sedis Apoſtolicae

cae

cae Praeſules, quos niſi haeretici ſint, unius Dei judicio ſubjacere, ex conſtanti Eccleſiae traditione compertum erat. Itaque haec atque alia eodem ſpectantia ex omnibus quae ſuperſunt illius temporis monumentis ad veritatem plane conſtant. Nam & qui Synodo adverſabantur, haec potiſſimum obtendebant, & qui Synodum commendabant, in iis, velut ab aliis objectis ſibique explanandis, verſabantur. Haud abs re eſſe judicamus aliquot harumce rerum teſtimonia probationeſque proferre.

Univerſitas Pariſienſis in litteris ad Benedictum Decimumtertium, quibus ei prae ceteris viam voluntariae ceſsionis commendat, hanc inter ceteras exhibet objectam Synodo difficultatem (a); „ Sed & aliqua im„ minet difficultas ex parte praeſiden„ tiae. Nam cum ſecundum doctri„ nam plurimorum Juriſconſultorum, „ Papa ſit ſupremus Judex Eccleſiae, „ qui omnia dijudicat, & a nemine „ judicatur, & cui non eſt qui dicat „ cur ita faciat; imo per ipſum uni„ cum poſſit cogi Concilium, tota „ quoque Concilii per ipſum ſtet au„ ctoritas: quis reperiri poterit qui „ illic convenienter praeſideat, aut „ Papam judicet, praeſertim extra „ haereſis nequitiam? Uterque au„ tem ſe Papam profitetur, & velut „ Papam ſe gerit.

Quum eadem Univerſitas eamdem ceſſionis viam vehementer urgeret, ad eamque compellendum eſſe Benedictum, & ſaltem generalis Synodi auctoritate poſſe compelli, palam vociferaretur, ac publice praedicaret, non omnes huic ſententiae Academiae Doctores conſentiebant. Exſtant Tom. IV. Hiſt. Univerſitatis Epiſtolae duae, *a quibuſdam in ſacra Theologia Magiſtris* ad Praelatum Papae familiarem tranſmiſſae: quibus primo loco novem Pariſienſium Quaeſtiones exhibentur, quibus ſumma & ineluctabilis, Romani Pontificis auctoritas in controverſiam adducebatur. Notanda eſt autem potiſſimum quaeſtio ſexta: *Utrum Papa viam ceſſionis recuſans, ad eam poſſit compelli; & ſi ſic; per quem, & quomodo?* & octava: *Utrum Papa ſubjiciatur Concilio ſuae obedientiae in caſu recuſationis &c.* & nona: *Utrum . . . . . competat aliquod remedium appellationi ad Concilium generale, vel alias a gravamine illato vel inferendo per Papam in hac materia?* His aliiſque ejuſmodi contra Papam, ut ajunt, & Eccleſiaſticam poteſtatem, quaeſtionibus, decem aliae quaeſtiones opponuntur, quibus eorumdem Pariſienſium doctrina perſtringitur, & in haereſeos ſuſpicionem manifeſte vocatur: ut ex ſequenti Quaeſtione V. compertum eſt: *Utrum iſtis duobus attentis, 1. Quod in tota lege divina ipſi perſonae, nec communitati totius militantis Eccleſiae, datur extra forum conſcientiae juriſdictio ſuper Romanum Pontificem, ſed ipſi ſuper omnes. 2. Quod pro determinato univerſalis Eccleſia habeat, quod etiam generale Concilium non habet poteſtatem judicandi Papam invitum: illi qui contrarium publice dogmatizant, vel illud quod de hoc Eccleſia docet & tenet in dubium revocare conantur, ſint cenſendi, haeretici, ſeu vehementer de haeretica*

(a) Exſtant Tom. IV. Hiſt. Univerſit. Pariſ. pag. 740. & ſeqq.

pravitate ſuſpecti? An his Theologis unquam veniſſet in mentem, doctrinam, quae pervulgata non fuiſſet, neque communi ſcholarum uſu contrita, tanquam ab Eccleſia definitam adſumere; & qui eam in dubium revocaſſent, velut haereticos, aut vehementer de haereſi ſuſpectos traducere? Nec diſſimulanda ſilentioque involvenda Quaeſtio decima eſt: *Utrum Deus, qui ſolus, & nullus alius, plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis ſeu auctoritatem Papalem dare poteſt, dederit unquam alicui perſonae vel communitati creatae poteſtatem auferendi illam auctoritatem a Papa, quam immediate ipſemet Deus ſibi contulit; & ſi ſic, ex quo textu ſacrae Scripturae, vel alterius cujuſcunque, cui Papa credere teneatur, hoc poſſit haberi?* His ergo quaeſtionibus petunt, ut Pariſienſes ſerio reſpondeant, ſuaſque reſponſiones luculentis nec miſere detortis ſacrarum litterarum teſtimoniis communiant. Quod dum ab eis praeſtolantur, ipſi interim in ſecunda epiſtola plures Theſes ſubjiciunt quibus ſuam de praemiſſis Quaeſtionibus ſententiam aperiunt: ex quibus hîc potiſſimum prae oculis habendae ſunt nona, decima, undecima, & duodecima. Nam Theſi nona ſtatuitur: Quod *quae vel qualis via debeat obſervari pro unione Eccleſiae procuranda, Praelati Eccleſiae majores & alii ſunt Conſiliarii, ſed ſub Deo ejus immediatus Vicarius ſolus judex*. Theſi decima: Quod *Papa non habet in terra ſupra ſe judicem, nec poteſt per non ſuum judicem compelli ad ceſſionem*. Theſi undecima: Quod *qui publicae dant doctrinam & conſilium compellendi Papam ad faciendam Ceſſionem, non ſolum ſunt exterminandi, ut conſpiratores, & in Eccleſia Dei ſeditionis concitatores, ſed ut pravitatis tam ſchiſmaticae quam haereticae ſeminatores*. Theſi duodecima: Quod *ſicut nulla creata perſona, nec Communitas totius Eccleſiae militantis poteſt, nec unqnam potuit dare Papae immediatum Chriſti Vicariatum: ita nec aliqua talis perſona vel Communitas* (etiam totius Eccleſiae militantis) *poteſt auferre ſibi invito illam Vicariatus auctoritatem, quae eidem non ab hominibus, ſed a ſolo Deo eſt immediate collata*. His porro Theſibus comprehenſam non fuiſſe privatam quorumdam Theologorum doctrinam, ſed in Eccleſia & in Scholis Theologicis pervulgatam, illud, ut diximus, argumento eſt, quod ſecus contrariam propugnantes nunquam auſi fuiſſent ſchiſmaticae atque haereticae pravitatis inſimulare. Quod Gerſonis teſtimonio egregie confirmatur, qui de Poteſt. Eccleſ. Conſid. XII. hoc eodem argumento demonſtrat, hanc de Romani Pontificis abſoluta nullique praeter Deum obnoxia poteſtate doctrinam plurimorum mentes ante Conſtantienſem Synodum pervaſiſſe: *Ante celebrationem ſacroſanctae hujus Conſtantienſis Synodi ſic occupaverat mentes plurimorum ... iſta traditio, ut oppoſitorum dogmatizator fuiſſet de haeretica pravitate ſuſpectus, vel damnatus.* Subjicitur paullo poſt in eodem Tom. IV. Hiſtoriae Univerſitatis aliud ſcriptum ſatis prolixum & elaboratum, quod Legati Academiae Pariſienſis Richardo Anglorum Regi obtulerunt, ut eum quoque ad urgendam Ceſſionis viam excitarent, quam ceteris quae commendabantur, belli, Compromiſſi, Concilii generalis &c. eſſe praeferen-

ferendam, quam plurimis & textibus & argumentis demonſtrant. Quod autem ſpeciatim pertinet ad Concilii generalis celebrationem, ſcripti Auctor obſervat, in ea difficultates occurere, *quoad aggreſſum, progreſſum & egreſſum*: Quae ſingillatim proſequitur: ac *de aggreſſu*, inquit, *patet reſpectu convocationis Concilii, & illius praeſidentiae: quia non habetur Papa unicus & indubitatus, cujus convocationi obediretur, maxime quoad neutrales, nec cujus auctoritate celebraretur*. De Elect. ſignif. *Ex quo alicui poſſent difficultare hujuſmodi viam quo ad egreſſum dicentes, hujuſmodi ſententiam non tenere, quaſi non eſſet lata auctoritate judicis competentis*, Et infra ſubjungit, quod *etiam poteſt difficultare impedimentum juris per* Cap. Nemo 9. q. Cum in No. & 2. quaeſt. 5. Mandaſti ubi No. *Quod etiam Concilium non poteſt Papam deponere.* Et antea ex eodem Cap. *Nemo*, obſervaverat, *Quod etiam Concilium non poteſt judicare Papam*.

Verum hoc ſcriptum, licet multis gravibuſque rationibus communitum, Oxonienſi Univerſitati, cui illud legendum & examinandum Rex Angliae communicavit, ut viam Ceſſionis probaret, minimae perſuaſit. Praeferebat illa Concilii generalis celebrationem. Nec tamen Concilium cogitabat, quod invito ac repugnante Pontifice haberetur, aut de legitimo Pontifice judicaret: ſed quod Bonifacii IX., quem ceu legitimum Pontificem venerabatur, *beneplacito* celebraretur, ad Benedictum XIII. Pſeudo-Pontificem dejiciendum. Inſerta eſt Epiſtola Oxonenſis Univerſitatis ad Regem Tom. IV. Hiſt. Univerſit. Pariſ. pag. 776. & ſeqq. conſulenda imprimis pag. 783. & pag. 777. ubi diſerte docet, quod nulla Creatura, neque ipſa etiam univerſalis Eccleſia duos illos de Papatu contendentes, invitos & repugnantes cogere poterat ad cedendum; adeoque ab eorum opinione quam longiſſime aberat, qui poſtea Concilio generali poteſtatem coactivam in Romanos Pontifices adſerere non dubitarunt.

Quum Univerſitas Pariſienſis & Eccleſia Gallicana jamdiu in id negotii toto pectore incubuiſſent, ut Benedicto liberam & voluntariam Ceſſionem adprobarent: longo autem experimento didiciſſent, ſibi cum homine rem eſſe, cujus eſſet inſuperabilis pertinacia, illi tandem ne poſthac parerent conſtituerunt. Quod tamen ne temere aggredi vid rentur, in frequenti Epiſcoporum totius Regni Doctorumque Conventu rem iterum expendi placuit, tribus electis ac deſtinatis, qui Benedicti partes & jura tuerentur, ac totidem qui in eum inveherentur, & ſeceſſionem commendarent. In ea vero diſputatione plura utrinque loca occurrunt, ex quibus aperte liquet, doctrinam, quae Romanum Pontificem unius Dei judicio ſubjicit, ſatis communem id temporis ac pervulgatam in Eccleſia Gallicana fuiſſe. Primus, qui pro Benedicto in arenam deſcendit, nec eum per *obedientiae ſubtractionem* ad *Seſſionem* eſſe cogendum probare aggreſſus eſt, fuit Petrus Ravati Epiſcopus S. Pontii ac Decretorum Doctor: in cujus diſputatione primum obſervo, quod tanquam *certum* pronuntiat: *quod Papatus non perditur niſi per ſolam infidelitatem*. Et rurſus: *Quia ex uno ſolo, ſcilicet haereſi perditur Papatus*. Deinde obſervo, quod

ex hujus Epiſcopi ſententia Romanus Pontifex ſupra jus poſitivum eſt, ac de illo loquitur jure, quod Conciliorum Generalium & Provincialium Decretis ab ipſiſmet Romanis Pontificibus confirmatis; conſtitutum eſt, ac ſubjungit: Quod *conditor Canonum Papa eos aliquando obſervat; aliquando autem ſe dominum oſtendendo, contra eos facit: & etiam quaecunque de decimis & aliis Eccleſiaſticis negotiis tractata ſunt, rata habenda ſunt, niſi auctoritas Romanae Eccleſiae aliud duxerit ordinandum*. Quae certe cum ea quae poſtmodum apud multos in Galliis invaluit de Concilii Oecumenici ſupra Romanum Pontificem auctoritate, opinione conciliari nulla ratione poſſunt. Hi enim Romanum Pontificem Conciliorum generalium Canonibus ſubditum eſſe volunt, non autem illis praepoſitum eſſe ac dominari: nec eum Conditorem Canonum ea ratione dici permittunt, quod ex ipſo Conciliorum decreta pendeant ut rata vel irrita ſint. Quae tamen omnia in adlatis verbis is quem laudavi Praeſul Romano Pontifici vindicavit. In ejus deinde locum pro Benedicto itidem diſputaturus ſucceſſit F. Petrus Emilarii Ord. Praed. Theologus: qui prima concluſione ſtatuit, Chriſtiano licitum non eſſe, *cogere Papam ad cedendum & reſignandum*. Quod inter alias rationes ex eo probat, quod in Evangelio ait Chriſtus: „ Quos Deus conjunxit, „ homo non ſeparet: *ſed Papa*, inquit, *eſt conjunctus Eccleſiae per Deum*: *Nam ei dicit Chriſtus*: „ Paſ„ ſce oves meas. Et infra ſubjungit, quod *Papae depoſitionem ſibi Dominus reſervavit*. Ac rurſus: *Papa*, inquit, *non habet ſuperiorem coram quo poſſet conqueri, ſi fieret ei ſubtractio, aut facto contra eum uteretur*: *quia de eo dicit Scriptura*: Super omnia bona ſua conſtituet eum: *Igitur ceſſio per ſubtractionem inducta eſſet nulla*, *nec poteſt compelli ad cedendum*: quoniam juxta Albertum M. in 2. ſent. *Juramentum factum per metum, ubi non poteſt haberi recurſus ad Superiorem, eſt nullum*. Quae omnia eo pertinere compertum eſt, ut uni Deo ſubjectus, & ab eo dumtaxat judicandus Romanus Pontifex intelligatur. Quo etiam pertinet quod ait Johannes de Coſta legum Doctor Tholoſanus, qui tertio loco pro Benedicto diſſeruit; nimirum: quod *Papa ſuperiorem non habet*, *ſed eſt omnium ſuperior*, *qui non poteſt adſtringi*, *maxime a minori*.

Poſtmodum adverſus Benedictum, & pro ſeceſſione primo loco diſſeruit Simon Cramandus Patriarcha Alex. cujus oratio eo collimavit, ut Benedictum velut ſchiſmaticum & haereticum jure Papatus excidiſſe demonſtraret; ac proinde non ei amplius praeſtandam obedientiam, ſed ejus ſubtractione cogendum, ut Apoſtolicae dignitatis inſignia vel invitus dimitteret. Quae generatim ſumta noſtrae doctrinae non adverſantur: nam Pontificem ſchiſmaticum & haereticum Eccleſiae ſubjectum eſſe judicio, nequaquam imus inficias. Atque idem ſcopus alterius Orationis, quam habuit Petrus Regis Abbas S. Michaelis in periculo maris, Pariſienſis Decretorum Doctor, in qua id potiſſimum notandum eſt, non potuiſſe, juxta ipſius opinionem, in eo inveterati ſchiſmatis caſu *haberi recurſum niſi ad Principes ſaeculares*: *quia Papa*, inquit, *ſuperiorem non habet*. Quod qua ratione

ſit

ſit intelligendum colligi facile poteſt ex Oratione Aegidii de Campis, qui tertio loco de eodem argumento fuſe lateque diſceptavit, & adverſus Pontificem *notorie*, ut ajebat, ſchiſmaticum & haereticum *via facti* per Principes ſaeculares procedendum eſſe contendit: *Primo*, inquit, *propter auctoritatem Papae, quia eſt porta auctoritatis. Item quia ſuperiorem non habet, qui eum valeat corrigere*, juxta Cap. Si Papa 40. Diſt. *aut ad quem habeat recurſum*. Quod luculentius poſtea declarat, dicens, debite ab ejus obedientia eſſe recedendum, *licet non appareat de ſententia lata per ſuperiorem: Quia*, inquit, *Papa ſuperiorem non habet, qui eam ferat*. Et ſubjungit: *Mirum eſt, D. S. Pontii, qui tantum exaltavit Papae auctoritatem, dixit, quod Papa eſt ſubditus Concilio: quoniam de hoc sunt opiniones*. Epiſcopus S. Pontii non abſolute ac generatim dixit, Pontificem ſubjectum eſſe Concilio, ſed ſolum, Papam ſchiſmaticum & haereticum: quem ait non ſtatim a jure Papatus excidere, ſed requiri declarationem habentis poteſtatem; *& in hoc caſu*, inquit, *Concilium generale eſſe judex*. Ceterum jam ſuperius oſtendimus, Pontificem, ex illius quem memoravi Epiſcopi ſententia, Conciliorum etiam generalium Canonibus ſubditum non eſſe, ſed eis tanquam ſupremum Conditorem Canonum dominari. Et in altera de eodem argumento diſputatione diſerte idem Epiſcopus ait: Quod *Papa ſuperiorem non habet, nec jure adſtringitur*. Et rurſum: *Et ſi dicatur, hoc eſſe contra Concilia generalia, non obſtat: quia, ut dictum eſt, Papa poteſt contra Concilia generalia*. Sed ut ad Aegidium revertamur, duas ille circa praeſentem controverſiam Doctorum opiniones diſtinguit: *Quidam enim dicunt, quod ſolus Papa habet claves, & quod Concilium non habet; & ſi ita eſſet, Concilium non poſſet ferre ſententiam: & ſic opus eſſet facto*. Haec opinio, ut ſupra ex Gerſone oſtendimus, id temporis ità invaluerat, & mentes hominum occupaverat, ut qui contrariam defenderent, tanquam haeretici aut de haereſi vehementer ſuſpecti traducerentur. Quae altera opinio eſt, quam ſubinde idem Doctor paucis exponit.

Seceſsionem a Benedicto, quam Academia Pariſienſis primùm ſuaſerat, ac deinde Eccleſia Gallicana ſuſceperat, Univerſitas Toloſana datis ad Regem graviſsimis & acerbiſſimis litteris improbavit: in quibus plurima occurrunt, quae veritati praeſidio eſſe poſſunt & adjumento; hodiernam autem Pariſienſium Theologorum ſententiam exagitant graviterque perſtringunt. Quae tamen quoniam nimis prolixa ſunt, ne taedio Lectori ſint, extra textum rejicere viſum eſt (*a*). In his porro Academia docet,

(*a*) Cum autem auctoritatem congregandorum Conciliorum generalium & aliorum, ubi de ſtatu univerſalis Eccleſiae agitur, & Summi Pontificis ejus ſponſi, manifeſtum ſit tantum ad Romanum Pontificem pertinere: Quis ſanae mentis pertinaciter adfirmabit, quemquam ſine auctoritate Sedis Apoſtolicae, cui in ſolidum praeeſt Papa, ad examinandam potiſſime cauſſam criminalem ipſius Romani Pontificis, poſſe gene-

docet, quod nulla particularis ſeu generalis Synodus ad ea ſancienda, quae univerſalis Eccleſiae ſtatum reſpiciant, vel ad ipſum etiam Romanum Pontificem judicandum, ſine ipſius Romani Pontificis Sediſque Apoſtolicae auctoritate legitime congregatur. Quod ad talia pertractanda, Concilia etiam generalia a Sede Apoſtolica, cujus caput Romanus eſt Pontifex, recipiunt auctoritatem. Quod quidquid eo non probante decernitur, irritum eſt & robore caret. Quod Romanus Pontifex omnes judicat, ipſe a ſolo Deo judicandus, niſi fidem Catholicam violarit. Quod ipſum etiam ſchiſmaticum & haereticum nemo jure ac legitimo judicat, niſi Concilium generale ipſius Romani Pontificis auctoritate munitum. Quod ut ſuperius oſtendimus, Hadriani II. de Honorii per ſextam Synodum damnatione loquentis teſtimonio conſonum eſt in iis litteris, quas Synodus octava recepit & comprobavit.

Denique aliis omiſsis, libet adjicere & Johannis Gerſonis teſtimonium ex quo apertiſsime conſtat, nondum ei fuiſſe per haec tempora revelatum, quod poſtea tanta contentione ac pertinacia defendit; videlicet, non modo in cauſſa ſchiſmatis, verum & in aliis quampluribus cauſsis, poſſe Synodum generalem jure ac legitime ſine conſenſu ac nutu Romani Pontificis celebrari: Nam dubiam, fluxam, incertam & in ancipiti poſitam, vel etiam omnino nullam eſſe ejuſmodi Synodi auctoritatem, quum Tractatum, de ſchiſmate concinnaret, candide profitebatur, *Nulla*, inquit (*a*), *congregatio habet vim Concilii generalis, niſi fiat in forma Juris, ſaltem non erit veriſimile vel neceſſe, quod omnes obediant ſententiae talis Congregationis, quae non erit in forma Juris congregata; & ita erit totum, quod ibi agetur, dubium, fluctuans & invalidum. Concilium autem generale non poteſt convocari in forma Juris, niſi* aucto-

---

generalem aut particularem Synodum congregare? Nullum enim generale aut particulare Concilium circa praemiſſa vel aliquod praemiſſorum celebratum, ratum eſt, aut erit unquam, quod non fuerit Sedis Apoſtolicae, cujus caput eſt Papa, a quo in ſolidum talia receperunt poteſtatem Concilia, judicio & auctoritate fulcitum. Quod cum fuerit dictae Sedi Chriſti juſſione, & venerandorum Conciliorum declaratione conceſſum in ſolidum, nullus quantacumque auctoritate praefulgeat, hoc ſibi poterit uſurpare. Multis denique Apoſtolicis, Canonicis & Eccleſiaſticis regulis edocemur, non debere abſque auctoritate & conſenſu Romani Pontificis generalia Concilia celebrari. Quod ſi aliter factum exſtiterit, non Concilium, ſed Conventiculum ſeu Conciliabulum dicetur; & quidquid in ipſo actum fuerit, irritum erit & vacuum, & contra facientes Sedis Apoſtolicae communione carebunt. Nec legitur, praeter Apoſtolici apicis ſanctionem aliquid fuiſſe conſtitutum ſuper cauſis majoribus, ſed tantum praefatae Sedis arbitrio terminatum. *Et infra*: Hujus (*Sedis Apoſtolicae Praeſulis*) cauſas iſthic redarguere praeſumit mortalium nullus: quia cunctos ipſe judicaturus, a nemine judicandus eſt, niſi deviaret a fide. Et ſi D. N. Papa haereticus aut ſchiſmaticus falſe aemulis vociferatur a multis, Sereniſſime Princeps, hoc cognoſcere non eſt veſtrum, non particularis Concilii Regni veſtri, ſed auctoritate ſua coacervari generalis Concilii &c. *Et rurſum*: Nihilominus ipſum (*Romanum Pontificem*) denuntiari oportuit non partiali praeſumto, ſed auctoritate Apoſtolica convocato Concilio generali &c.

(*a*) Tom. II. Tract. de ſchiſm. col. 19.

auctoritate Summi Pontificis, Diſt.17. *cum ibi allegatis*. Unde illud conſequens eſt, quod multi, ut jam vidimus, obtendebant; nimirum Synodum generalem neſcio aut repugnante ſummo Eccleſiae Praeſule congregatam, nihil roboris habituram ad Eccleſiae pacem reſtituendam. Quod etiam, ut ex alio ejuſdem Gerſonis loco plane liquet, Piſanae Synodo a Cardinalibus congregatae plures obiiciebant (*a*): *Difficultuant aliqui Concilium. Primo, quia ſolus Papa poteſt convocare Concilium* 17. Diſt. *Et quod iſta duo Collegia faciunt unum ſine auctoritate*. Quae aliaque omnia hic nobis hactenus recenſita quicunque legerit, facile intelliget, quam temere ab eodem Gerſone dictum poſtmodum ſit, quod ſententiam, quae Concilium generale Romano Pontifici ſubjicit, *nullus unquam Theologus, maxime Pariſienſis, aſſeruit*.

§. II.

Rejecta, ſeu potius neglecta, ob eas quas diximus aliaſque difficultates, Concilii generalis celebratione, in utriuſque de Papatu contendentis voluntariam ceſſionem, velut in viam ceteris ad obtinendam Eccleſiae pacem aptiorem omnes ferme & Patres & Theologi conſenſerunt.

NIhil eſt cur in hac propoſitione demonſtranda plurimum ſtudii atque operae collocem, quum vel ipſis, qui horumce temporum hiſtoriam quam leviſſime attigerunt comperta ſit ejus veritas atque explorata. Quamquam enim Academia Pariſienſis tres ad Eccleſiae pacem redintegrandam vias aperuerit, nimirum; *Seſſionis, Compromiſſi & Concilii generalis*; priori tamen, quam ceteris veluti breviorem & faciliorem, praeſtantiorem & utiliorem multis rationibus commendavit, ſemper uſque ad Piſanam, vel etiam Conſtantienſem Synodum inſiſtendum cenſuit: ſuamque ſententiam non modo Regi Carolo VI. aliiſque Galliae Principibus, ac fere toti Gallicanae Eccleſiae, verum & aliis quampluribus Nationibus earumque Regibus ac Ducibus, & ipſis quoque Benedicti Cardinalibus, adprobavit. Qui vero, praeter ipſos, quorum res agebatur, aliter ſentire videbantur; non ipſam per ſe liberam & voluntariam Ceſſionem, ſed coactam, & vi expreſſam & extortam improbabant; ut conſtat ex celebri Epiſtola Toloſanae Univerſitatis ad Regem, qua in ſententiam Pariſienſis Academiae acerbiſſime invehitur, nec tamen a via Ceſſionis ſe ſe alienam declarat, modo in eam ipſi de Papatu contendentes libere conſentiant, non ab eis invitis ac repugnantibus, obſeſsis & captivis extorqueatur: *Viam*, inquit (*b*), *Ceſſionis voluntariae, Princeps inclyte, utriuſque contendentium approbaremus, dum tamen legitime practicatam, ſed ipſam violenter extortam per modos, quos teneri totus mundus percipit contra Papam, nec laudamus, nec ſequimur, imo potius ut perniciosiſſimam reprobamus*.

At ceteri Gallicanae Eccleſiae Patres & Theologi qui viam Ceſſionis urgendam exiſtimabant, non modo eam dein-

(*a*) Ibid. col. 122.

(*b*) Tom. V. Hiſt. Univerſit. Pariſ. pag. 22.

deinceps veluti breviorem & praeſtantiorem ; verum etiam velut unicam proponebant, ut conſtat ex eorum diſputationibus in tertia Synodo Pariſienſi : *Notetur*, inquit Abbas S. Michaëlis in periculo maris, *quod via Ceſſionis eſt ſola ſufficiens ad ſchiſma plene terminandum, & conſcientias plene pacificandum, nec oblata eſt alia plene ſedativa ſchiſmatis.* Idem etiam ſuae orationis initio, velut ex communi totius Concilii Regiſque ſententia adnotavit Aegidius de Campis : *Noto, quod una ſola eſt via ſedationis ſchiſmatis ſive* (f. ſcilicet) *ceſſionis ; & ita ſupponunt Rex & Concilium.* Diſertius idem ac luculentius teſtatus eſt Mag. Petrus Plaoul in eadem Pariſienſi Univerſitate Theologus : *Non eſt alia via uniendi Eccleſiam* (praeterquam ceſsionis :) *Ex quo ſequitur, quod refutatio viae ceſſionis eſt peccatum mortale, ſcandalum & deſtructio Eccleſiae. Quod non ſit alia via, D. Rex ſupponit, & in alio Concilio probatum eſt clare.* Idem denique & D. Arnaldus de Corbeia Regis *Cancellarius* in eadem Synodo in memoriam Patribus revocavit ; *Recitando, qualiter alias in alio Concilio per Regem & Praelatos celebrato, concluſa fuerat via ceſſionis, tamquam melior, & tanquam ſola, per quam unio in Eccleſia Dei perfecte poſſet obtineri.* Quibus etiam addendum quod teſte in eadem Synodo Patriarcha Alexandrino, omnes Cardinales, qui Benedicto adhaerebant, uno tantum excepto, in ſententiam Eccleſiae Gallicanae, adeoque in viam ceſſionis, velut ſolam & unicam conſentiebant.

Cur autem in id potiſsimum incumbendum fere omnes exiſtimarent, ut voluntaria ab illis & libera ceſsio exprimeretur, diſcere facile poſſumus ex tertia Johannis de Varennis, Theologi Pariſienſis illo aevo celeberrimi, de ſedando ſchiſmate Epiſtola ad Benedictum, in qua his eum verbis ad voluntariam abdicationem, quae una pacem reſtituere poſſet, *quum alias*, inquit, *pacem obtinere non valeamus*, adhortatur (a) : *Eſto igitur tui ipſius Pater Sanctiſſime, Judex & Medicus*, QUI SOLUM DEUS HABES ULTOREM, *impia facta tua, ſi quae ſint, ulciſcentem, ne* CONTRA JURA APOSTOLICA *tibi breviter in facie dicatur, Cur ita facis? Et ne alias pro tam celebri bono pacis invitus renuntiare cogaris :* Hilarem etenim datorem diligit Deus 2. Corinth. IX. 7. *Abſurdum ergo eſt, quod filii matrem, negligentiae praetextu ac iniquitatis, cunctorum corripiant, quae pro nullius olim reminiſcitur perſona fuiſſe correpta .... Licet autem, Pater Sanctiſſime, ut me luce clarius noſti*, PRINCEPS LEGIBUS SIT SOLUTUS, *nihilominus tamen ſecundum leges vivere debet.* Itaque inſignis iſte Theologus voluntariam abdicationem velut unicam viam ad Eccleſiae redintegrandam commendabat, quoniam Romanus Pontifex ſolum Deum habet ultorem, & Princeps licet ſecundum leges vivere debeat, attamen legibus ſolutus eſt, nec proinde poenis obnoxius, quae per leges decretae conſtitutaeque ſunt. Quibus etiam, ut ſupra vidimus, rationibus utebantur, qui

(a) App. ejusd. Tom. II. Op. Gerſon.

qui generalem Synodum improbabant. Ominatur quidem futurum, ut vel invitus dignitati cedere compellatur, interea tamen fatetur ejuſmodi violentiae Jura Apoſtolica repugnare: quibus fit ut nemo Romano Pontifici jure & cum auctoritate dicat: *Cur ita facis?* & abſonum eſſe ac novum & inauditum facinus, ut in cunctorum Parentem inſurgant filii atque vindictam exerceant. Et haec quidem Benedicto tanquam Pontifici dicebantur. Quae autem in eadem epiſtola aſperiora occurrunt: quod etiam corporali gladio cum in ipſum Benedictum, tum in ejus Adverſarium, ſi voluntaria Ceſſione Eccleſiae pacem reſtituere pertinaciter recuſarent, animadverti vellet, ad eos non jam ut Pontifices, imo neque ut Chriſtianos, ſed ut Antichriſtos & Apoſtatas & filios perditionis, Haereticis, Judaeis atque Paganis deteriores referuntur: *Non expaveſcerem*, inquit, *pacem Eccleſiae impedientem, Antichriſtum Satanae altiſone dogmatizare, hominem perditum & fidei negatorem.* Et rurſum: *Profecto illum aeſtimarem neſcirem Chriſtianum, ſed haeretico deteriorem, Judaeo, aut Pagano.* Nemo autem ignorat aut diffitetur, eſſe ejuſmodi hominem, ſi inſiſtendum ſacris Canonibus ſit, e Sedis Apoſtolicae faſtigio dejiciendum.

§. III.

Univerſitas Pariſienſis & Eccleſia Gallicana cum aliis Univerſitatibus & Nationibus, nec non & utriuſque, ut dicebantur, obedientiae Cardinales a Gregorio & Benedicto tandem receſſerunt, quod eos jam pro ſchiſmaticis & haereticis haberent: adeoque ipſos reapſe, vel, ut ajunt, ipſo facto a jure Papatus excidiſſe judicarent.

Quum ergo liberam ſponteque factam abdicationem omnes probarent, imo eam velut unicam viam haberent, per quam tuto ad Eccleſiae pacem perviniri poſſet, nihil per plures annos majori cura & ſollicitudine actum eſt, quam ut duo illi, qui Romae & Avenione ſummos Eccleſiae Hierarchas agebant, ad eam libere amplectendam inducerentur. At quum illi moras in dies necterent, & unus alterum ut loco cederet praeſtolaretur, malaque ex diuturno ſchiſmate propagata ingraveſcerent; diſputari inter Theologos coeptum eſt, utrumne ad praeſtandum quod ſponte renuebant, Eccleſiae auctoritate compelli poſſent. Facile autem in hanc ſententiam fere ab omnibus itum eſt, quod in eo tam perplexi ſchiſmatis caſu, ad Chriſtianam Rempublicam jam fere collapſam & in ſummum diſcrimen adductam reſtituendam, uterque ſe dignitate abdicare teneretur, & quod graviſſimi apud Deum ſceleris reus eſſet, qui diutius reluctaretur. At non aeque exploratum omnibus erat, an id exſequi detrectantes humana vi compelli poſſent, quum vetus & ex divino jure deſcendens Ec-

cleſiae Canon haberet, Romanos Pontifices caelo tantum debere innocentiam, & ſolius Dei ſubjacere judicio. Illud tamen poſt varias ambages ad animum ſuccurrit, ejuſdem Canonis ſanctione, quo ſoli Deo in ceteris criminibus Romani Pontifices ſubjiciuntur, in caſu haereſis etiam Eccleſiae ſubjacere judicio. Quumque, ut habet pervulgatum Theologorum & ſacrorum Canonum Conſultorum effatum, inveteratum ſchiſma in haereſim deſinat, facile hinc colligi potuit, idem ſentiendum & de Pontificibus, qui jamdiu malis artibus & ineluctabili pertinacia funeſtum ſchiſma foverunt. Verum alius Theologorum mentes ſcrupulus perurgebat; quis nempe Romanos Pontifices ſchiſmaticos aut haereticos in judicium vocaturus eſſet: id enim juris videbatur ad ſolam univerſalem Eccleſiam & Synodum Oecumenicam pertinere, quae in duas partes diſciſſa nulla fere ſpes erat fore ut aliquando in unum coetum coiret. Quare obſervatum eſt, ad Pontifices ſchiſmaticos & haereticos in ordinem redigendos non opus eſſe ſollenni Eccleſiae judicio, quum hoc ipſo quod ſchiſmatici & haeretici ſunt, jure Papatus excidant; nec proinde ſit opus Eccleſiae decreto vel ſententia ut Pontifices eſſe deſinant, atque ut jure ac legitime ab eorum obedientia diſcedatur. Quae omnia quoniam ad Piſanae Synodi Acta, aliaque de quibus deinceps identidem differemus, rite percipienda, plurimum habent momenti, haud abs re erit, ut adductis in medium coaevis teſtibus, ſedulo a nobis & liquido demonſtrentur.

Ita imprimis docuit, & veterum Juris Canonici Conſultorum teſtimonio confirmavit Simon Cramandus Patriarcha Alexandrinus in tertia Synodo Pariſienſi ipſius Conventus Praeſes: „ Ubi, *inquit*, apparet de obſtinatione Praelati, debemus ab eo recedere, & ei non obedire: quia dicit Bernardus in Cap. *Cum non liceat* de praeſcript. Quod a Capite licet membra recedere, cum Caput incidit in ſchiſma aut haereſim, etiam ſine ſententia. Concordat Innocentius in Gloſ. in Cap. I. De ſchiſm. . . . . . Et idem Bernard. in Cap. *Cum non liceat*: & hoc caſu cum Papa incidit in ſchiſma, cenſetur Sedes vacare . . . . . & poteſt provideri ac ſi Papa eſſet defunctus.

Ita & Aegidius de Campis in eadem Synodo Pariſienſi Theologus: „ Si apparet debite aut vehementer, Papam eſſe haereticum aut ſchiſmaticum, non debet ſibi obediri, ſed debet reputari non Papa, etiam ſine declaratione. Probatur: quia tunc eſt extra Eccleſiam & communionem Fidelium: quia Papa & membra ſunt unum corpus, & Papa Caput. Si ergo Papa eſt extra Eccleſiam, non plus eſt Papa, ſed perdit Papatum ipſo jure, nec requiritur declaratio.

Sed quid in privatorum Theologorum teſtimoniis referendis immoramur, quum in hanc ſententiam tota fere univerſitas Pariſienſis conceſſerit, imo & Eccleſia Gallicana? Quum enim poſt reſtitutam Benedicto obedientiam rurſus de illa ſubtrahenda ageretur, poſt varias diſputationes juſſa eſt Univerſitas ſuas Concilio Gallicano anni 1406. Propoſitiones & Concluſiones

tradere, quas ſuis ad Regem litteris ſubjunxit. Has inter quarta potiſſimum obſervatione digna eſt, ut quae diſerte ſtatuitur (*a*): *Quod electus in Papam ea intentione, quod cedet quandocumque, & ſine quo non alias fuiſſet electus, de qua intentione apparet per juramentum ipſorum Cardinalium, ſi ex poſt pertinaciter contradicit, cedere requiſitus ſolenniter, ex tunc talis non eſt reputandus Papa, ſed ab ejus obedientia libere recedi poteſt, etiam ſine declaratione*. Et in aliis Concluſionibus, quas anno 1408. eadem Univerſitas Curiae obtulit num. I. declarat (*b*): *Petrum de Luna fore non tantum ſchiſmaticum pertinacemque habendum, verum etiam haereticum, perturbatorem pacis & ſanctae unionis Eccleſiae*. Et num. 2. decernitur: Quod *Petrus de Luna non eſt nominandus Benedictus, nec Papa, nec Cardinalis, nec nomine cujuſcumque dignitatis, nec ſibi obediendum eſt tanquam Paſtori, ſub poenis fautorum ſchiſmatis*.

Non ſum equidem neſcius, hoc genus propoſitionum omnium Theologorum Pariſienſium conſenſione non fuiſſe firmatum. Quos inter Petrum Alliacenſem fuiſſe reperio, qui eas rejecerit, & Johannem Gerſonem, qui ſcriptis editis adverſus eaſdem palam fuerit proteſtatus. Attamen Univerſitatis ſententiam ſequuti eſſe videntur Gregorianarum partium Cardinales quum a Gregorio XII. receſſerunt, ſi eorum nomine, aut ipſis probantibus & conſentientibus, data ſunt Reſponſa difficultatibus, quas Ruperti Romanorum Regis Legati iiſdem Cardinalibus objecerunt Seſſione IV. Piſanae Synodi: quaeque Dacherius edidit ex Cod. MS. in cujus margine legebantur. Quum enim quarto loco quaeſitum eſſet: „ Numquid D. Gregorius „ adhuc ſit Papa, & pro tali tenen„ dus in obedientia noſtra? .... Quod „ ſi non: quaeritur, quando, qua „ cauſa, & quomodo deſierit eſſe, „ Papa, cum nondum ceſſerit, & „ ab Eccleſia univerſali nondum con„ demnatus, nec a jure communi de„ poſitus ſit, nec coram ſuo judice „ de crimine haereſis, nec alio no„ torie ſcandalizante convictus ſit vel „ confeſſus: imo expreſſe negat, „ quae ſibi ab aliquibus objiciuntur & „ impinguntur? Quum id, inquam, Gregorianis Cardinalibus objectum eſſet, hoc objicientibus reſponſum datum eſt: *Quod quia ex actis & geſtis notoriis oſtendit ſe eſſe ſchiſmaticum, imo haereticum, ceſſavit eſſe Papa: & licet non poſſit eligi alter Papa ante ſententiam, tamen ante ſententiam poteſt ab eo recedi. XV. quaeſt. VII. cap.* Sane. *Gloſſ. in cap.* Sacerdotes II. quaeſt. VII. *Gloſſ. in cap.* Cum non liceat. *De praeſcript*. Item quum numer. XIII. objectum eſſet: Si dubitant de Papatu „ Gregorii, quare ſimili ratione non „ dubitant de ſuo Cardinalatu? Reſponſum eſt: *Quod dubium de Papatu ſurgit ex nova cauſa ſuperveniente in cauſa Gregorii, quia factus ſchiſmaticus vel haereticus: & hoc non concernit Cardinalatum praecedentem*. Gregorium itaque pro ſchiſmatico & haeretico habebant, & propterea illum abſque

(*a*) Tom. V. Hiſt. Univerſit. Pariſ. pag. 137.
(*b*) Ibid. pag. 160.

alia declaratione jure Papatus excidiſſe judicabant.

Denique in eamdem Pariſienſis univerſitatis & Regni Gallicani ſententiam ſatis aperte propendiſſe videtur Piſana Synodus: quae vel ab ipſa Seſſione I. antequam ullam in duos illos de Papatu contendentes ſententiam protuliſſet, non eos Gregorium & Benedictum, quae ſuſceptae dignitatis erant nomina, ſed Angelum Corarium, & Petrum de Luna nuncupandos exiſtimavit: perinde atque ante omnem declarationem Synodique ſententiam Apoſtolica dignitate excidiſſent. Deinde quum Seſsione XIII. Petrus Plaoul Synodo denuntiaſſet, hanc eſſe Parienſis aliarumque Galliae Univerſitatum opinionem: cum iiſque Florentinam & Bononienſem concinere, Novarienſis Epiſcopus teſtatus eſſet; nimirum *duos contendentes debere reputari ſchiſmaticos & antiquati ſchiſmatis nutritores, & haereticos pertinaces*: Synodique auctoritatem firmaſſet *ad decidendam hanc cauſſam, & declarandum eos eſſe ab Eccleſia praeciſos & abjectos; & eos, quantum opus eſt abjiciendos & ejiciendos*. Quum haec, inquam, ex illarum Univerſitatum judicio Seſſ. XIII. laudatus Theologus pronuntiaſſet; hanc eamdem opinionem Seſſ. XV. Synodus ipſa probaſſe & amplexa eſſe videtur, ad eamque ſe ſe accomodaſſe; quum talem in eos ſententiam diffinitivam protulerit: „ Quod objecta contra dictos „ contendentes ſunt & fuerunt notoria: & quod ex his ſchiſmatici & „ antiquati ſchiſmatis nutritores & „ fautores: quod etiam ſunt haeretici & a fide devii; & ex hoc ab Eccleſia praeciſi, & adeo ne praeſint „ dejecti & abjecti; & ſic declarat „ ſancta Synodus. Haec ergo mera declaratio eſt, illos tanquam notorios ſchiſmaticos & haereticos ipſo jure, vel ut in Actis legitur, *a Deo & ſacris Canonibus ipſo facto*, ex Apoſtolicae Sedis faſtigio dejectos ac deturbatos fuiſſe. „ Subjungit tamen, quod „ nihilominus eos privat & dejicit ab „ omni honore & dignitate etiam Papali. Itaque Piſana Synodus Gregorium & Benedictum, ſive Angelum Corarium & Petrum de Luna, ex Gallicarum aliarumque Academiarum judicio, & a jure Papatus excidiſſe declaravit, ex quo ipſorum in fovendo ſchiſmate pertinacia, adeoque & haereſis, notoria ſeu manifeſta evaſerat; & nihilominus ſua illos ſententia dejecit, ne quis ſcrupulus ex eorum opinione ſupereſſet, qui etiam in haereſim lapſos pro Pontificibus habendos eſſe ſentiebant, donec Synodi ſententia dejicerentur.

Ex iis quae hactenus in toto articulo ac tribus hiſce §§. diſſeruimus, ſatis aperte, ut mihi videtur, luculenterque conſtat, neglectam primo fuiſſe Synodi generalis viam, quod multi perſuaſum haberent, Concilii generalis poteſtatem ejuſque Decretorum robur ex Romani Pontificis convocatione, auctoritate & adprobatione pendere. Deinde omnes fere in liberae & voluntariae abdicationis viam, velut ſolam & unicam ad extinguendum ſchiſma & pacem Eccleſiae reſtituendam aptam & accommodatam, conſenſiſſe, quod Romanus Pontifex ſui ipſius ſolus inter homines judex eſt, nullum praeter Deum ſuorum ſcelerum habens ultorem. Denique alios ab utroque ſecedendum, eiſque obedientiam ſubtrahendam exiſtimaſſe; quod

quod eos jam velut ſchiſmaticos & haereticos, ex divini juris diſpoſitione per ſacros Eccleſiae Canones declarati, ab Apoſtolica dignitate excidiſſe crederent. Quae omnia noſtra doctrinae conſona omnino & conſentanea ſunt: quam proinde certum eſt ante Piſanam & Conſtantienſem Synodos in Scholis Theologicis viguiſſe.

CAPUT IX.

„ Nullum remedium niſi in Conciliorum generalium ſuperiore poteſtate: an ea ſit agnita per ordinem ad ſchiſma; an ideo translata ad ſchiſmatis cauſſam, quod in aliis quoque cauſſis praevalere ſoleret?

Mira profecto ſunt & contra veterum omnium Actorum ac monumentorum fidem, quae in hoc & duobus ſequentibus Capitibus Illuſtriſſimus Adverſarius de Piſana Synodo comminiſcitur. Eam nimirum *ab utriuſque*, ut dicebantur, *obedientiae* Cardinalibus, Gregorio & Benedicto invitis ac reluctantibus, congregatam, ideo de his judicaſſe, in eoſque ſententiam damnationis & exauctorationis tuliſſe, atque id velut jure ac legitime factum paſſim in Eccleſia fuiſſe receptum, quod generatim quaecumque Synodus Oecumenica ſemel legitime congregata, ſuam immediate a Chriſto auctoritatem derivat, quam in ipſos quoque ſummos rerum ſacrarum Antiſtites exerat & exerceat, & cujus proinde decretis ipſi quoque Sedis Apoſtolicae Praeſules obnoxii ſint, ac parere omnino teneantur. Mira, inquam, haec ſomnia & commenta ſunt, quae tum iis quae ſuperioribus articulis diſſeruimus planeque demonſtravimus, tum ſimplici Actorum Piſanae Synodi lectione concidunt ac refelluntur. Oſtendimus enim, Synodi generalis convocationi, quae primum extinguendo ſchiſmati velut ceteris viis accommodatior proponebatur, illud impedimento fuiſſe, quod ex pervulgatis illo aevo in ſcholis Theologicis opinionibus, Concilia generalia niſi a Romanis Pontificibus convocari non poſſint; quod ab his omnis illorum auctoritas fluat, aut omnino pendeat; quod eorum decreta caſſa & irrita ſint, niſi a Romanis Pontificibus confirmentur; quod hi niſi in cauſſa haereſis ab illis judicari non poſſint: ac propterea creditum ſit, haud alia ratione componi & inſtaurari potuiſſe jamdiu labefactatam Eccleſiae pacem, quam libera & voluntaria utriuſque ſe ſe pro Romano Pontifice gerentis ſummae dignitatis abdicatione. Verum ubi diuturno experimento compertum eſt, hanc illis ſuaderi non poſſe, neque ullam hac ratione reſtituendae pacis ſpem adfulgere, aliud reſarciendae unitati excogitatum eſſe: nimirum, annon liceret ab utroque diſcedere, quod jam uterque dirum ac funeſtum ſchiſma inſuperabili pertinacia foveret, quod quum inveteratum eſt, ex ſacrorum Canonum Conſultorum ſententia, cum haereſis ſuſpicione conjunctum ſit, vel in haereſim deſinat, cujus cauſſa ipſis quoque Romanis Pontificibus jure reſiſtitur, & inferiorum ipſi judicio ſubjiciantur. Hinc patefactam eſſe viam non modo ad ſeceſſionem Regnorum & Univerſitatum, ac demum ipſorum quoque Cardina-

dinalium ab utriuſque de Pontificatu pertinaciter contendentis obedientia, verum etiam & ad Piſanae Synodi tanquam Oecumenicae convocationem, cujus acta atque decreta, ut ex monumentorum lectione compertum eſt, haud alio fundamento niterentur, quam quod in cauſſa haereſis, aut quod perinde eſt, aut perinde eſſe judicabatur, in cauſſa pertinacis ac diuturni ſchiſmatis, Conciliorum generalium judicio ipſi quoque Romani Pontifices, ſi eorum protervia & ambitione inoluerit, ſubjiciuntur. Quod quum de Gregorio & Benedicto explorata res eſſet; nimirum eorum contentione & aemulatione crudelis ſchiſmatis flammam majores in dies vires acquirere, & in certam Chriſtianae Reipublicae perniciem latius quotidie graſſari; hinc tandem concluſum eſſe, Gregorium & Benedictum tanquam ſchiſmaticos, ſeu potius ſchiſmatis altores & incentores, adeoque & haereticos, jus Apoſtolicae dignitatis ſua quemque pervicacia amiſiſſe, nec proinde illis parendum, vel honore Summis Pontificibus debito proſequendos, ſed ad Eccleſiae, & Synodi generalis eam repraeſentantis, judicium pertrahendos eſſe, damnationis ſententiam, niſi ad bonam mentem redirent, excepturos.

Haec tam aperte luculenterque conſtant ex omnibus Epiſtolis, Seſſionibus ſeu Tractatibus, ac Decretis, quae in Monumentorum ad Piſanam Synodum pertinentium Collectione in Actis Conciliorum legere eſt, ut mirum ſit, Illuſtriſſimum Auctorem aliud laudatae Synodo ſubjicere voluiſſe fundamentum; & quidem, ut ex jam dictis apparet, ac deinceps luculentius exponetur, pro ſolido & inconcuſſo, & omnium fere conſenſione & auctoritate munito, nimirum Papam ſchiſmaticum & haereticum generalis Synodi judicio ſubjectum eſſe, aliud leviſſimum, ac Thelogorum diſputationibus imo & cenſuris vexatum, quod nempe generatim Romani Pontifices a Conciliorum generalium judiciis & auctoritate pendeant. Fatemur quidem in Actis & Epiſtolis Academiae Pariſienſis, & in litteris Cardinalium, quae vel longe vel proxime ante Piſanam Synodum ſcriptae ſunt, aliqua identidem occurrere loca, quae generatim intelligenda eſſe videantur. Attamen rem eſſe ex ſeſe perſpicuam exploratamque contendimus, haec velut obiter ſcripta eſſe: in eo autem vim maxime ac potiſſimum conſtitutam, imo & id unice fundamenti loco habitum eſſe; quod Pontifices ſchiſmatici & haeretici Synodorum generalium poteſtati ſubjecti ſunt. Quod ne gratis jactare videamur, ſententiam hac de re noſtram ſuis & momentis & rationibus inſtruemus.

ARTI-

ARTICULUS UNICUS.

Univerſitas Pariſienſis & Cardinales quum a Gregorio XII. & Benedicto XIII. diſceſſerunt, & quum ad futurum Pontificem, vel ad generalem Synodum provocabant, hoc maxime urgebant, idque unum principii loco ſumebant. quod Pontifices ſchiſmatici & haeretici Conciliorum generalium auctoritati ſubjecti ſunt.

INterjectas ab Univerſitate Pariſienſi ad futurum certum & indubitatum Pontificem, & a Gregorianis Cardinalibus ad futuram Synodum generalem appellationes, Gregorius & Benedictus graviſſimis litteris ac decretis damnabant, dirisque omnibus earum Auctores devovebant. At quotquot erant ſchiſmatis inimici, inquit Boſſuetius, praecipue vero Univerſitas Pariſienſis, haec opponebat. „ Papa matri ſuae, hoc eſt ſanctae „ Eccleſiae, quam fidelium omnium „ matrem eſſe conſtat, ſi ipſe Ca„ tholicus eſt, materno jure ſubdi„ tur, ut & Chriſtus matri: *tum il„ lud*: Cum neuter nos audiat, nihil „ ſupereſt niſi ut dicamus Eccleſiae, „ *Addebat*: Utrumque Pontificem „ aperte haereticum, quod ſchiſma „ inveteratum ſit haereſis. *Denique*, „ reformationem omnino neceſſariam, „ eam niſi Chriſtus provideat, in rui„ nam irreparabilem ventura ſint om„ nia, ac propterea Synodum univer„ ſalem congregandam, cui auctori„ tatem conſenſus omnium fidelium „ daret. Quam ſententiam, ſubjungit Illmus Auctor, Benedicti Cardinales datis ad eum litteris confirmabant.

Antequam ad haec loca diſcutienda accedamus, id aequum Lectorem monitum eſſe volumus, quod maxime cum recta ratione & aequitate conjunctum eſſe videtur: de Univerſitatis & aliorum mente atque ſententia ſtatuendum imprimis non eſſe ex verboſiſſimis epiſtolis, quae de abolendo ſchiſmate, oratorio ſtylo minuſque ad Theologicam limam exacto, variis temporibus editae ſunt, multo autem minus ex ſingulis harumce epiſtolarum locis, quae a contextu divulſa proclive eſt in alienum ſenſum detorqueri: ſed maxime ac potiſſimum ex theſibus, quas ſumma accuratione conditas & concinnatas eſſe compertum ſit, & a quibus remotum, ac ſejunctum eſſe conſtet quidquid vel in dubium vocari, vel in diſputationem cadere poſſit. In ſuis porro theſibus Univerſitas ſtatuebat [a] 1. Quod quum duorum Pontificum cauſſa diviſa in partes Eccleſia eſt, ut in unum corpus coaleſcere nequeat, quod magnae utrinque facti & juris emergant difficultates, tenetur uterque Pontifex, ſive rite electus fuerit, ſive minus, dignitati ac loco cedere, etiamſi neque juramento ſe unquam neque voto cedendi obſtrinxerit. 2. Quod multo magis tenetur, ſi promiſſis, voto, ac jurejurando ſuam obſtrinxerit fidem. 3. Quod ſi votis jurique jurando, ſaeviente ſchiſmate, Pontifex inſiſtere nolit, manifeſto ſe

cri.

(a) Videſis litt. Card. Greg. In Add. ad Conc. Piſ. Tom. XV. Conc. Col, 1159. Venet. Edit. & Tom. V. Hiſt. Univerſit. Pariſ. pagina 137.

crimine implicat, & Synodi proviſioni obnoxius redditur, quum ſchiſma fovere atque augere videatur, quod ſi diu obtinet, migrare in haereſim conſueſcit. 4. Quod ſi dubium ſit, num illud ſchiſmatis incrementum in haereſim evadat, vel utrum ad Synodum ſpectet, Eccleſiae commodis proſpicere, ad Concilium certe pertinebit in re ancipiti ſententiam ferre. 5. Ne magno omnium ſcandalo, certaque Chriſtianae Reipublicae pernicie, ob inſuperabiles utrinque *facti & juris*, ut ajunt, difficultates, Eccleſia in factiones diſcerpta maneat, ad Concilium & Eccleſiam Catholicam pertinet utrumque Pontificem vel invitum de dignitate dejicere. 6. Non licet parere alterutri Pontifici voto ac jurejurando, quo ſe obſtrinxit, inſiſtere detrectanti; quippe quum ſchiſma foveat augeatque. Quod ſi quiſpiam illi obediat, is quidem peccabit, perinde quaſi aut ſchiſmatis auctor ſit, aut vires addat, quibus ſchiſma in longum tempus produci commode poſſit. 7. Satis aperte conſtat utrumque Pontificem ita eſſe animo comparatum, ut contra votum & jusjurandum, dignitati ac loco cedere nolit.

Ad has ergo theſes, quibus freti Cardinales, a Gregorio & Benedicto diſcedentes, Piſanam Synodum indixerunt, exigenda ſunt loca, quae ex epiſtolis objicit Boſſuetius, de quibus jam nobis aliquid diſſerendum eſt. Quod enim primo loco objicitur ex litteris an. 1394. ad Carolum VI. Francorum Regem, quod Romanus Pontifex, ſi Catholicus eſt, materno jure ſubditur Eccleſiae, ſicut Chriſtus Matri; aut de voluntaria ſubjectione accipiendum eſt, quod & Chriſti exemplum ſuadet, & illius loci ſcopus exigit, quo proponebatur, ut ſeſe uterque Pontifex in aliquos arbitros compromittendo, eorum judicio ſubjiceret; aut ad illud funeſti ſchiſmatis tempus referenda & coërcenda ea propoſitio eſt. Nam ſi generatim & abſolute intelligatur, ea nullo pacto conciliari poſſe videtur cum altera ejuſdem Univerſitatis propoſitione in litteris ad Benedictum XIII. quibus anno 1396. ab eo ad futurum certum Romanum Pontificem appellavit; in quibus palam agnoſcit ac profitetur velut certam & inconcuſſam veritatem: *Epiſcopum Romanum tamquam Vicarium Chriſti non habere ſuperiorem, cum Chriſtus non habuerit, & Eccleſiam Catholicam a ſe & per ſe fundatam Petro tamquam Capiti tradidiſſe gubernandam*. Quod ergo priore loco Univerſitas ſtatuebat, Romanum Pontificem Eccleſiae Catholicae materno jure ſubjici, ut Chriſtus Matri, ita accipiendum eſſe videtur, ut ei ſe quandoque ipſe ſua ſponte, non ut Pontifex & Chriſti Vicarius, ſed ut homo ſubjiciat, quemadmodum & Chriſtus, ut noſtrae particeps infirmitatis, Matri ſuo ſe nutu ſubjecit. Nam Pontifex Romanus ut Pontifex & Chriſti Vicarius nullum, ex ejuſdem Univerſitatis ſententia, ſuperiorem agnoſcit, quemadmodum nec Chriſtus tanquam omnium Rex, & Caput univerſalis Eccleſiae: qui hanc ipſam dignitatem Petro voluit eſſe communem, quum eamdem univerſalem Eccleſiam Petro velut Capiti tradidit gubernandam. Quibus profecto pro noſtra ſententia nihil luculentius atque magnificentius deſiderari poteſt.

Coër-

Coërcenda ſimiliter eſt ad Pontifices auctores ſchiſmatis, quod propter diuturnitatem pro haereſi habeatur, & altera propoſitio Univerſitatis in eadem ad Regem Francorum Epiſtola: *Quum neuter nos audiat, nihil ſupereſt niſi ut dicamus Eccleſiae*. Idque vel ex ipſo contextu ac illius loci ſcopo compertum eſt. Nam eo loci diſſeritur de removendo abolendoque ſchiſmate Concilii generalis auctoritate: quam ſane in hoc negotio adhibendam eſſe, ea ratione probatur, quod ſaepe propter haereſes comprimendas Synodi generales habitae ſunt, *ſicque Catholica fides intemerata permanſit*. Tum vero ſubjungitur: *Si igitur ad tollendum hoc peſtiferum ſchiſma, quod jam propter longam* (f. diuturnitatem) *haereſis ſpeciem habet: Inveteratum quippe ſchiſma, ſicut ait Auguſtinus, haereſis eſt; non liceat Eccleſiam congregari, repudiatis praeſertim viis ſuperioribus, quid reſtabit?* Cum his ergo conjungendum eſt quod paullo inferius adjicitur: *Quum neuter nos audiat*, in hac videlicet cauſſa, quae haereſi implicata eſt, *ſupereſt ut dicamus Eccleſiae*. Quam quidem limitationem ipſamet Univerſitas diſerte adjecit in aliis ad Benedictum litteris, quibus rurſus ab eo ad futurum certum & indubium Pontificem provocavit: *Ubi enim agitur*, inquit, *de ſchiſmate & ſuſpicione haereſis, etiam Summi Pontifices tam vivi quam mortui majorem habent judicem, vivi Concilium generale, mortui Succeſſorem*. Et ad utrunque contendit Univerſitas, non quidem abſolute ac generatim, ſed ubi Eccleſiae unitas ac fides in diſcrimen adducuntur, licite provocari.

Denique iiſdem limitibus circumſcribenda eſt & altera propoſitio, qua dicitur, datum iri a Chriſto ad providendum Eccleſiae generali Synodo auctoritatem. Nam quum certus ac legitimus Pontifex, & qui nullius haereſis inſimuletur, Eccleſiam regit, *tota Concilii per ipſum ſtat auctoritas*: Hanc enim illo aevo plurimorum fuiſſe ſententiam, ipſamet Univerſitas agnoſcit in litteris ad Benedictum, quibus eum ad voluntariam ceſſionem hortatur velut unicum medium, quo tuto poſſet diſciſſa Eccleſiae unitas reſarciri. Nondum enim omnino perſpectum & exploratum habebat, an Gegorius & Benedictus velut ſchiſmatici vel haeretici traducendi eſſent; adeoque an Synodo generali, quae ipſis invitis ac reluctantibus celebraretur, auctoritas futura eſſet ad eos in ordinem redigendos, & Eccleſiae pacem inſtaurandam: quum *extra haereſis nequitiam*, ut ibidem ex multorum ſententia dicitur, nemo praeter Romanum Pontificem Concilium legitime cogat, eique praeſideat, ac de eodem judicet. Ac propterea Concilii generalis viam velut minus idoneam eo loci Univerſitas rejicit, atque unice Benedictum ad voluntariam dignitatis abdicationem hortatur.

Jam ad alteram iſtius Capitis partem accedamus: Neque minore, *inquit* „ *Boſſuetius*, Gregorii Cardinales ſtu„ dio Concilii Oecumenici auctorita„ tem praedicabant, quippe qui & „ ad illud appellarent, & appella„ tioni haec interſererent: *A vobis, Pater Sanctae, Vicario ad D. N. Jeſum Chriſtum, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, & ſaeculum per ignem: item ad generale Concilium, a quo & in quo ſolent geſta etiam Summorum Ponti-*

tiſicum quaecunque pertractari, *decerni & judicari : item ad Papam & Pontificem futurum*, *cujus eſt geſta inordinata ſui Praedeceſſoris in melius reformare*. Subjungitque : „ Hinc „ patere, quam falſi ſint, qui tum „ primum occaſione ſchiſmatis exortam putant de Conciliorum ſuperiore poteſtate ſententiam. Et quod „ iidem memorant appellationes ad „ generale Concilium, rem novam, „ quam hujus ſchiſmatis neceſſitas expreſſerit. Neque cogitant, *inquit*, „ a Bonifacio VIII. Regem & regnum Galliae cum univerſis Ordinibus appellaſſe ad futurum Concilium, eadem appellatione ſaeculis „ anterioribus a Catholiciſſima Eccleſia Anglicana celebrata.

Quoniam formula appellationis Gregorianarum partium Cardinalium ſimilis illius eſt, quam a Bonifacio VIII. ſuperioris ſaeculi initio Galliae Regnum inſtituerat, ab hac exordium ducemus, circa quam ſane plura obſervanda ſunt, ex quibus apertiſſime conſtat, haud jure eos facere, qui tali exemplo probari volunt, gĕneratim licitam eſſe a quocumque Romano Pontifice, etiam legitimo & certo, etiam Catholico & qui nullius haereſeos accuſatus ſit, appellationem. Nam primo quum a Bonifacio Galli appellarunt, eum pro legitimo Pontifice non habebant, quippe qui Caeleſtino adhuc in vivis poſito, quem Apoſtolicam dignitatem abdicare potuiſſe negabant, Romanam Cathedram occupaſſet. Id enim primum adverſus Bonifacium propoſuit Guillelmus de Nogareto, quum Regi Chriſtianiſſimo pro habenda generali Synodo ſupplicavit: *Quum ejus*, inquit, nempe Romanae Eccleſiae, *eſſe conjux non potuerit quam primo Virò vivente*, *fide digno conjugii*, nempe Sancto Pontifice Caeleſtino, *conſtat per adulterium polluiſſe*. Quam in eumdem Pontificem criminationem coram Rege Regnique Ordinibus inſtaurarunt tum idem Nogaretus, tum Ludovicus Ebroicenſis Regis filius, Guido S. Pauli, & Johannes Drocenſis Comites, hanc primam praetexentes ſuae ad Synodum provocationi cauſſam, quod *Eccleſiae ſumme expediat*, *ut Dominici gregis ovili non niſi verus & legitimus*, *ac vere & legitime Paſtor praeſit*. Quae & ſuis litteris, quibus ſuam Regnique appellationem publice ac ſollenniter teſtatam eſſe voluit, Rex Philippus inſeruit. Ac reipſa in eamdem ſententiam univerſum Regnum conceſſiſſe ſuadent, tum ea appellationis formula fere ab omnibus uſurpata, *ad verum legitimum futurum Summum Pontificem*, perinde atque is a quo appellabatur, verus ac legitimus Pontifex non eſſet; tum varia Theologorum ſcripta, quibus, ut ſupra oſtendimus, & Caeleſtini abdicatio, & Bonifacii electio velut irritae traducebantur. Hinc Egaſſius Bulaeus in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis Tom. IV. De Comitiis trium Ordinum agens 13. Junii an. 1303. Pariſiis a Philippo Rege habitis ait : Bonifacii Accuſatores eum infinitis criminibus oneraſſe, *negantes verum eſſe Papam*, *ſed fraude & dolo malo Sedem Pontificiam occupaſſe aſſeverantes ; ac proinde locum eſſe appellandi ab eo ad Concilium generale*. Unde manifeſte conſequens eſt, hoc exemplo eos uti non poſſe, qui etiam a vero & legitimo Pontifice jure appellari poſſe contendunt.

Dein-

Deinde ex iiſdem monumentis non minus clare ac luculenter apparet, Galliae Regem & Regnum, quum a Bonifacio ad generalem Synodum provocarunt, illum velut haereticum, imo & pluribus implicatum haereſibus habuiſſe. Id enim tum Regis ipſius litterae, quas ſupra citavimus, diſerte teſtantur; tum etiam, ut alia in praeſentia praeteream, hanc ab eo appellandi praecipuam fuiſſe cauſſam, Nangii Continuator ſequentibus verbis obſervat: *Audiens Rex Philippus a pluribus fide dignis ſublimibuſque perſonis, Papam Bonifacium deteſtandis infectum criminibus*, DIVERSISQUE HAERESIBUS *irretitum . . . . . qui praeſtitis ad ſancta Dei Evangelia ab eis tacta corporaliter juramentis aſſerebant, praedicta ſe credere eſſe vera, & ea legitime poſſe probari: Regemque tanquam Principem Chriſtianae fidei defenſorem inſtantiſſime requirebant, ut pro deliberatione ſuper praemiſſis habenda, generale convocare Concilium procuraret*. Quae ideo potiſſimum retuli, ut hinc pateat, quam perperam tum ea Gallorum a Bonifacio provocatione, tum maxime laudati Hiſtorici teſtimonio illi Scriptores utantur, qui iis freti *Concilii ſuperiorem poteſtatem ut rem ſolitam* venditant, ac licitas eſſe etiam a legitimo & Catholico Pontifice appellationes propugnant. Hos inter Nat. Alex. (*a*), iis omiſſis, quae mox ex Nangii Continuatore deſcripſimus, haec tantum ex illo imperitis Lectoribus exhibet, quae ἀμέσως ſuperioribus verbis conjuncta ſunt: *Rex quum urgente conſcientia ulterius diſſimulare non poſſet, ad Concilium generale per Sedem Apoſtolicam promovendum*, QUOD IN ISTO CASU SUMMO PRAEEST PONTIFICI, *deliberatione ſuper hoc multa maturitate praehabita, appellavit*. Verba illa: *Quod in iſto caſu &c.* Etiam Nat. Alex. grandioribus characteribus extulit, in illis veluti exſultans ac triumphans: quae tamen ut a ſuperioribus divulſa illius profecto ſententiam probant: ita cum illis conjuncta probant, Concilii generalis ſuperiorem poteſtatem non eſſe extra *iſtum caſum*, profeſſae a Pontifice haereſeos, proferendam. His porro libet adjicere & Johannis de S. Victore apud laudatum Pariſienſis Univerſitatis Hiſtoricum verba, quibus utramque Regni Regnique Proceribus, & Eccleſiae Gallicanae Praelatis appellandi a Bonifacio cauſſam complexus eſt; nempe & quod haereticus judicaretur, & quod pro legitimo Pontifice non haberetur: *Poſt ſermonem*, inquit, *recitati ſunt coram omnibus quidam caſus nefarii contra Papam Bonifacium & enormes, utpote de haereſi, de revelatione confeſſionis &c.* ET OB HOC *idem Rex, Barones & Praelati vulgo ei unanimiter conſentientes, in appellationem, ſeu provocationem contra ipſum*, QUI SE PAPAM ESSE LICEBAT, *ad Cardinales, vel ad futurum Summum Pontificem proruperunt*.

Denique & illud in ea Gallorum a Bonifacio appellationis formula ſedulo animadvertendum eſt, quod in illa disjunctivam dictionem adhibuerunt: *Ad Pontificem, vel ad Concilium, ad quem vel ad quos provocandum eſſet*. Qua de re pluribus diſſerit Illuſtriſſimus Petrus de Marca lib. IV. de Conc. Sac. & Imp.

(*a*) Diſſert. IX. in Hiſt. Eccleſ. ſaec. XIII. & XIV. artic. IV.

& Imp. cap. XVII. num. VII. ex quo in praeſentia haec delibaſſe ſufficiat: „ Poſſet alia ratione eorum conſilium „ explicari ; ſcilicet ad jus cogendi „ Concilii & ordinandi reſpexiſſe, „ quod Pontifici competit, adeoque „ Sedis Apoſtolicae auxilium appel- „ lationis formula implorandum videa- „ tur ; praecipue cum mos ille anti- „ quitus obſervatus fuerit ab Eutyche, „ a Flaviano, & a Chryſoſtomo, ut „ etſi Concilium Oecumenicum appel- „ laverint, libellum tamen appella- „ torium ad Romanum Pontificem „ dederint ; cujus deinde ſtudio Con- „ cilium plenarium cogeretur, cui „ ipſe per ſe aut per Legatos ſuos „ praeeſſet. Quare Gallicani Epiſco- „ pi ne temere ab antiqua conſuetudi- „ ne diſcederent, formula ſua Pon- „ tificem, Sedem Apoſtolicam, & „ Synodum univerſalem complexi „ ſunt. Quod longe a proprie dicta appellatione differre, idem ipſe Illuſtriſſimus Auctor in eodem Capite obſervat, & ſupplicationem appellat. *Nam judex*, inquit num. II., *a quo appellatur, de appellatione non cognoſcit ; ſed is, a quo ſupplicatur, inſtauratum judicium peragere poteſt*. At quum Romani Pontificis judicium, ipſo indulgente, & generalem cogente Synodum, inſtauratur, ipſe ab Synodo non rejicitur, út fit in judiciis appellationum ; ſed quemadmodum fieri ſolet in judiciis ſupplicationum, denuo ejuſdem cauſſae cognitionem ipſe cum aliis ejuſve Legati ſuſcipiunt. „ De- „ inde, *ut idem Auctor adjungit*, „ illa verborum conceptione (*Galli*) „ obviam ibant ſcrupuloſis cavillatio- „ nibus, quae a forenſibus Magiſtris, „ in opinionum diſſidio, quod tunc „ vigebat, moveri potuiſſent. Diſ- „ putabatur enim eo ſaeculo a Roma- „ nis, an Papa ſuperior eſſet Conci- „ lio ; & Ulpiano placuerat (a), ei „ qui minorem judicem appellaſſet, „ errorem officere, atque ideo er- „ rantem appellationis beneficio ex- „ cidere. Itaque in omnem eventum „ hac disjunctiva appellatione etiam „ apud ipſos Romanos ſibi conſule- „ bant. Verum non a ſolis Romanis eo ſaeculo diſputabatur, eſſetne Papa ſuperior Concilio generali, necne. Nam & in Gallia dum eae concertationes fervebant, & in ipſo feralis diſſidii aeſtu Theologi, uti ſuperius oſtendimus, palam & aperte profitebantur: Quod *omnis cura gregis ab ipſo* (Romano Pontifice) *eſt, vel ejus auctoritate* in alios Epiſcopos derivatur: Quod ipſe *non habet ſuperiorem in terris, neque a quoquam judicari poteſt, niſi deprehendatur a fide devius*: Quod *omni Clero & populo in unum congregato manet obſequendi neceſſitas, & non auctoritas imperandi*: Denique, *Quis*, ajebant, *erit ille tam veſano ſpiritu ductus, qui dicat, Pontifici Romano vel per ipſum univerſale Concilium adimi poſſe ſubditos, quos Deus ipſi paſcendos & confirmandos commiſit?* Haec de Romani Pontificis poteſtate iidem ipſi Theologi praedicabant, qui a Bonifacio ad futurum Pontificem, Sedemque Apoſtolicam, & generalem Synodum provocabant: qui proinde ab ea opinione quam longiſſime aberant, quod generatim Conciliorum generalium ſumma poteſtas & in ipſoſmet Ro-

manos

(a) Lib. I. §. *Si quis*, ff. de appellat.

manos Pontifices auctoritas, illa appellandi formula demonſtraretur.

Eadem appellationis formula & Catholiciſſima Anglicana Eccleſia XIII. ſaeculo utebatur, ut videre eſt in iis exemplis, quae ex Matthaeo Paris ipſemet Illuſtriſſimus Boſſuetius recenſet lib. XV. cap. XXV. iiſque omnino adfinis ac ſimilis eſt ea, de qua nunc agimus, Gregorianarum partium Cardinalium: ex quibus proinde haud jure conficitur, hanc illi haeſiſſe ſententiam, generatim praeſtare illi, qua Romanus Pontifex pollet, Conciliorum generalium auctoritatem. Quare quod ajunt, geſta Summorum Pontificum inordinata ſolere in melius vel a Conciliis generalibus, vel a Succeſſoribus reformari, ut cum traditione congruat, aut potius ne omnino ab illa diſſideat, de iis Synodis accipiendum eſt, quas ipſi Romani Pontifices coëgerint, & quibus praefuerint: atque ut non probat, majorem eſſe Succeſſorum quam Deceſſorum; ita neque generalium Conciliorum quam Romanorum Pontificum poteſtatem.

Porro quod tandem Illuſtriſſimus Adverſarius adjungit, utriuſque Pontificis ſeu de Pontificatu contendentis ceſſione inſtaurari non potuiſſe labefactatam Eccleſiae pacem, quod neque dignitati ſponte ſe unquam abdicaſſent, & ſi id deſerti feciſſent, vis quaedam illata videretur; quam leve ſit, & in ipſummet jure retorqueri poſſit, nemo non facile intelligit, qui ad ea quae ſuperius diſſeruimus, animum adverterit. Nam demonſtratum a nobis eſt plane ac luculenter, quod etſi aut ineundae Synodi Oecumenicae ratio, aut ſponte cedendi conſilium excogitata initio atque propoſita eſſent; omnes tamen ſumma animorum conſenſione in eam ſententiam conceſſerunt, ut liberam ceſſionem vehementer probarent, quam videbant magno eſſe poſſe abolendo ſchiſmati, pacique inſtaurandae ſuffragio & adjumento. A Synodi vero celebratione mentem & cogitationem averterant, quod ea paſſim obtineret doctrina, generalem Synodum cogi & celebrari non poſſe niſi Romani Pontificis auctoritate, nec ſi coacta fuerit, illius poteſtati ſubjectum eſſe Pontificem, niſi Catholicam fidem haereſibus polluiſſet. Quum autem ob inſuperabilem utriuſque pertinaciam viſum eſt, eos jam velut ſchiſmaticos & haereticos traducendos, tum vero eos & ab omnibus deſeri & vim adhiberi poſſe creditum eſt, ſicque via patefacta eſt ad Oecumenicam Synodum celebrandam, quae vim ſuam in Gregorium & Benedictum jam pro ſchiſmaticis & haereticis habitos exerceret.

CAPUT X.

„ Concilium Piſanum ab utriuſque
„ obedientiae Cardinalibus convo-
„ catum, quo jure? ejus Conci-
„ lii acta.

QUamquam praeter unum Gerſonis teſtimonium, cui nullam certe in hac cauſa auctoritatem vel fidem debemus adjungere, quaecumque in hoc Capite Boſſuetius adfert, ad noſtram doctrinam ſtabiliendam manifeſte conſpirent; quod nempe ex Piſanae Synodi actis id unum colligi poſſit, Cardinalium eſſe, flagrante ejuſmodi ſchiſmate, quali tunc Catholica vexabatur Eccleſia, gene-

ralem

talem Synodum congregare, quae ſuopte jure Pontifices ſchiſmaticos & pro haereticis habitos judicaret, loco-que moveret; haud abs re tamen eſſe exiſtimamus, in ea re uberius ex eiſdem actis confirmanda paullum immorari, quod ſequenti Articulo aggredimur.

ARTICULUS UNICUS.

Piſanae Synodi convocatio eiuſqe acta hoc uno fundamento nituntur, quod ſaeviente ſchiſmate, Cardinalium eſt Oecumenicam Synodum congregare, & huic ſemel coactae auctoritas ineſt ad dubios Pontifices, ſchiſmatis & haereſeos inſimulatos, judicandos & in ordinem redigendos.

DUm Gregoriani & Benedictini Cardinales Liburni in unum veluti Collegium coacti communibus ſtudiis in procurandam Eccleſiae pacem incumberent, ac de habenda generali Synodo deliberarent; Florentiae, Bononiae, Pariſiis, & in aliis Italiae & Galliae Univerſitatibus diſceptabatur: Jure ne ac merito Gregorius & Benedictus veluti ſchiſmatici & haeretici paſſim traducerentur; & an reipſa jus Cardinalibus eſſet ad Oecumenicam Synodum illis reluctantibus convocandam, quae illos loco ſuo etiam invitos hiſce nominibus deturbaret. Florentinae quamplurium Theologorum & Juris Canonici Conſultorum decretum refert S. Antoninus Par. III. Tit. XXII. Bononienſium Theſes Bzovius in Annalibus exhibet ad an. 1308. num. VII. Pariſieſium autem Egaſſius Bulaeus Hiſtoriae Univerſitatis inſeruit: Ex quibus conſtat, omnium unam fuiſſe ſententiam, Cardinalium eſſe ad Gregorium & Benedictum ſchiſmatis & haereſeos infamia notiſque merito inuſtos in ordinem redigendos, generalem Synodum, ipſis etiam refragantibus, congregare. Quae quum Purpuratos Patres minime laterent, illis incitamento fuerunt ad rem tantam celerius & alacrius perficiendam.

Quod ſi rationes & argumenta ſpectemus, quibus id ſibi juris Cardinales adſerebant, & adverſus Gregorium & Benedictum tuebantur, multo etiam id quod volumus apertius ac liquidius exſiſtet. Non enim ignorabant, ſacris Eccleſiae Canonibus ſtatutum eſſe, ne inconſulto, neque conſentiente, multo autem minus etiam repugnante Romano Pontifice, generales Synodi haberentur. At reponebant (*a*), „ quod ea jura non vendicant ſibi lo„ cum, quum duo, quorum neuter „ ab univerſali Eccleſia pro vero Pon„ tifice habitus eſt, contendunt con„ tra vota & juramenta ſua improba„ biliter de Papatu. His enim auctoritas nulla eſt ad generalem Synodum convocandam. Nam uno diviſim ab altero Synodum indicente, ad eam utique non accurrent, qui eum Pontificem non agnoſcunt. Ut autem in unius Synodi convocationem celebrationemque conſentiant, vix fieri poteſt. Et ſi aliquando conſentirent; quis huic Synodo velut Caput membris? quemadmodum S. Leo per ſuos Legatos Chalcedonenſi Concilio; praeerit? Jura enim, perinde ac Synodorum generalium convocationem, ita

(*a*) Epiſt. Cardd. ad Greg. & Benedict.

ita & προεδρίαν Romanis Pontificibus vindicant. An ergo ferendum eſſet, ut Synodo ambo praeeſſent: qui utique *in uno corpore, & in unica Eccleſia eſſent duo capita quaſi monſtrum?* His ergo freti rationibus, quae niſi in tali ſchiſmate ullius momenti non ſunt, contendebant Cardinales *poteſtatem convocandi & congregandi ſacrum & generale Concilium ad eos totaliter devolutam*. Videri poſſunt eorum ad Benedictum & ad Gregorium Epiſtolae in Additionibus prima & tertia ad Concilium Piſanum Tom.XV.Concilior.Venet. edition. Neque hîc mihi prorſus praetereunda eſt,ac ſilentio involvenda Cardinalis Mediolanenſis ſollennis oratio, quam prima ſeſſione ad Synodum habuit, quave, ut mihi videtur, nitide ac luculenter expoſuit, qua ratione cum teterrimi ſchiſmatis cauſſa ad fidem revocanda eſſet, vel tamquam fidei cauſſa ſpectanda; tum Gregorius & Benedictus non modo ſchiſmatis, verum & haereſeos eſſent poſtulandi. Nam quod ad primum pertinet: *Quae enim*, inquit, *eſſe poteſt major cauſſa fidei..... quam ubi principaliter agitur, quod unus, verus, & indubitatus detur Paſtor Eccleſiae univerſali? Quae major cauſſa fidei, quam quando in corpore Chriſti myſtico cernimus duo capita monſtruoſa? Quae major cauſſa fidei, quam quando agitur ut ſchiſma, quod duravit per triginta annos & ultra, finiatur, & non perpetuetur ut ſchiſma Graecorum?* Quod vero ad alterum ſpectat, praeclare atque erudite doctiſſimo Cardinali animadverſum eſt, Gregorii judicio Benedictum, hujus autem judicio Gregorium haereticum eſſe: *Nonne in Conſiſtoriis publicis & generalibus unus alium, & alter alterum, ut haereticum ſententialiter condemnavit?* Quare quum eorum judiciis atque ſententiis ingens utrinque Chriſtiani populi pars adhaereret; hinc adeo uterque in magna quoque Catholici orbis parte haereticae pravitatis infamia laborabat. Quod utique, juxta veteres Canones, ſatis erat, ut in illos, tanquam violatae fidei ac religionis invidia flagrantes, judicium inſtrueretur. *Et maxime*, ut ibidem adjungit, *in cauſſa praeſenti, propter dubium Papatus & tituli, inextricabile*. Haec ſub ipſum Synodi initium doctiſſimus Cardinalis palam ac libere pronuntiavit, ex quibus intelligere eſt, quo ſpiritu Patres ducerentur, quidve cogitarent, quum de Papatu acriter contendentes in jus vocare minime verebantur.

Non ex ſua tantum ſententia haec laudatum Cardinalem in hac ſeſſione diſſeruiſſe, colligere mihi videor ex iis, quae deinde Seſſ. XIII. Novarienſis Epiſcopus memoravit: Cardinalem Mediolanenſem, (*a*) accitis, ex ſacri S. C. quotquot Piſas ex variis Europae

(a) *Poſtea immediate unus Epiſcopus Italicus, dictus Novarienſis, legit quamdam ſchedulam facientem mentionem, qualiter ſecundum ordinationem DD. Cardinalium, per D. Cardinalem Mediolanenſem fuerunt congregati omnes Magiſtri in Theologia, & Licentiati, ac Baccalaurei formati, qui ad dictum Concilium de multis partibus & Univerſitatibus convenerunt; & inter eos fuerat habita plena deliberatio ſuper iſta materia, & poſtea in eamdem opinionem convenerant & concordes fuerant; videlicet, quod dictos ambos Contendentes tenent ſchiſmaticos, & haereticos pertinaces &c. Et omnium & ſingulorum nomina recitavit, quorum multi ſunt Epiſcopi & Praelati, & faciebant omnes numerum 103. Item*

ropae Academiis & partibus ad n.uſque 103. Theologiae Doctoribus & Epiſcopis, eos in unum congregaſſe locum; qui collatis conſiliis in eam denique opinionem conceſſerint, ut Pontifices illos, pervicaces, ſchiſmaticos atque haereticos, adeoque de Cathedra, quam nefarie occupabant, Synodi auctoritate exturbandos eſſe cenſerent. Atque in eadem ſeſſione laudatus Epiſcopus in memoriam Patribus revocavit, acceſſiſſe etiam Florentinae Academiae conſenſionem, cujus judicio 120. Viri in Theologicis inſtituti, vel Eccleſiaſtici Juris notitia exculti, ſubſcripſerint. Bononienſem quoque datis litteris huic ſententiae adhaeſiſſe. Jam vero Aurelianenſem, Andegavenſem & Toloſanam per eos, quos ſuo nomine Piſas allegaverant, illud ipſum, quod Bononienſis officium augere. Quibus olim Pariſienſem Academiam praeiviſſe, & jamdudum Synodus perſpectum habebat, & in hac ipſa ſeſſione Petri Plaouſt, qui ejuſdem Academiae legatione fungebatur, oratione firmatum eſt. Unde colligere licet, quae mens fuerit Piſanae Synodi, quum judicium in duos illos de Papatu contendentes inſtituit. Non enim ejus juſſu in praeviis illis Theologorum conſultationibus diſceptatum eſt, generatimne ſumma eſſet, & Pontificiâ praeſtantior Conciliorum generalium auctoritas: ſed, eorum ne ſit, Pontifices, qui diro ac pertinaci ſchiſmate Eccleſiam in factiones diſtraxerint, ac propterea velut haereticos paſſim habitos in judicium vocare ac dignitate dejicere. Qua in re ſuffragatores habebat Theologos, & eas quas laudavimus Academias.

Itaque his nixa Synodus Theologorum & Academiarum ſuffragiis, in hac prima & ſequenti ſeſſione Gregorium & Benedictum ad ſuum judicium *in cauſſa ſchiſmatis & fidei* provocavit. At quum neque ipſi, neque alii eorum nomine adeſſent, illos deinde ſeſſione tertia *in cauſſa* pariter *ſchiſmatis & fidei contumaces* publico & ſollenni Programmate declaravit. Conjiciat quoque, ſi libet, oculos in Seſſionem VIII. qui rem adeo teſtatam in dubium revocare vellet, eoque omnia ſpectare comperiet, ut ſumma in hoc uno ſchiſmatis & violatae fidei negotio Piſanae Synodi auctoritas ſtatuatur. Primùm ergo conſtitutum eſt, ad utriuſque Collegii Cardinales in ea rerum perturbatione ſpectare; *ad providendum*, inquiunt, *iſti negotio*; Oecumenicum Concilium congregare, quod de re quacunque eodem pertinente ſententiam ferret. Jam vero eam Synodum, quae totam repreſentaret Eccleſiam, ea vi ac poteſtate valere, ut nullam in hac cauſſa; *quoad hoc*; ſuperiorem agnoſceret, quae jure decretorum ejus vim contrariis decretis infringeret. Quin etiam pronuntiatum eadem ſeſſione a Concilio eſt; quamquam decretis promulgatio in ſequentem ſeſsionem dilata fuit; ab eo tempore, quo Gregorius & Benedictus, contemtis voti juriſque jurandi, quibus ſe devinxerant legibus, dignitati cedere noluerunt, licuiſſe Chriſtifidelibus obe-

Item poſtea dixit, quod in eadem opinione fuit Univerſitas Florentina, in qua fuerunt 120. Magiſtri ſubſcripti. Idem etiam deliberavit Univerſitas Bononienſis, quae de hoc miſit literas. Idem Univerſitates, ſive ſtudia, Aurelianenſis, & Andegavenſis, & Tholoſana per ſuos Ambaſſiatores ibidem,

obedientiae jugum excutere. Quo ſane decreto per Patriarcham Alexandrinum in ſequenti ſeſſione promulgato firmata eſt Academiae Pariſienſis & Eccleſiae Gallicanae ſententia, quae jamdudum ante Piſanam Synodum a Benedicto receſſione facta, illum nec Benedictum appellandum; quod nomen velut Pontifex adſciverat; nec pro Pontifice habendum eſſe decreverant, quod jam Pontificatus juribus propter inſuperabilem in alendo ſchiſmate pertinaciam, & manifeſtas haereſes, excidiſſet.

At ſi cetera deeſſent; quae deinde Seſſione XV. conſtituta ſunt, ſola ſufficerent ad omnem hac de re ſcrupulum removendum; quum in ea lata ſit ſententia, ut vocant, diffinitiva, cujus prae ceteris actis, quae ad eam omnia referuntur, ſumma auctoritas eſt; quae rationes exponit, quibus ad eam ferendam Patres permoti ſunt, quae demum totam Synodi mentem paucis nitidiſque verbis declarat, atque prae oculis ponit. Quid ergo hac ſollenni ſententia diffinitum, atque ſancitum eſt? 1. *Angelum Corario & Petrum de Luna .... fuiſſe & eſſe notorios ſchiſmaticos & antiqui ſchiſmatis nutritores... necnon notorios haereticos & a fide devios. 2. Utrumque propter premiſſas iniquitates, crimina & exceſſus, ne regnent, vel imperent, aut praeſint, a Deo & ſacris Canonibus fore* (id eſt, eſſe aut fuiſſe) *ipſo facto abjectos & privatos, ac etiam ab Eccleſia praeciſos.* Certum eſt, nullum unquam Catholicum Theologum docuiſſe, Romanos Pontifices, ob aliud crimen quam haereſis, ipſo jure a Papatu excidere, atque adeo alia quaecunque, Synodus, praeter ſchiſma & haereſim, Angeli de Corario & Petri de Luna crimina memorat, ſatis ad hanc ſententiam momenti non habuiſſent, niſi cum ſchiſmate & haereſi conjuncta fuiſſent. 3. *Nihilominus utrumque per hanc ſententiam diffinitivam in his ſcriptis privat, abjicit & praecidit; inhibendo eiſdem, ne pro Summo Pontifice gerere ſe praeſumant; Eccleſiamque vacare Romanam, ad cautelam inſuper decernendo.* Propter eadem ſcelera Gregorium & Benedictum abjicit ac praecidit, propter quae illos a Deo & ſacris Canonibus ipſo jure abjectos ac praeciſos declaraverat: At nemo unquam Catholicus Doctor effutiit, Romanos Pontifices propter alia crimina quam ſchiſmatis & haereſis, eſſe ipſo jure dejectos & ab Eccleſia praeciſos: Ergo nec propter alia crimina, niſi ut cum ſchiſmate & haereſi conjuncta, illos a Papatu Piſana Synodus dejicit & ab Eccleſia praecidit? Quotus ergo quiſque non videt, de ſchiſmaticis & haereticis tantummodo Pontificibus Piſanos Patres egiſſe? Nullamque adeo cauſſam eſſe, cur Adverſarii, illorum auctoritate freti, Oecumenicas Synodos Pontificibus quamlibet Catholicis, dignitate poteſtateque antecedere contendant.

Nam quod Boſſuetius ſub finem Capitis obtrudit *de reformatione univerſalis Eccleſiae & ſtatus ejus tam in capite quam in membris*, ad quam in Synodo perficiendam, antequam diſſolveretur, Cardinales jurejurando ſe ſe obſtrinxerint, quicumque eorum Pontifex fuiſſet electus; quam leve ſit, nemo non ſtatim percipit. Quis enim abnuit, quin Romano Pontifici *cum conſilio Concilii* intendere & incumbere liceat in Eccleſiae tam in capite quam in

in membris reformationem? Quis enim ignorat, quot ab ipſiſmet Romanis Pontificibus, *cum conſilio Cardinalium*, in ipſo Pontificiae poteſtatis uſu, poſtremis hiſce ſaeculis reformata ſunt? Ad quorum etiam obſervantiam Purpurati Patres, quum ad novi Pontificis electionem coëunt, juramento ſe obſtringunt, quicumque eorum ad Petri Cathedram evehatur. Quod ergo Romani Pontifices *cum conſilio Cardinalium*, abſque ulla ſummae dignitatis dejectione perficiunt; quidni & *cum conſilio Concilii* perficere valeant? Id vero eſt unum, quod Seſſione XVI. a Cardinalibus adhibito jureiurando promiſſum eſt: non diſſolutum iri Concilium, donec a futuro Pontifice, *cum ipſius Concilii conſilio*, in capite & in membris Eccleſia reformetur.

CAPUT XI.

„ Confirmatur aſſertum illud, quod „ proceſſus Eccleſiae Catholicae & „ Piſani Concilii, ſuperiore Con„ ciliorum, etiam extra ſchiſma in „ ſummis quibuſque negotiis aucto„ ritate nitatur. Quibus fundamen„ tis Concilii Piſani decreta nitan„ tur.

„ JAm ex actis, *inquit Boſſuetius*, „ facile intelligitur, quo funda„ mento & a contendentibus diſceſſum „ ſit, & illi loco dejecti, & novus „ Pontifex ſubſtitutus. Intelligitur certe, & ex dictis in ſuperiore Articulo aperte liquet, haud eos a Synodi mente aberrare, qui, ut idem ſtatim adjungit: „ Paſſim ajunt, id duobus „ niti fundamentis: primum, quod „ in ſchiſmate, hoc eſt ſub dubio Pon„ tifice, Concilii auctoritas proculdu„ bio potior habeatur. Tum etiam „ quod potior habeatur adverſus ſchiſ„ matis altorem obſtinatum, atque „ adeo ſuo modo Haereticum. Haec quidem vera eſſe, Illuſtriſſimus Adverſarius agnoſcit: „ Sed non per„ tingimus, *inquit*, ad radicem ipſam: „ vanaque haec duo erant, niſi ab il„ lo uno ac primo dogmate pependiſ„ ſent: Eccleſiae Catholicae, ejuſque „ Concilii generalis auctoritatem ab„ ſolute, atque etiam extra ſchiſma, „ in ſummis Eccleſiae negotiis prĉva„ lere. Quod hujus Capitis argumentum eſt. Id vero quam egregie Illuſtriſſimus Auctor pertractet ac demonſtret, ſedulo nobis iniquirendum eſt.

ARTICULUS UNICUS.

Meldenſis Epiſcopi argumenta expenduntur, & in ipſum retorquentur; invicteque probatur, iis elevari ac prorſus infringi Piſanae Synodi actorum ac Decretorum vim & auctoritatem.

POtiorem eſſe in ſchiſmate, hoc eſt ſub dubio Pontifice Concilii Oecumenici auctoritatem, quum Bellarminus aliique hoc nixi principio: *Papa dubius, Papa nullus*: paſſim agnoſcant; Boſſuetius in eos inſurgit, ac prorſus immerentes ſequentibus verbis exagitat: „ Falſum illud eſſe con„ ſtat, imo perIculoſiſſimum, quod „ a Bellarmino aliiſque paſſim pro „ certo axiomate aſſeritur: *Papa du*„ *bius, Papa nullus*. Quaerimus enim, „ axioma illud quo Canone ſit fixum, „ quo juris fonte manavit? Haec vero quaerenda non erant, ſed illud unice

te quod ſtatim ſubjicitur inquirendum: „ Quis denique ille ſit dubius Pontifex „ qui jam Pontifex non ſit? Hoc enim ſemel conſtituto, ipſimet Adverſario cum Bellarmino aliiſque de illius effati veritate conveniet. „ An ille, inquit, „ de quo re ipſa dubitatur? Ergo pſeu- „ do-Papas omnes, Burdinum etiam & „ alios toties anathemate percuſſos in „ Petri Sede reponamus „. Perinde atque hos Bellarminus aliique pro dubiis Pontificibus habuerint, & non eos potius tanquam manifeſtos invaſores & uſurpatores damnarint. „ An forte „ eos de quibus ab electionis origine „ dubitatum eſt? Abeant igitur lau- „ datiſſimi Pontifices Innocentius II. „ Alexander III. alii ſancti verique „ Pontifices: Redeant Anacleti, alii „ Antipapae, aut cum veris Pontifi- „ cibus aequo jure diſceptent. Perinde ac Bellarminus & alii unquam conſenſuri ſint, ut laudatiſſimi Pontifices Innocentius II. Alexander III. & alii inter dubios numerentur; ac non potius eos ſemper inter indubios Pontifices; Anacletos atque Victores inter ſchiſmaticos recenſuerint. „ Atque „ hi quidem Antipapae Principes quo- „ que & Imperatores, totaque adeo „ regna pertraxerant: ut ſi partem „ orbis etiam ingentem dubitaſſe ſuf- „ ficiat, optimi quoque Pontifices „ inter dubios ac nullos habeantur. At quis unquam Catholicus Theologus daturus eſt, ut partem orbis etiam ingentem dubitaſſe ſufficiat, ut quis inter dubios ac nullos Pontifices habeatur? Ergo cum umbris digladiatur, & fingit hoſtem quem feriat. Periculoſiſſimi „ exempli eſt, ſi ſtatim factione orta, „ & pſeudo Epiſcopo per ambitionem „ conſtituto, verus Pontifex ſit du- „ bius, atque adeo nullus. *Quid tum?* „ Ergo Bellarmini vaga nimis, & latius „ fuſa de dubio Pontifice ad certos „ limites coërcenda ſententia eſt. Quinimmo, ergo Meldenſis Epiſcopi caſtiganda oratio eſt, quae certe aut ſibi non conſtat, aut ex ea conſequens eſt, etiam ſanctos & veros laudatiſſimoſque Pontifices eſſe inter dubios recēſendos. Si enim ii inter dubios Pontifices habēdi non ſunt; ergo ad eos non pertinet effatum illud: *Papa dubius, Papa nullus.* Si autem, Boſſuetio auctore, *falſum illud eſſe conſtat*, ne laudatiſſimos Pontifices velut nullos habeamus; ergo, ipſo pariter auctore, laudatiſſimi Pontifices inter dubios habendi ſunt. Nam ſi dubii non ſunt; ergo verendum non eſt, ne illo axiomate comprehendantur. Si id autem verendum eſt; ergo inter dubios Pontifices habendi ſunt. Nam effatum illud non niſi dubios Pontifices comprehendit. „ Valeat ergo, *inquit*, „ ea Bellarmini aliorumque ſententia „ in eo caſu, in quem Bononienſis & „ Pariſienſis Academiae, illa Gregorio, „ haec Benedicto favens conſenſerunt, „ *ubi dubium de Papatu ſit inextrica-* „ *bile propter dubium juris & facti.* Eo „ caſu Papa dubius ſit profecto Papa „ nullus. Nihil enim prodeſt nullo „ certo documento deprehenſa, aut „ probata veritas. Quod ſane ipſamet naturalis ratio ſuadet; atque adeo ex naturalis juris fonte manavit illud doctiſſimi Cardinalis & aliorum effatum: *Papa dubius, Papa nullus.* Nam neque Bellarminus, neque alii Doctores alios Pontifices vere ac reipſa dubios agnoſcunt, quam *ubi dubium de Papatu ſit inextricabile propter dubium juris & facti.* Stat ergo & immota conſiſtit ea Bellarmini aliorumque ſententia, cui Piſa-

„ nae Synodi proceſſus innititur: *Papa* „ *dubius*, *Papa nullus*.

„ Sed enim, *inquit*, nec ſic erat „ expedita difficultas, nec ſublatae „ ſchiſmatis cauſſae: remanebat enim „ quaeſtio: Eſſetne in ſuo caſu *inextri-* „ *cabile juris & facti dubium*. At in ea quaeſtione eventilanda & expedienda jam a pluribus annis exercebantur totius Chriſtiani orbis Academiae, & celebriores in eam ſententiam conſentiebant tot jam eſſe implexam difficultatibus eam de Papatu controverſiam ut extricari ulla ratione non poſſet. Hinc illae Pariſienſium & Bononienſium theſes, quas plurimi per Italiam & Galliam Doctores probabant, & quas ſuis ad Gregorium litteris inſeruerunt: Quod *ſtante dubio inextricabili propter dubium facti & juris*, uterque cedere tenebatur, & voluntarie cedere renuentes Concilii Oecumenici auctoritate Sede Apoſtolica dejicere fas erat, cui praeter fas incubabant. Videſis Pariſienſis Academiae ad Regem Chriſtianiſſimum & ad Benedictum graviſſimas litteras Tom. IV. & V. Hiſt. Univerſitatis, ex quibus aperte conſtat, tot de utriuſque Pontificis jure diſceptationibus nihil obtineri potuiſſe, quam ut res incertior evaderet, magiſque in dies conſtaret, quam denſis eſſet ac profundis tenebris involuta. Ut hîc locum optime haberet Terentianum illud: *Feciſtis probe: incertior ſum multo quam dudum*. Jam enim vel ipſi Galli, qui primùm tam pertinaci ſtudio Clementi ac Benedicto adhaeſerant, ut in electione Urbani vim Populi Romani *notoriam* interceſſiſſe jactarent, ipſumque Urbanum ejuſque Succeſſores haud aliis quam, invaſorum & intruſorum nominibus deſignarent; jam, inquam diligentiſſime excuſſis utriuſque partis juribus fatebantur (a): quod *iſtius aut alterius juſtitia notorie & experimentaliter eſt dubia*. Quod & pro certo & conſtanti habebant, qui in tertia Synodo Pariſienſi ſeceſſionem a Benedicto Eccleſiae Gallicanae ſuis diſputationibus adprobarunt: *Quod autem de praeſenti ſit dubium de utroque noſtrorum contendentium*, *conſtat evidenter*. Ejuſmodi autem dubium intelligebant, quo & univerſa laboraret Eccleſia, & propter inſuperabiles difficultates extricari non poſſet: *Nunc non conſtat univerſali Eccleſiae*, *quis eſt intruſus*, *ſed eſt dubium & perplexum*. Jam ergo de hac re apud Piſani Concilii Patres, qui Eccleſiae Gallicanae, & Pariſienſis aliarumque Galliae & Italiae Academiarum judiciis potiſſimum nitebantur, nulla ſupererat controverſia.

„ At, *inquit Boſſuetius*, uterque „ Pontifex, Benedictus aeque ac „ Gregorius, pro certo & indubitato „ Pontifice ſe gerebat; & id certum „ eſſe, Bullis promulgatis, Canoni- „ bus editis, Conciliis adhibitis, ſub „ anathematis poena decernebat.... „ nec utrique deerant ſui ſectatores, „ qui uſque adeo faverent ſuo Pontifi- „ ci, ut nonniſi a contumacibus jus „ illius in dubium revocari poſſe cre- „ derent. Quid huic argumento Galli Theologi reponerent, non puto Meldenſem Epiſcopum latuiſſe. Nam quod primum objicitur, quod uterque Pontifex pro certo & indubitato Pontifice ſe gerebat &c. id eorum pervicaciae & obſtinationi tribuendum eſſe, reponebatur. Nam omnibus hujus negotii circumſtantiis aequo ac ſereno animo circum-

(a) Epiſt. ad Reg. Franc. Tom. V. Hiſt. Univerſit. pag. 10.

cumſpectis, facile in hanc omnes ſententiam ibant, quam Auctor Anonymus, apud Egaſſium Bulaeum in Hiſt. Univerſitatis Pariſienſis (*a*); verbis ſequentibus efferebat: *Quilibet horum contendentium de Papatu debet ſe reputare habere dubium probabile de jure ſuo; quum tot Clerici in tanto numero per totum mundum de hoc dubitent: & eſt dubium involutum, & inexplicabile, & indeciſibile, ut cuilibet ſatis conſtat*. Qui vero Gregorio aut Benedicto uſque adeo favebant, ut nec illorum jus in dubium revocari poſſe contenderent, hos Pariſienſis Academia verbis ſequentibus caſtigabant (*b*): *Quid clarum vocatis? Certumne, an verum? Si verum; quum haec veritas nunc ſub modio lateat, nec a tantis Catholicis cerni poſſit, eam ſuper candelabrum per Concilium ponite, ut omnibus qui in domo ſunt, eluceat. Si certum; videte, ne verbo abutamini, qui id certum appellatis, de cujus obſcuritate atque ambiguitate tanta ſemper fuit, & eſt apud tantam fidelium portionem conſenſio. Linceoſne habere oculos ſoli credendi eſtis, quum reliqui more Talpae coecati ſint; quidque verum aut certum ſit in tam tetra caligine pluribus hebeſcentibus, tam perſpicue cernitis?*

„ Quare, *ſubjungit Boſſuetius*, ex „ dubio nullum ſatis firmum perpetuae „ diſceſſioni, ſive ut vocabant, obe- „ dientiae ſubtractioni praeſidium, „ aut turbatis conſcientiis plena tran- „ quillitas, aut ſchiſmatis vulneri cer- „ tum remedium: neque quidquam „ aliud praeſto erat, quo omnis ſcru- „ pulus tolleretur, niſi invicta aucto- „ ritate figeretur illud: Pontificem „ etiam certum in Eccleſiae Catholi- „ cae, ejuſque Concilii generalis po- „ teſtate eſſe, de quo Eccleſia decer- „ neret id, quod rei Eccleſiaſticae „ neceſſarium videretur. Paucis reſpondemus: Aut Meldenſis Epiſcopus prodat & indicet locum, in quo certa & invicta auctoritate Piſana Synodus fixerit: *Pontificem etiam certum in Eccleſiae Catholicae ejuſque Concilii generalis poteſtate eſſe &c.* Aut ex ipſius diſputatione colligemus, Piſanam Synodum neque turbatis conſcientiis plenam tranquillitatem, neque ſchiſmatis vulneri certum adtuliſſe remedium. Ceterum ut quod res eſt libere pronuntiemus, nullus omnino locus occurrit, in quo Synodus invicta auctoritate fixerit illud, ſine quo cetera vana erant, & a quo velut a radice penderent: *Eccleſiae Catholicae ejuſque Concilii generalis auctoritatem, abſolute atque etiam extra ſchiſma, in ſummis Eccleſiae rebus praevalere.* Unde conſequens eſt, fruſtra omnino fuiſſe tantae Synodi celebrationem, ut quae ad radicem ipſam non attigerit, neque illud unicum fundamentum poſuerit, cui firmiter & inconcuſſe tanta moles inniteretur. Quare quae hîc diſputat Illuſtriſſimus Adverſarius valere quidem utcunque poſſunt, ad elevandam Piſanae Synodi auctoritatem, ſed efficere non poſſunt, ut hanc de ſumma Conciliorum generalium poteſtate quaeſtionem reapſe ſollenni decreto ſanxerit, & invicta auctoritate firmaverit.

„ Jam illud de Pontifice altero ob- „ ſtinato ſchiſmatis, ac propterea ſuo „ quodam modo Haeretico; (*quod al-*

(*a*) Tom. IV. pag. 748.
(*b*) Epiſt. ad Carol. VI. Francor. Reg. ibid. pag. 687.

alterum, *ut vidimus*, *Piſanae Synodi fundamentum exſtitit*) „ haud mi„ nus Eccleſiae Catholicae, ejuque „ Concilii auctoritatem Papa quoque „ ipſo ſuperiorem requirebat. Non abnuit tamen Boſſuetius, quin textus qui adferebantur, necnon Pariſienſis & Bononienſis Academiae, quibus poſtea Senenſis, inquit, totaque adeo acceſſit Eccleſia, ſummam hanc Concilii generalis auctoritatem ſchiſmatis tempore circumſcriberent, quod jam in haereſim verteretur. „ Verum, *ſubjungit*, haec ſi ad vivum perſecare „ aggredimur .... eo redibunt omnia, „ quod quivis Pontifex, & quovis „ jure praeditus, Concilio Oecume„ nico certis in caſibus uſque ad ab„ dicandam poteſtatem parere debeat. At nos praeter haereſim nullum alium caſum admittimus, quoniam conſtans Eccleſiae traditio, & veterum Conciliorum Canones Romanos Pontifices ſolius Dei judicio ſubjecerunt: quibus inhaerens Piſana Synodus nec ſuum judicium in Gregorium & Benedictum niſi haereſeos poſtulatos, & velut haereticos paſſim traductos exercuit.

Nec ſane moramur illud quod paullo poſt Illuſtriſſimus Auctor adjungit: „ Quod Chriſtus nullam ſpecialem in „ ſchiſmaticos aut haereticos Pontifi„ ces congregatis Epiſcopis aut Syno„ do Oecumenicae conceſſerit pote„ ſtatem; quare totum illud jus, quod „ omnes unanimi conſenſu in ſchiſma„ tis atque haereſis cauſa Concilio Oe„ cumenico tribuebant, eo uno dog„ mate nitebatur, quod Synodus Oe„ cumenica totius Eccleſiae, atque „ adeo Spiritus Sancti amplexa pote„ ſtatem, univerſim ubi de ſumma re „ Eccleſiaſtica agitur, ſumma & in„ declinabili auctoritate decernat. Non, inquam, iſta moramur. Nam Chriſtum ſpecialem in ſchiſmaticos aut haereticos Pontifices congregatis Epiſcopis aut Synodo Oecumenicae tribuiſſe poteſtatem, ex Patribus & Conciliis compertum & exploratum habemus: quorum videlicet oraculo Chriſtus edixit, *Beati Petri Apoſtoli Succeſſores caelo tantum debere innocentiam, niſi manifeſte ab evangelica veritate diſcedant*. Quo freta Canone Piſana Synodus in id unum quam diligentiſſime incubuit, ut Gregorium & Benedictum haereticos eſſe conſtaret: ac ne cogitavit quidem de generali ea theſi ſtatuenda, qua univerſim Romani Pontifices Conciliis generalibus ſubderentur: Ut ſi illa in haereticos Pontifices poteſtas ex hoc generali principio velut ex radice pendeat, & hoc uno velut fundamento nitatur; nae illa miſerabilis Synodus, quae de ſtabiliendo fundamento minime ſollicita fuit, ac ne cogitavit quidem.

Quae deinde ex Cardinalium litteris & Pariſienſis Academiae placitis nec non & Synodi Pariſienſis actis a Meldenſi Epiſcopo refricantur, ſatis jam ſuperque in ſuperioribus articulis expedivimus. Quare unum ex hoc Capite ſupereſt quod paucis examine„ mus: „ Petrus Plaoul ab Univerſi„ tate ſtudii Pariſienſis ad Concilium „ Piſanum *Ambaſſiator miſſus*, in ejuſ„ dem Concilii ſeſſione publica ea „ de re celebrem orationem habuit. „ Sic enim in geſtis ſacri Concilii le„ gimus: *Seſſione XIII. die Mercu„ rii XXIX. Maii, quidam valentiſ„ ſimus Doctor, vocatus Mag. Plao„ ul, aſcendit pulpitum, & propo„ ſuit verbum Dei, videlicet*: Con-

gre-

„ gregabuntur filii Juda & filii Iſraël „ pariter, & ponent ſibimet caput „ unum. *Oſee. I. in fine. Et Deduxit* „ *pulere exaltando Eccleſiam, & aſ-* „ *ſerendo eam eſſe ſupra Papam: quod* „ *deduxit pluribus rationibus, tam ex parte materiae &c.* Sed omittenda a Boſſuetio non erant quae ſtatim in eiſdem actis leguntur: *Et poſtmodum poſuit opinionem Univerſitatis Pariſienſis, videlicet quod Petrus de Luna eſt ſchiſmaticus pertinax & haereticus, etiam accipiendo haereſim proprie & ſtricte, praeciſuſque ab Eccleſia Dei, ejectus a jure Papatus & privatus, ac per Concilium de facto tanquam talis ejiciendus & privandus: & haec declaravit pluribus rationibus. Et ſubjunxit, quod de eadem opinione erant Univerſitates Andegavenſis Aurelianenſis & Tholoſana.* Haec, inquam, omittenda non erant, ex quibus conjicere licet, Petrum Plaoul non generatim & univerſe Eccleſiam ſupra Pontificem extuliſſe, ſed ſupra Pontificem qui ſit ſchiſmaticus & haereticus, cujuſmodi, Pariſienſis & aliarum Galliae Academiarum judicio, Benedictus habebatur. Hoc enim ejus orationis fuiſſe videtur argumentum: Eccleſia ſupra Pontificem eſt, & ad eum loco movendum & in ordinem redigendum vim habet ac poteſtatem, ſi ſchiſma foveat, & haereticus habeatur: Atqui Benedictus, Pariſienſis & aliarum Academiarum judicio, & ſchiſma fovet, & haereticus eſt: Ergo Eccleſiae Catholicae ejuſque univerſali Concilio vis & poteſtas eſt ad eum e Cathedra exturbandum. Hanc fuiſſe laudati Theologi mentem, clarius & apertius intelligitur ex Dacheriana ejuſdem ſeſſionis ex tribus Codd. Bibliothecae Gemmeticenſis editione, quae ſic habet: *Mag. Petrus Plaouſt pro Univerſitate Pariſienſi dixit, & declaravit, opinionem Univerſitatis eſſe, iſtos duos contendentes debere reputari ſchiſmaticos, & antiquati ſchiſmatis nutritores, & haereticos pertinaces; firmans auctoritatem Concilii ad decidendam hanc cauſam, & declarandum eos eſſe ab Eccleſia praeciſos & abjectos, & eos, quantum opus eſt, abjiciendos &c. ſumens thema ſuum:* Congregabuntur „ filii Juda & Hieruſalem, & ponent „ ſibi caput unum. Quod, ut vidimus, ex ſuperiore editione totius thema orationis fuit: quae proinde eo tota ſpectavit, ut Synodus ſuam auctoritatem agnoſceret & exereret ad finiendam & dirimendam hanc cauſſam, hoc eſt Gregorium & Benedictum velut ſchiſmaticos & pertinaces haereticos Sede Apoſtolica dejiciendos: quae Pariſienſis & aliarum Galliae & Italiae Univerſitatum ſententia erat, quam reapſe Synodus amplexa eſt, & ſolam ſollennibus editis decretis ſanxit: atque adeo ex Piſanae Synodi actis id unum colligere par eſt; non autem generalem illam Boſſuetii theſim, quod Conciliorum generalium poteſtas & auctoritas Pontificiae, in aliis quoque praeter ſchiſma & haereſim cauſſis, praevalere debeat.

CAPUT XII.

„ An ſine temeritate Concilii Piſani „ auctoritas rejici poſſit?

Quae ſuperiori Articulo diſſeruimus non eo pertinent, ut Piſanae Synodi auctoritatem velut invictam & ineluctabilem propugnaremus; ſed uti ſolum demonſtraremus, quibus illa

illa nixa principiis ac fundamentis ſit ad Gregorium & Benedictum de dignitate Apoſtolica contendentes exauctorandos, & Cardinalem Mediolanenſem ſub Alexandri V. nomine ad Petri Cathedram evehendum; utque conſtaret, ea principia firma ex ſe & immota eſſe, nec ab ea generali theſi pendere, qua univerſe & abſolute Conciliorum generalium auctoritati Pontificia ſubjicitur: quum ad hanc theſim neque Piſana Synodus unquam reſpexerit; neque ſi reſpexiſſet, commode ſuis aut potius Chriſtianae Reipublicae commodis conſuluiſſet, quod maxima Theologorum pars; quae ad Pontifices ſchiſmaticos & haereticos coërcendos ſummam & ineluctabilem tribuebat Conciliis Oecumenicis poteſtatem; attamen abſolute Catholicos legitimoſque Pontifices Conciliis generalibus antecellere exiſtimabat: Qui vero Piſanam Synodum rejiciebant, multo magis eam ludibrio habuiſſent, majoremque in eam invidiam concitaſſent, & a Spiritu Sancto deſertam fidentius inclamaſſent, ſi ad eam controverſiam ſecundum Synodos Oecumenicas definiendam temere fuiſſet aggreſſa. Attamen fieri potuit, ut quamquam, laudata Synodus optimis in hac cauſſa & inconcuſſis principiis niteretur, haud jure tamen Concilii Oecumenici nomen & auctoritatem uſurparit; quod nimirum non omnes in eam notae convenirent, quibus neceſſe ſit Oecumenicam Synodum inſigniri. Quae ſane quaeſtio, quum propter ea quae deinceps tractanda ſunt, magni momenti ſit, accurate nobis verſanda eſt, & Meldenſis Epiſcopi pro Piſana Synodo argumenta ad trutinam revocanda.

ARTICULUS UNICUS.

Nec Haereſeos, neque Schiſmatis, neque temeritatis arguendi ſunt, qui Piſanam Synodum velut legitimam, & Oecumenicam agnoſcere renuerunt, aut etiamnum renuunt.

Legitima & Oecumenica Synodus illa eſt, ad quam ex univerſo Catholico orbe Epiſcopi confluunt, aut ſaltem legitima auctoritate vocantur: Atqui certa & explorata res eſt, ad Piſanam Synodum ex vaſtiſſimis Catholici orbis Provinciis inſignibuſque Eccleſiis nullos Epiſcopos confluxiſſe: qui gravibus permoti rationibus judicabant, ad eam ſe minus legitima auctoritate vocari: Valde itaque incertum eſt, an Synodus Piſana legitima & Oecumenica fuerit; adeoque neque ſchiſmatis, neque temeritatis, & multo minus haereſeos poſtulandi ſunt, qui Piſanam Synodum velut legitimam & Oecumenicam agnoſcere recuſarunt, aut etiamnum recuſant. Priorem hujuſce ſyllogiſmi propoſitionem, quam *Majorem* vocant, Illuſtriſſimus Adverſarius rejicere non auderet, qui, ut alibi animadvertimus, & Gallos olim ſub Carolo Magno & Ludovico Pio, VII. Synodum ſeu Nicaenam II. & Patres Toletani Concilii XIV. Synodum V. pro Oecumenicis, ut ipſe ait (a), non habentes, haereſeos, & ſchiſmatis, & temeritatis notis abſolvit, quod ad illam nec ipſi Galli nec alii Occidentales, ad hanc vero Hiſpani, tanta, inquit, Eccleſiae pars, vocati non fuiſſent. Por-

(a) Lib. XII. cap. IX. & XXXI.

Porro nihil referre videtur, ſive inſignes Eccleſiae Synodo cuipiam non adſint, quod ad eam vocatae non fuerint, ſive quod bona fide & gravibus permotae rationibus ac momentis judicent, ad eam ſe minus legitima auctoritate vocari.

Jam vero quod Piſanae Synodo ex inſignibus Eccleſiis, & vaſtiſſimis Chriſtiani Orbis Provinciis Epiſcopi non adfuerint, certa, ut jam dixi, & exploratа res eſt. Nam & Hiſpaniarum & Scotiae Epiſcopi fere omnes, & quot certe ſatis eſſent ad earum Nationum Eccleſias repraeſentandas, Germaniae autem atque Italiae haud minima pars Piſanae Synodo defuerunt, aut ei velut legitimae Synodo adhaerere, ejuſve decretis velut legitima auctoritate editis parere detrectarunt. Illos quidem *minimam Chriſtiani nominis portionem*, Nat. Alex. (*a*) dicere non veretur. Quod tamen ut minus temere facere videatur; inter eos, qui Gregorio conſtanter adhaeſerunt, Rupertum Imperatorem, & inſignem aut minime contemnendam Germaniae partem omiſit; inter eos autem, qui Benedicti partes etiam poſt Synodum ſequuti ſunt, nonniſi Aragoniae & Scotiae Reges, & Comitem Armeniacum memorat, ceteris Hiſpaniae Regnis penitus praetermiſſis. Quod ei a nupero Piſanae Synodi ex Calviniſtarum grege Hiſtorico objectum eſt (*b*). Qui & candide fatetur (*c*), quod ſi aliqua Synodus ex numero Nationum Oecumenica cenſenda eſt; ea ſane, hoc eſt Piſana, manca admodum fuit & imperfecta. Profecto ſola Hiſpaniarum Regna pro minima Chriſtiani nominis portione non modo Boſſuetius non habuit, verum neque in ipſa Synodo Conſtantienſi Cardinalis S. Marci in quadam, ut vocant, cedula ſeu brevi Commentario, quae & Regi Romanorum Sigiſmundo, & Cardinali Cameracenſi, & omnium Nationum Congregationibus valde probata eſt: ubi Hiſpanica natio, quae adhuc Benedicti partes tuebatur, doctiſſimo Cardinali dicitur, *non minor Chriſtianorum portio, quam Graecia Chriſtiana*: & ubi etiam *multas Germaniae & Italiae Gentes* commemorat, quae in Gregorii fide atque obedientia perſeverabant. Quod ſi ſola Hiſpania Boſſuetio tanta, ut jam obſervavi, Eccleſiae portio habita eſt, ut ſextam Synodum, quamquam ei & Romani Pontificis ac totius reliqui Occidentis Legati interfuiſſent, ac ſubinde calculo ſuo comprobaſſent, jure inter Oecumenicas Synodos recipere detrectarit, donec ad illam ejuſque fidem atque doctrinam ad certam exactas regulam & retractatas, Hiſpanorum Patrum, in Toletana Synodo conſenſus acceſſiſſet: cur quaeſo Piſanae Synodo, cui non modo Hiſpaniarum, verum & Scotiae Regna, & multarum Germaniae & Italiae gentium

Tom. III. P. I. M

(*a*) Diſſert. II. in Hiſt Eccl. ſaec. XV. & XVI. num. XXI.

(*b*) Je remarquerai ici ſeulement en paſſant, que l'habile Dominicain oublie de compter entre les partiſans de Gregoire, depuis le Concile de Piſe, il oublie, *diſ-je*, l'Empereur Robert & une partie conſiderable de l'Allemagne, & qu'outre l'Arragon, que ce docteur ſe contente de nommer, tous les autres Royaumes d'Eſpagne tenoient encore pour Benoit. XIII.

(*c*) S'il faut juger de la généralité d'un Concile, par le nombre des Nations, celui-ci fut fort incomplete. *Lenf. Hiſt. du Conc. de Piſe Prefac. num. V.*

tium Epiſcopi non adhaeſerunt, ſine temeritatis & ſchiſmatis nota Concilii Oecumenici titulum & auctoritatem detrahere non licebit?

Ad ſextam Synodum, inques, Hiſpani vocati non ſunt; ad Piſanam vero laudatae nationes fuerunt per Cardinalium litteras invitatae. Verum ejuſmodi diſcrimen nullius, ut dixi, momenti eſt, ſi talem convocationem a legitima auctoritate minime profectam, bona fide & gravibus permotae rationibus judicarunt. Sic porro ſeſe rem habuiſſe, nemo profecto ſapiens inficias iverit. Nam primùm eae ex primaeva vetuſtate leges & canones obtinebant, & in omnium oculis verſabantur, quibus cautum erat, ne Concilia abſque Romani Pontificis conſenſione celebrarentur. Deinde quaerebatur, quis Synodo daturus eſſet auctoritatem: hanc enim ex Romano Pontifice velut ex capite & origine proficiſci, concors erat & pervulgata omnium fere Theologorum Juriſque Canonici Conſultorum ſententia, ex traditionis itidem, ut non immerito credebatur, fontibus derivata. Praeterea nemini fas eſſe de Romano Pontifice judicare, commune erat effatum ipſorum quoque generalium Conciliorum auctoritate firmatum. Haec quidem omnia, iiſque adfinia Romanorum Pontificum privilegia, qui Cardinalibus & Synodo ſuffragabantur, ad indubios Pontifices pertinere jactabant. Sed eis haud injuria reponebatur, quod iiſdem argumentis, quibus Gregorii & Benedicti Pontificatus, ipſorum quoque Cardinalitia dignitas in dubium revocaretur; ac proinde quo jure dubii Pontifices, dubii quoque Cardinales ſuis carere privilegiis debebant. Quae itidem ratio in Cardinales retorquebatur, quum Gregorium & Benedictum velut ſchiſmaticos & haereticos traducebant. Nam & Gregoriani Benedictinos, & hi viciſſim Gregorianos velut ſchiſmaticos & haereticos hactenus fuerant inſectati: quo ergo jure nondum Eccleſiae per legitimum Pontificem reconciliati ſibi invicem communicabant, aut Eccleſiam ad Synodum vocare & quodammodo ſibi ſubjicere contendebant? Ad haec plures ex canonico jure regulae interveniebant, quibus Epiſcopus exſpoliatus, niſi reſtitutus, adeſſe Synodo minime cogebatur, & hoſtes ab ejus judicio repellebantur: quibus freti legibus Gregorius & Benedictus tum ſibi ante Synodum *reſtitutionem*, ut ajebant, *obedientiae* fieri; tum Cardinales, qui ab eis receſſerant, quos velut hoſtes habebant, ab hujuſce cauſſae removeri cognitione poſtulabant, aut eſſe poſtulaturi merito videbantur. Quae quidem rationes ante Synodum propoſitae Cardinalibus fuerant; *quî* autem *his fuerit ſatisfactum, ex nullo, quod exſtet monumento conſtat*, ut in Labbeana Conciliorum editione adnotatum eſt (a). Fortaſſis, ut Jacobus Lenfantius animadvertit [b], ideo neglectae fuerunt, quod eas jam Pariſienſis, Florentina, & Bononienſis Academia ſuſtuliſſe credebantur. Sed harum Academiarum judicia haud parum ſuſpecta Gregorii & Benedicti ſectatores habebant; Pariſienſis quidem & alia-

(a) Vid. Tom. XV. Venet. Edit. col. 1346. (b) Lib. III. num. XXV.

aliarum Galliae, quod Galli eo ſpectare credebantur, ut omnia ſusdeque miſcerent, quo tandem ſedes ad Gallum rediret, a quo rurſum in Gallias transferretur. Florentinae vero quod ea Reſpublica cum Gallis, conſilia communicaret, eorumque auſibus faveret, quod ipſorum ope Ladislaum Neapolitanum Regem ſuis cervicibus imminentem propulſare cogitabat. Bononienſis denique, quoniam ad Baltaſſaris Coſſae, qui ei magis ut tyrannus incubabat, quam ut legatus praeerat, arbitrium ſeſe accommodaſſe, non autem liberum protuliſſe judicium, haud inanis ſuſpicio eſſe videbatur. Ut ut ſit, quamvis eiſdem aliiſque difficultatibus ab Imperatoris Legatis Synodo rurſus objectis, Ancharanus celebris Juriſconſultus poſt laudatas Academias ſatisfacere viſus eſſet; eae tamen, ut nuperus Hiſtoricus obſervat (*a*), adhuc poſt Synodum ſubſiſtebant eiſque ii etiam angebantur, qui Synodo adhaerebant. Qua re quum Johannes XXIII. Landulfum Cardinalem Barenſem ad Benedictum XIII. quo eum ad obſequium flecteret, Legatum deſtinaſſet, laudatus Cardinalis eaſdem adverſus Piſanam Synodum difficultates propoſuit: quas apud Martene Tom. II. inter Anecdota ad Piſanam Synodum pertinentia legere eſt. Qui autem Banshaemii litteras Moguntini Archiepiſcopi nomine ſcriptas, repellere aggreſſus eſt (*b*), graviter conqueſtus eſt, praecipuis ab Imperatoris Legatis propoſitis Synodo difficultatibus Ancharanum minime ſatisfeciſſe, nec eas eiſve datas reſponſiones fuiſſe in plena Synodo, ut par erat, examinatas; obtendentibus Cardinalibus, protrahendum non eſſe negotium, quibus nemo cotradicere auſus ſit.

Quum itaque res ita ſe haberent, quumque in Piſani Concilii convocatione atque celebratione tam inſolita occurrerent, quibus per veteres Canones proviſum non eſſet, imo a quibus iidem Canones & Eccleſiaſticae leges abludere videbantur; nil mirum, ſi tot Theologorum diſputationibus vexata, totque Adverſarios nacta ea Synodus eſt (*c*). Nec facile ſententia praecipitanda eſt, aut ſchiſmatis vel temeritatis arguendi ſunt, qui in illa quaeſtione, *tantis*, ut verbis utar Auguſtini, *altercationum nebulis involuta*, Piſanam Synodum, & electum ab ea Pontificem rejecerunt: quum hodieque viri haud ineruditi, & quod pertinet ad hanc quaeſtionem praejudiciis liberi fateantur (*d*): negari non poſſe, quin rationes, quae vel ad propugnadam vel ad ever-

(*a*) On a vu ci-deſſus les doutes propoſez par pluſieurs Cardinaux ſur le ſujet du Concile de Piſe. Il eſt vrai qu'on n'y eut pas d'égard; mais ils ne laiſſoient pas de ſubſiſter, & l'on ne manqua pas de les faire valoir dans la ſuite. Car apres l'élection de Jean XXIII. ce Pape ayant diſtiné Landolfe Maramaur Cardinal de Bari pour étre Legate en Eſpagne, afin d'engager Benoit XIII. à le reconnoître, le Cardinal propoſa à peu pres les mêmes difficultez contre le Concil de Piſe. Lib. III. num. LXXVII.

(*b*) Ibid. in Addit. ad lib. III. pag. 347. in fin.

(*c*) Le Concile de Piſe fut aſſemblé d'une maniere toute extra ordinaire, inouïe juſqu'alors, ce qui l'expoſa á des grands contradictions. Id Prefac. n. IV.

(*d*) On ne ſauroit conteſter que les raiſons qui furent alleguées, ſoit pour ſoutenir,

tendam Synodum utrinque adductę fuerunt, valde illius auctoritatem labefactent, dubiamque reddant. Nam neque Oecumenicam dici poſſe, tum ob integras nationes quae defuerunt, tum ob earum diviſionem, quae ad Synodum legatos miſerunt. Ipſius autem praeter jura & Canones convocationem fontem fuiſſe difficultatum, quibus non modo a profeſſis hoſtibus vexabatur, verum & ab his qui ſe adiaphoros profitebantur, & nulli addicti factioni adſenſum ſuſtinebant, in dubium ejus auctoritas revocabatur. Quibus addendem, quod uti S. Antoninus teſtatur (*a*), ex utraque claſſe, & eorum ſcilicet qui aperta fronte a Synodo diſſentiebant, & qui adſenſum cohibebant, plurimos doctrina & pietate inſignes in iis ipſis vixiſſe Nationibus, quae Synodum amplectebantur, & Alexandro V. ejuſque Succeſſori favebant. Ut argumento eſſe poſſunt & Sanctus ipſe Antoninus, & Nicolaus de Clemangis (*b*), quorum alterum Florentiae, alterum in Galliis Synodus infeſtos habebat, quamvis eam Florentini & Galli deoſculabantur. Tot ergo doctiſſimis & ſanctiſſimis Viris, ut Sancto quem jam laudavimus Antonino, S. Vincentio Ferrerio aliiſque, tot Gentibus & Nationibus, tot illuſtribus Academiis, tot Virorum ac Mulierum religioſis Congregationibus, ſchiſmatis notam inurere, & in eos, ut Nat. Alex. facit (*c*), has S. Auguſtini in Donatiſtas rationes intorquere: „ Schiſmatica enim factio pars eſt, quae ſe a „ toto divulſit: Eccleſia Catholica „ totum eſt. Qui ſunt in parte divulſa, „ in toto non ſunt: Qui ſunt in ſchiſ- „ mate, ad Eccleſiam unam Sanctam „ Catholicam non pertinent; haec, inquam, in eos verba intorquere, id vero ſummae temeritatis eſt. Quum hi, non ſecus atque illi qui ante Piſanam Synodum Clementi VII. & Benedicto XIII. adhaeſerant (*d*) „ de „ Romani Pontificis primatu recte ſen- „ tientes, ac in Romani Pontificis & „ Cathedrae S. Petri communione vi- „ vere volentes ac mori, eum venera- „ bantur qui legitimus forte Pontifex „ non erat: quia in quaeſtione dumta- „ xat facti fallebantur, quod quidem „ obſcurum erat, & difficultatibus pene „ inextricabilibus implicatum. Nam in ea inter Nationes & Doctores opinionum varietate, quorum alii Gregorii, alii Benedicti, alii Johannis XXIII. partes ſequebantur, *non minores fuiſſe difficultates juris & facti, quam ante Concilium Piſanum erat de juſtitia duorum*

---

air, ſoit pour combattre le Concile, n'en rendent l'autorité fort douteuſe .... deja par rapport au nombre des Nations, on ne peut pas dire que le Concile de Piſe ait été Oecumenique, puiſqu'il y manqua des Nations entieres, comme toute l'Eſpagne & l'Ecoſſe. Même il y avoit beaucoup de partage entre les Nations qui y envoyerent leurs Ambaſſadeurs. Une grande partie de l'Allemagne, & de l'Italie, tenoit encore pour Gregoire, comme l'Eſpagne & l'Ecoſſe pour Benoit. D'ailleurs la ſingularité de ſa convocation fut, comme on vient de le dire, une grande ſource d'objections, non ſeulement parmi les ennemis déclarez de ce Concile, mais même, parmi les perſonnes neutres, parceque les formalitez ordinaires du droit, en pareilles occaſions n'y avoient point été obſervées. *Ibid. num. V.*

(*a*) 3. P. Chron. Tit. XXII. cap. VI. §. II.

(*b*) Vid. Jac. Lenf. lib. III. n. LXXVII.

(*c*) Diſſert. II. in Hiſt. Eccl. ſaec. XV. & XVI. num. XXI.

(*d*) Id. Diſſert. I. num IX.

rum contendentium, diſertis verbi profeſſus eſt Petrus Alliacus Cardinalis Cameracenſis in libello, quo ſecus opinantium varia ſcripta in Conſtantienſi Synodo confutavit. Ubi etiam idcirco docet, quod quamvis *obedientia*, ut ait, *Johannis XXIII.* & Piſani Concilii celebrationem, & Alexandri V. electionem rite & canonice peractas judicaret: *tamen duae Obedientiae duorum Contendentium probabiliter contrarium* exiſtimabant. Quare ſi ante Piſanam Synodum ob inſuperabilem *juris & facti* ignorantiam licuit ſine ſchiſmatis nota Clementis VII. & Benedicti XIII. partes tueri, ut idem Nat. Alex. manibus pedibuſque contendit, quidni & poſt Piſanum Concilium eidem Benedicto aut Gregorio contra Johannem XXIII. licuerit adhaerere, quum non minores eſſent de Pontificatus jure difficultates?

Hinc autem ſolvitur argumentum, quod velut Achilleum ex Conſtantienſi Synodo, quae initio Johannem velut Pontificem coluit, & ex Eccleſiae univerſalis judicio, quae eumdem Johannem & Alexandrum V. inter veros legitimoſque Pontifices numeravit, Adverſarii derivant. Reſpondemus enim, ut Piſanam, ita & Conſtantienſem Synodum ſub initium non repraeſentaſſe univerſalem Eccleſiam: & Johannem XXIII. ut legitimum Pontificem ſic habuiſſe; ut tamen alios Gregorio & Benedicto tanquam Romanis Pontificibus *probabiliter* parere, palam profiteretur; quod de horum trium non minores tunc eſſent quam antea de duorum jure difficultates. Eccleſiam vero, Alexandrum & Johannem inter legitimos Pontifices recenſendo, ita ab eorum damnatione, qui poſt Piſanam Synodum Gregorio aut Benedicto adhaerebant, abſtinere potuiſſe contendimus, quemadmodum ipſorum opinione Gallorum, Urbanum VI. ejuſque Succeſſores, non autem Clementem VII. & Benedictum XIII. in ſuorum Catalogum Pontificum adſciſcendo, ab eorum damnatione temperavit, qui his ante Piſanam Synodum obtemperarunt. Quare & hinc etiam refellitur Calviniani Hiſtorici levis ac futilis animadverſio, qua perinde Proteſtantibus eſſe docet, (*a*) aut Piſana Synodus legitima & Oecumenica, aut ſecus habeatur. Nam ſi legitima, inquit, & Oecumenica fuit, id ſaltem obtinent, ut Synodi univerſalis judicio plurimum de privilegiis Romanae Sedis detractum ſit, ut quae inferior Conciliis generalibus fuerit judicata. Si ſecus, hinc colligunt, omnes poſt Alexandrum V. uſque ad praeſentem Pontificatum veros non fuiſſe Pontifices. Nae ineptam & inſcitam heterodoxi Scriptoris obſervationem! Nam neque Piſana Synodus, ut jam oſtendimus, legitimos & indubios Catholicoſque Pontifices Synodis generalibus ſubjecit: &, ut ut ſit de Alexandro V., qui poſt Conſtantienſe Concilium in Petri Cathedra jure ſederunt, Martino V. ſucceſſerunt, atque ſuccedunt, quem univerſa Eccleſia velut certum legitimumque Pontificem venerata eſt.

CA-

(*a*) Praefac. num. V.

CAPUT XIII. &c.

„ Ad Conſtantienſe Concilium deve-
„ nitur: ejus cauſſae atque initia
„ referuntur: rerum ſeries uſque
„ ad Seſſionem V. Hinc confutati
„ qui ad ſchiſmatis tempus decreta
„ reſtringunt.

IN hoc & ſequentibus Capitibus uſque ad vigeſimum Illuſtriſſimus Adverſarius, pluribus ex Synodo Conſtantienſi prolatis textibus probare ſatagit, quartae quintaeque ſeſſionis Decreta non modo ad ſchiſmatis tempora dubioſque Pontifices pertinere, verum & generatim accipienda eſſe, ac de certis etiam indubiiſque Pontificibus intelligenda. Quod quamquam Bellarminus, Schelſtratus & alii haud omnino contemnendis ducti conjecturis defendunt; in eo tamen neque ipſi forſitan, neque nos certe defenſionis arcem & cauſſae prçſidium conſtituendum exiſtimamus. Quamobrem accuratam de ſenſu & amplitudine Conſtantienſium Decretorum diſputationem ut minus hîc opportunam ſeponimus, & in finem libri pertractandam rejicimus. Poſtquam enim Lectori conſtiterit, non eam eſſe quam Adverſarii jactant horumce Decretorum auctoritatem, in eiſque condendis irreformabile non fuiſſe & erro ri minime obnoxium Synodi Conſtantienſis judicium, noſtra non admodum interſerit quemcunque eis ſenſum tribuant, aut tribuendum eſſe contendant. Atque ſi id ſtudebimus, ut ea, quoad ejus fieri poteſt, cum Scripturae & conſtanti veterum Patrum Theologorumque doctrina de ſumma ſuper univerſam Eccleſiam & ipſa Oecumenica Concilia Romanorum Pontificum auctoritate, conciliemus; honori potius Concilii, quam noſtrae cauſſae conſulemus. Haec enim quum certis & immotis fixa principiis conſiſtat, concuti & labefactari non poteſt incerta, dubiaque, ac certe minime immobili & ineluctabili Synodi Conſtantienſis in primis illis ſeſſionibus auctoritate. At vero Synodi & Patrum gravitatis & exiſtimationis plurimum refert, ne, avitam doctrinam palam & aperte deſeruiſſe, vel ut ab ea quam minimum diſceſſiſſe videantur.

CAPUT XX.

„ Seſſioni quartae & quintae aeque ac
„ reliquis Concilii Oecumenici au-
„ ctoritas conſtat. An valeat Bel-
„ larmini reſponſio, earum ſeſſio-
„ num Decreta a Florentina & La-
„ teranenſi Synodis antiquata?

SEſſioni quartae & quintae, aeque ac reliquis, Concilii Oecumenici auctoritatem ex eo vindicat Boſſuetius, quod ipſa ſibi Conſtantienſis Synodus hunc titulum ac dignitatem in iis ipſis ſeſſionibus verbis ſequentibus tribuit: *Sancta Synodus Conſtantienſis in Spiritu Sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, Eccleſiam militantem repraeſentans*. Quaerit enim Illuſtriſſimus Auctor a ſuis, hoc eſt Gallicanae declarationis Cenſoribus: „ An hunc
„ titulum Seſſioni IV. & V. detractum
„ velint? Si velint; non Catholica,
„ *inquit*, ſed mendax eſt Synodus,
„ pro univerſali ſeſe venditans. Si
„ nolint, aut volentes licet ipſa ſanctae
„ Synodi reverentia cohibet; fatea-
„ mur neceſſe eſt, Seſſionem quartam

„ & quin-

„ & quintam ea auctoritate niti , qua nulla major eſſe poſſit .

Hunc titulum quartae & quintae Seſſionibus neque omnino detractum volumus , neque ſic adſerendum exiſtimamus , ut qui Conſtantienſem Synodum , antequam illi quae tunc deerant Nationes adjungerentur , pro Oecumenica non haberet , temeritatis eſſet arguendus. Pendet enim , uti deinde patebit , haec quaeſtio ex ea , quam ſuperius circa Piſanam Synodum examinavimus . Nam qui illam e generalium Synodorum numero ſine temeritate expugni non poſſe defendunt ; hos quoque neceſſe eſt de prioribus Synodi Conſtantienſis ſeſſionibus idem proferre judicium . At qui Piſanum Concilium in Oecumenicorum catalogum non recipiunt, hanc eamdem praerogativam Conſtantienſibus illis ſeſſionibus abrogabunt . Nam niſi Piſana Synodus Oecumenica fuit ; profecto jus ipſi non fuit ad Gregorium & Benedictum e Petri Cathedra exturbandos, novumque in ea Pontificem collocandum , neque illius judicio acquieſcere debuit univerſalis Eccleſia; ut jure velut ſchiſmaticos traducamus , qui illius decreta contemſerunt . Hinc vero conſequens eſt , neque Conſtantienſem Synodum, quae initio eas tantum Nationes complectebantur , quae Piſani Concilii judicium probaverant , datumque ab ea Pontificem ejuſque Succeſſorem venerabantur , haud meliori jure Oecumenicum titulum prioribus ſeſſionibus adſeruiſſe , quam quo illum ſibi Piſana Synodus vindicaverat . Hinc mirari ſubit Calvinianum utriuſque Synodi Hiſtoricum , qui quum Piſani Concilii hiſtoriam litteris mandaret , candide profeſſus eſt (a) : „ Quod ſi Nationum numerum prae oculis habeamus , dici non poteſt , Piſanum Concilium Oecumenicum fuiſſe, quum integrae Nationes defuerint , Hiſpanica nimirum & Scotica ; ſchiſma quoque fuerit ac plurimum diſſenſionis inter eas Nationes , quae ſuos ad eam Legatos deſtinarunt : nam adhuc magna Germaniae & Italiae pars Gregorium , quemadmodum Hiſpania & Scotia Benedictum ſequebantur. Idem vero quum Conſtantienſis Concilii hiſtoriam concinnaret , eorum haud ſemel opinionem vellicat , qui priorum ſeſſionum decretis auctoritatem detrahunt , quod nondum Synodus Oecumenica eſſet : „ Fatemur, *inquit* (b) , nondum initio Synodi univerſam Eccleſiam fuiſſe ad perfectam unionem revocatam . Nam & Gregorio in quibuſdam Italiae & Germaniae locis ſectatores non deerant, qui *parvam* ejus , ut dicebatur, *Obedientiam* conſtituebant ; & Benedicti partes Hiſpaniae , Scotia , & Comites Fuxi & Armeniaci tuebantur . At ignoramus tamen , an Chriſtiani populi tam parva manus aliquo loco ac numero haberi debeat,

„ ſi

(a) Gallica vid. ſupra pag. 172.

(b) Il eſt vrai qu' au commencement de ce Concile toute l'Egliſe n'étoit pas encore bien réunie . Gregoire XII. avoit une petite Obedience en quelques endroits de l'Italie & de l' Allemagne & Benoit XIII. avoit pour lui les Eſpagnes , l'Ecoſſe , & les Comtes de Foix & d'Armagnac. Mais je ne ſai ſi une auſſi petite partie de lé Chretient peut être miſe en parallele avec l'Italie , la France , l'Allemagne , la Boheme , la Hongrie , la Pologne , l' Angleterre , la Dannemark , la Suede & tout le Nort. *Praefat. num.* XV.

„ ſi cum Italia, Gallia, Germa„ nia, Bohemia, Hungaria, Polonia, „ Anglia, Dania, Svecia, & reli„ quis ſeptemtrionalibus regionibus „ contendatur. *Et rurſum* (*a*): At „ difficultas eſt, an abſentia unius tan„ tum Nationis, & paucorum hac il„ lac diſperſorum, imo & eorum for„ malis reſiſtentia, obeſſe debeat, „ quin Synodum a Pontifice canonice „ electo & ab Imperatore, ceteris „ Chriſtianis Nationibus conſentienti„ bus, congregatam velut Oecumeni„ cam habeamus. Dici quidem poſſet, quod pertinet ad Nationum numerum ſeu conflictum, hos eum ſcrupulos ejeciſſe, quum Piſanae Synodi hiſtoriam ſcriberet. At quod de Pontifice canonice electo, qui Conſtantienſem Synodum congregarit, hoc loco tam fidenter jactat, conciliari profecto non poteſt cum iis, quae in hac ipſa Hiſtoria Concilii Conſtantienſis ſtatim in ipſa Operis Praefatione de Piſana Synodo obſervat [*b*]: „ Quod dejecti Pontifices ejus Sy„ nodi acquieſcere judicio noluerunt, „ de cujus auctoritate plures reapſe „ non leves ſcrupuli excitabantur... „ Adeo ut vel ipſa Conſtantienſis Sy„ nodus eam quodammodo velut irri„ tam ac nullo loco habuiſſe videa„ tur. Quoniam ut Johannem XXIII. „ ad cedendum cogeret, rurſus in ejus „ Adverſarios inquirere, novaque „ acta conficere opus fuerit, perinde „ ac nunquam Piſana Synodus extitiſ„ ſet. Et quod magis notatu dignum „ eſt, neque ipſe Johannes, qui Ale„ xandro V. ſucceſſerat, unquam ob„ tinere potuit, ut Conſtantienſis tan„ quam Piſanae Synodi continuatio, „ ejuſque adeo confirmatio, a Patribus „ haberetur. At eaedem difficultates, quae Piſanae Synodi auctoritatem elevabant, Alexandri quoque ejuſque Succeſſoris electioni objiciebantur, quae proinde an canonica fuiſſet, haud temere nec ſine gravi fundamento; *il pouvoit y avoir en effet des ſcrupules aſſez bien fondez*, in controverſiam adducebatur. Ac rurſus eaedem ipſae rationes, ob quas & de Piſanae Synodi auctoritate, & de Alexandri V. ejuſque Succeſſoris electione haud temere diſceptatur; eaedem, inquam, efficiunt, ut non injuria Conſtantienſis Concilii prioribus ſeſſionibus Oecumenicae Synodi auctoritas abjudicetur. Inde enim conſequens eſt, eam fuiſſe a Pontifice indictam, de cujus Canonica electione haud omnino conſtabat; atque adeo neque ſchiſmatis inſimulari poterant qui ei minime parebant; neque illis ad Synodum acce-

(*a*) Mais je ne ſai ſi l'abſence & même l'oppoſition formelle d'une ſeule Nation & de quelques particuliers diſperſez çà & là peut empêcher de tenir pour Oecumenique un Concile aſſemblè par un Pape élu canoniquement, & par l'Empereur, du conſentement de tout le reſte de la Chretienté. Liv. II. num. XXVIII.

(*b*) Les Papes depoſez ne s'en tinrent pas au jugement d'un Concile ſur l'autorité du quel il pouvoit y avoir en effet de ſcrupules aſſez bien fondez... Auſſi ce Concile fut-il regardé comme nul non ſeulement par le Papes depoſez, mais même, en quelque ſorte par le Concile de Coſtance, puiſque pour obliger Jean XXIII. à ceder on fit de nouveau le proces à ſes Concurrens, & qu'on agit preſque en toutes choſes comme s' il n' avoit point eu de Concile à Piſe; Et ce qu' il y a de remarquable c' eſt que Jean XXIII. qui avoit ſuccedé a Alexandre V. ne put jamais venir à bout de faire regarder le Concile de Conſtance, comme une continuation, & par conſequent comm une confirmation du precedent.

accedere renuentibus, haec poterat univerſalem Eccleſiam in prioribus illis ſeſſionibus repraeſentare. Denique quod Conſtantienſi Synodo, quod ad priores illas ſeſſiones pertinet, ejuſmodi titulum abrogamus, ipſa indulgente audemus. Nam quamquam & initio ſe ſe Oecumenicam praedicabat, attamen & eos tolerandos eſſe judicabat qui & Piſanae Synodi & electi ab ea Pontificis auctoritatem, unde ipſius quoque pendebat auctoritas, reſpuebant; neque illos unquam damnavit, imo & velut fratres ſuſcepit, qui eam non ante Oecumenicam agnoverunt, quam ipſi ad Synodum adjungerentur. Sed haec deinceps luculentiusediſſerentur.

CAPUT XXI.

„ An Seſſionis quartae & quintae dubia ſit auctoritas, quod duae „ Obedientiae defuerint? An Johannis XXIII. Obedientia tertia „ pars Eccleſiae fuerit? An Johannes XXIII. aut alii Seſſioni quartae & quintae contradixerint? „ Johannis Turrecrematae & Johannis Gerſonis loci.

SEſſionis quartae & quintae dubiam eſſe auctoritatem quod duae, ut dicebantur, *Obedientiae* defuerint, & Joannis XXIII. Obedientiam veluti tertiam Eccleſiae partem haberi, indigne fert, neque concoquere poteſt Illuſtriſſimus Adverſarius, & Bellarminum, qui poſt Johannem Turrecrematam id imprimis inculcat, his verbis inſectatur: „ Ergone tertia pars tantum, quae tot Nationes ſupra memoratas complecteretur; Germaniam, Angliam, Poloniam, Sveciam, „ Norvegiam, Daniam, Dalmatiam, „ Bohemiam ipſamque Italiam, Apulia dempta, ipſum quoque Romam, & cum Belgio Galliam, & „ cum Sigiſmundo Imperatore ſuoque „ Rege totam Hungariam, miſſo quoque Legato pro toto hoc Regno „ Lamberto de Grolia? ut intelligant „ Cenſores noſtri, Majores quoque „ ſuos cum noſtris Majoribus in unam „ ſententiam conveniſſe. Harum Nationum Regnorumque Antiſtites ac „ Legatos in eo catalogo legimus, quo „ deſcripta ſunt illorum nomina, qui „ foedus Narbonenſe cum Aragoneſibus „ pactum approbarunt. Quid memorem ibidem nominatas Univerſitates, „ Pariſienſem, Bononienſem, Viennenſem, Cracovienſem, Avenionenſem, Oxonienſem, Pragenſem, quae ſuos in Synodo haberent „ Deputatos, atque item ſacros Ordines, Cluniacenſem, Carthuſienſem, Ciſtercienſem, Praemonſtratenſem, Praedicatorum, Minorum, „ qui per ſpeciales Procuratores Synodo adhaererent, cum innumeris „ Abbatibus Sanctorum Benedicti ac „ Bernardi Ordinum? Hi omnes ſacrae Synodo ab ipſis initiis adfuere „ praeter pauciſſimos, qui cum Gregorio XII. Seſſione XIV. ſacrae ſe „ Synodo conjunxerunt. Reliquine „ (*Hiſpani ſcilicet & Scoti*) tantula „ pars orbis Chriſtiani, eaque in duas „ particulas, damnatorum Pontificum „ factione & ambitione, ſciſſa, pro „ duabus Eccleſiae partibus numerandi erant? Quis id aequo animo audire poteſt?

Haec Illuſtriſſimum Adverſarium uno ſpiritu diſſerentem ſuſtinere libuit,

buit, ne filum ſermonis abrumpendo, vim orationis ejus & impetum infringeremus. Verum quae tanta verborum copia & ubertate jactata ſunt, facile concident, ſi paullulum ad ea quae ſuperius diſſeruimus, animum adverterimus. Plurimum enim mirari licet, quod Boſſuetius, qui de ſexta Synodo diſſerens, ſolam Hiſpaniam *tantam Eccleſiae partem* appellat, atque olim fuiſſe judicat, ut non immerito in Toletana Synodo *caviſſe videatur*, *ne quis eam exſtimaret*, *Concilii talis*, (h.e. Coſtantinopolitani III.) *quaſi univerſalis autoritate teneri*, antequam ſcilicet in illud libero adhibito examine, conſentiret; nunc vero eadem Hiſpania cum Scotia & pluribus non utique contemnendis Italiae & Germaniae populis, *tantula pars orbis Chriſtiani ſit*, ut Concilium ſine ipſa aliiſque populis celebratum pro Oecumenico haberi debeat, atque illius velut univerſalis auctoritate teneri omnes, quamquam nec in ejus decreta libero adhibito examine, aliquando conſenſiſſet. Cur quaeſo ſola Hiſpania cum tot olim non modo reliqui Occidentis, quae in Synodica Agathonis epiſtola memorantur, verum & totius Orientis Nationibus, quae per ſuos Epiſcopos aut Legatos ſextae Synodo interfuerunt, jure contendere potuit atque in conflictum venire, nec celebratam ab eis Synodum velut Oecumenicam colere, antequam ejus decreta libere retractaret: eidem vero cum aliis, in non admittendis prioribus Synodi Conſtantienſis Seſſionibus, ſibi adjunctis Gentibus & Provinciis, jus & facultas adimenda eſt, ne illa decreta velut Oecumenicae Synodi admittere cogatur, in quae nunquam ipſa cum reliquis conſenſiſſet? Quapropter ea tot Nationum Synodo Conſtantienſi & Johanni XXIII. in prioribus illis Seſſionibus adhaerentium enumeratio, probat quidem hanc maximam Eccleſiae partem fuiſſe; at, vel ipſius Adverſarii opinione, obeſſe non debet, quominus aliae duae Obedientiae pro tam magna Eccleſiae parte habeantur, ut non injuria Synodum abſque ipſis celebratam velut Oecumenicam ſuſcipere ac venerari detrectent. Quo etiam refellitur illud, quod Capite ſuperiori ab Illuſtriſſimo Auctore objiciebatur:
„ Quaerimus a noſtris Cenſoribus,
„ an hunc titulum (*Oecumenicae*) ſeſ-
„ ſioni quartae & quintae detractum
„ velint? Si velint, non Catholica,
„ ſed mendax eſt Synodus, pro uni-
„ verſali ſe ſe venditans. Annon idem argumentum & Hiſpanis Synodum ſextam, & Gallis ſeptimam, nondum ab eis examinatas, velut Oecumenicas ſuſcipere detrectantibus objici potuiſſet? Quum enim ſeſe laudatae Synodi, Hiſpanis licet, aut Gallis abſentibus, Oecumenicas praedicaverint & inſcripſerint; quaeri pariter ab Hiſpanis & Gallis poterat, an hunc titulum iis Synodis detractum vellent? Si vellent, non Catholicae fuiſſent, ſed mendaces Synodi ſeſe pro univerſalibus venditantes. Quo uno argumento ab earum examine ſuſcipiendo deterreri debuiſſent, ſi nobis fas non eſt in quaeſtionem vocare, an idem titulus quartae & quintae Synodi Conſtantienſis Seſſionibus jure conveniat.

Non ergo, ipſo etiam Illuſtriſſimo Adverſario Auctore, ſententiae no-

noſtrae de ſola aut paucitate aut multitudine praeſcribendum eſt, ſed aliquid ulterius addendum, quo diſpar de utraque in ſpeciem ſimili cauſſa judicium feratur. Hoc vero & jam nobis ſuperius confutatum eſt, quum de Piſanae Synodi auctoritate diſſereremus; nimirum ad Synodum Conſtantienſem ipſius opinione fuiſſe eas ipſas Nationes a legitimo Pontifice vocatas, quae prioribus illis ſeſſionibus adeſſe contumaciter recuſarunt: At vero neque Hiſpanos ad ſextam Synodum, neque Gallos ad ſeptimam fuiſſe a Romanis Pontificibus invitatos. Diſcrimen ergo in eo poſitum eſt, quod Hiſpani aliique Piſanae Synodo & Johanni XXIII. immorigeri, Conſtantienſi Synodo adeſſe pertinaciter recuſabant, adeoque factio ſchiſmatica erant, cujus abſentia obeſſe non potuit, quin Synodus Oecumenica celebraretur: ſecus autem Hiſpani, qui olim ad ſextam Synodum, aut Galli qui ad ſeptimam non acceſſerant, quod ad eam vocati non fuerant.

Diſerte hoc ipſum, praeter Boſſuetium, quem ſatis jam ſuperius confutavimus, Antonius Arnaldus tradit, cujus hoc de argumento adverſus Schelſtratum diſputationem ad examen revocare, pretium Operis exiſtimavimus, quod niſi ea penitus excuſſa atque disjecta, intacta prorſus atque integra quaeſtio haec ſubſiſtere videri poſſet. Sic ſuam ille ſententiam vividis coloribus fucare ſatagit ſpecioſiſque rationibus communire.

ARTICULUS PRIMUS.

An Conſtantienſis Synodus, quae ſub initium ſola Johannis XXIII. Obedientia conſtabat, Oecumenica tamen in prioribus ſeſſionibus fuerit, quod aliae duae Gregorii & Benedicti Obedientiae nefario ſchiſmate ab Eccleſia ſejunctae, ad ejus adhuc compagem & unitatem nequaquam poſt Piſanam Synodum pertinerent?

Totis id viribus niſuque contendit poſt Boſſuetium Arnaldus, qui ut Conſtantienſi Concilio, quod ad priores etiam ſeſſiones pertinet, Oecumenici titulum injuria abrogari demonſtret, primum obſervat (a), omnium hanc eſſe ſententiam, quod ſchiſmaticae factionis Epiſcopi, qui Synodo intereſſe recuſent, non ideo prohibere poſſunt, quin ea reapſe atque jure ſuo Oecumenica habeatur. Alioquin nec Tridentina Synodus Oecumenica fuiſſet, quoniam ipſi & Orientales Epiſcopi, & plures ex Occidente jam ſchiſmate impliciti, defuerunt. Itemque omnino dicendum eſſet, nullam Auguſtini temporibus generalem ex tota Africa fuiſſe Synodum celebratam, fruſtraque & inaniter ab eo jactari, & identidem ingeri *Plenarium totius Africae Concilium*, quoniam Epiſcopi Donatiſtae, qui Catholicos fere numero aequabant, nunquam ad eas Synodos accedebant. Quo jacto fundamento, videamus, inquit, quibus niti rationibus poſſint ii Romanae Curiae Scriptores, qui

(a) Eclairciſſem &c. cap. XVII.

in controverſiam vocant, an Conſtantienſis Synodus Oecumenica in prioribus ſeſſionibus fuerit. Quod ut perperam ab eis ac temere fieri demonſtret, novem Schelſtrato quaeſtiones proponit, ea utique fiducia fretus, ejuſmodi datum iri a doctiſsimo Viro hiſce quaeſtionibus reſponſiones, ut eis facile implicaretur, & ſententiae ipſius abſurditas argueretur. Quoniam vero antequam in lucem Arnaldi Opus prodiret, Schelſtratus ex hac luce migraverat, neque adeo ſatisfacere propoſitis ab Arnaldo quaeſtionibus potuit, nos ejus fiduciam infringere pro virili conabimur, cum propoſitarum ab eo quaeſtionum futilitatem augendo, tum ei totidem quaeſtiones proponendo, quibus eum ejuſve ſymmyſtas haud facile ſatis eſſe facturos exiſtimamus.

I. QUAESTIO.

QUum haec aliarum Quaeſtionum, quas deinde Arnaldus proponit fundamentum ſit, ex quo illae, ut deinceps videbimus, omnino pendent, cavendum ſollicite eſt, an ea ad rem pertineat, vel an potius in ea proponenda ſtatim a ſcopo aberretur. Quaerit ergo, an Eccleſia funeſto ſchiſmate in factiones diviſa ob duos Pontifices dubios, qui, ut omnibus compertum eſt; ſolum de tuenda dignitate ſolliciti, praeſtare pertinaciter renuant, quod ad ſopiendum ſchiſma neceſſarium habeatur, & ad quod ipſi ſe jurisjurandi religione obſtrinxerint; quaerit, inquam, an Eccleſia ſeſe in ea hypotheſi congregandi jus habeat, & an in Synodum congregata dubios hoſce Pontifices dejicere valeat, & certum atque indubium Pontificem in eorum locum ſufficere?

Quum mens quaeſtionem proponentis & ſcopus ſit, Gregorii XII. & Benedicti XIII. poſt Piſanam Synodum ſectatores velut ſchiſmaticam factionem ab Eccleſia praeciſam traducere; quaerendum non eſt, quid reapſe de ejuſmodi Eccleſiae jure ſentiendum ſit, aut nunc Theologi ſentiant. Quemadmodum ei qui vellet, S. Cyprianum, aut Firmilianum ſchiſmatis & haereſeos poſtulare, non utique quaerendum eſſet, quid reapſe de haereticorum Baptiſmate ſentiendum ſit, aut nunc Theologi & Eccleſia ſentiant. Nunc enim nemo niſi ſchiſmaticus & haereticus datum a ſchiſmaticis aut haereticis Baptiſmum improbat. Referenda ergo quaeſtio eſſet ad ea tempora, quibus ea de Baptiſmate controverſia nondum, ut ait S. Auguſtinus (a) *ad plenarii Concilii auctoritatem roburque perducta fuerat*: ac quaerendum eſſet; An non ſchiſmatis & haereſeos poſtulandi erant, & velut ſchiſmatici & haeretici ab Eccleſiae corpore praecidendi, qui in ea quaeſtione, *tantis*, ut idem ait, *altercationum nebulis involuta*, & nondum *Eccleſiae Catholicae concordiſſima auctoritate* ſancita, (qua de re alibi diſſeruimus) doctrinam ac diſciplinam rejiciebant, quas velut ex Apoſtolica traditione manantes conſtanter ceteri per orbem Epiſcopi retinebant. Pari ergo ratione & ea quaeſtio de Eccleſiae jure

(a) Lib. II. de Bapt. cap. IV. &c.

Jure ad ſeſe nullo indicente capite congregandum, dubioſque Pontifices dejiciendos, ad ea tempora revocanda eſt, quibus ea controverſia, nullo adhuc Romanorum Pontificum decreto, nullo Eccleſiae canone, nec ullius Oecumenici Concilii auctoritate ſancita, innoxie adhuc inter Theologos diſceptabatur.

Itaque quaerendum erat, & reapſe ab Adverſariis quaerimus: num quo tempore haec dogmata in ſcholis Theologicis obtinebant: Quod generalia Concilia ſine Romani Pontificis auctoritate cogi & celebrari non poſſunt: Et quod eorumdem Conciliorum omnis item ex Romano Pontifice auctoritas manat, aut omnino pendet; Num, inquam, velut ſchiſmatici vel haeretici habendi ſint, qui haec privilegia Romanis Pontificibus vindicantes ad Synodum a dubiis, aut rebellibus, ut illis videbatur, Cardinalibus convocatam, velut minus legitimam accedere, ejuſque decretis nullius Romani Pontificis auctoritate munitis, morem gerere detrectarunt? Non dicent puto Adverſarii. Aut ſi dicent, dicant etiam neceſſe eſt; num Cardinalium, quorum dubia dignitas ſit, ad ſe *devolutam* eſſe jactantium generalis Synodi convocationem; num aliquot Univerſitatum illis hac in re ſuffragantium; num denique Synodi ab his dubiis Cardinalibus indictae, ac nullo praeſide & auctorante Romano Pontifice, ac propterea pluribus ad eam velut minus legitimam Chriſtiani orbis populis ac nationibus accedere recuſantibus celebratae, tanta ſit aut eſſe debeat auctoritas; ut quae ab illis ſancita ſunt velut inconcuſſae & irreformabiles Chriſtianae Fidei regulae ab omnibus Catholicis haberi debeant?

II. QUAESTIO.

Quaerit ſecundo loco Arnaldus, an non Eccleſia in eo ſtatu eſſet, qui antea deſcriptus eſt, quum anno 1406. Benedictus XIII. Avenione, & Gregorius XII. Romae Sedem tenentes, magna apud omnes, ob manifeſtam in retinenda dignitate colluſionem, invidia & odio flagrabant; & jusjurandum violabant, quo ſeſe uterque ante & poſt ſuam electionem obſtrinxerat ad Pontificiam dignitatem, dum tamen aemulus cederet, abdicandam: Quod ſane medium, ad terminandum ſchiſma ceteris praeſtantius judicabatur?

Nihil hoc pariter, niſi aliquid addatur, ad praeſentem pertinet diſputationem. Illud ergo antea quaerendum; An non ea controverſia de ſingulari Romani Pontificis ad indicendam & auctorandam generalem Synodum poteſtatem, in eo, quem ſupra deſcripſimus inter Catholicos ſtatu eſſet? An non ſcilicet ad illud uſque funeſtiſſimi ſchiſmatis tempus ea in ſcholis Theologicis dogmata obtinuiſſent: ſolius Romani Pontificis eſſe generalem Synodum congregare, cujus item auctoritas a Romano Pontifice velut a fonte promanet? Exorto autem ſchiſmate quum difficultas ea de re circa aliquos caſus enata eſſet, quae Theologos in varias opiniones diſtraxit; num aliud Theologis hanc facultatem ſolis Romanis Pontificibus adſerentibus, ac propterea ad Piſanam Synodum accedere detrectantibus; num, inquam, aliud objiciebatur,

tur, quam aliquot Univerſitatum judicium, & aliquot dubiorum Cardinalium ſibi id juris vindicantium litterae, quibus Piſanam Synodum indicebant? Adferebantur quidem aliquot vel ex ratione, vel ex ſacris litteris petita argumenta. At circa novam & recens exortam controverſiam, quae Catholicos Theologos committebat, ut quis ſchiſmaticus aut haereticus haberetur, non ſolis argumentis enitendum erat, quorum vim contrariis hebetare ac retundere argumentis proclive eſſet; ſed auctoritas objicienda, quae ineluctabilis eſſet, & cui reſiſti ſine impietate non poſſet. Quaerimus ergo, an earum quas diximus Univerſitatum judicium, & dubiorum Cardinalium litterae tanti momenti & auctoritatis eſſent, ut ab omnibus Theologis & Epiſcopis pro certo & irreformabili Fidei Catholicae dogmate habendum eſſet, quod ab eis ſancitum fuerat; nimirum eſſe aliquos caſus, in quibus dubiis etiam Cardinalibus fas ſit generalem Synodum convocare, quae in iis caſibus non a Romano Pontifice, ſed ἀμέσως ab ipſo Chriſto auctoritatem derivet?

III. QUAESTIO.

Quaerit tertio loco, an iis poſitis, quae ab Emmanuele Schelſtrato negari non poſſe pro certo habet; quaerit, inquam, Arnaldus, Annon inde conſequens ſit, Juridicam & Canonicam fuiſſe duorum Pontificum in Piſana Synodo dejectionem, quae illos uti ſchiſmaticos & haereticos exauctorarit &c.

Nos autem viciſſim ab eo quaerimus, An Piſana Synodus Hiſpanis, qui *tanta Eccleſiae portio* Meldenſi Epiſcopo dicti ſunt, & Scotis, & multis Italiae & Germaniae populis ad eam accedere recuſantibus, quod bona fide & non contemnendis ducti rationibus, ejus convocationem minus legitimam exiſtimarent, nec ſcrupulis quibus angebantur evellendis, aliquot Univerſitatum judicio dubiorumque Cardinalium litteris ineluctabilem auctoritatem ineſſe crederent; quaerimus, inquam, an Piſana Synodus reapſe Oecumenica fuerit, & an tot Gente Synodum ſine ipſis celebratam velut Oecumenicam colere tenerentur, an denique ipſius decretis, quibus Gregorium & Benedictum velut ſchiſmaticos & haereticos exauctoravit, tanquam Synodi univerſalis Decretis obſtringerentur?

IV. QUAESTIO.

Quaerit quarto loco Arnaldus, An non Gregorius & Benedictus, qui ſe pro Romanis Pontificibus gerebant, canonice ejecti, judicio Synodi ſuaeque exauctorationi adquieſcere debuerint, ut ſuum jus Eccleſia in eligendo vero & indubio Pontifice exereret, ut reapſe exeruit Alexandrum V. in Petri Cathedra collocando?

Quin Canonico de ſe judicio parere Gregorius & Benedictus debuerint, dubium non eſt. At illud merito in controverſiam vocatur, An Piſanae Synodi de Benedicto & de Gregorio judicium, canonicum reapſe fuerit; tum illud quoque, An cum ipſi Gregorius & Benedictus, tum alii per univerſum orbem Catholici ejuſmodi judicium pro cano-

nico

nice habere, & velut canonicum exoſculari debuerint? Plures enim hac de re dubitandi rationes ex ſacris ipſis Canonibus ſuppetebant: faterturque ipſe etiam Synodi Calvinianus Hiſtoricus, de quo certe nulla ſuſpicio eſt, eum Romanae Curiae gratificari voluiſſe, *que les formalitez ordinaires du Droit en pareilles occaſions, n' y avoient point été obſervées*. Nam ut ſaepe diximus, juxta ſacros Canones, ad Romanum Pontificem pertinet generalem Synodum convocare. Pariter juxta ſacros Canones, ipſe debet aut per ſe, aut per ſuos Legatos Synodo generali praeeſſe. Ipſi quoque Canones Romanum Pontificem ſolius Dei judicio reſervant, niſi fuerit a fide devius. Denique iidem Canones majores cauſſas, cujuſmodi illae ſunt quae ad fidem Catholicam pertinent, per Romanum Pontificem terminandas eſſe decernunt. Hos autem Canones conſtat fuiſſe in Piſanae Synodi celebratione violatos. Hanc enim veluti ſuo jure Cardinales indixerunt; huic nullus Romanus Pontifex praefuit; In hac de Romanis Pontificibus judicium inſtitutum eſt, quos conſtabat nullis erroribus fidem Catholicam deturpaſſe. Denique ad hujus Synodi peremtorium judicium pertinere voluerunt, num velut haeretici habendi eſſent Gregorius & Benedictus, qui funeſtum illud & inveteratum ſchiſma foverent. Fatemur quidem, quarumdam Academiarum & Cardinalium judicio, non debuiſſe hos Canones habere locum, neque ad eos fuiſſe animum advertendum, ubi de ſchiſmate ageretur, quod propter inſuperabiles juris & facti difficultates inextricabile videretur, neque rationum momenta defuiſſe, quibus hoc ſuum judicium naturalis Divinique juris notionibus haud prorſus diſſentaneum & abſonum demonſtrarent. Verum, uti ſuperius animadvertimus, non hîc ſolis rationibus agendum erat, ſed interprete opus erat, cujus auctoritas ineluctabilis eſſet, & cujus Decretis, ſeu Divini & Eccleſiaſtici juris interpretationibus, acquieſcere univerſa Eccleſia & obtemperare deberet. Cujuſmodi profecto non erat quarumdam Acdemiarum dubiorumque Cardinalium auctoritas; ſed ea tantum aut certo indubioque Pontifici ineſt, aut Concilio Oecumenico, quod certus & indubius Pontifex indixerit, & auctoritate ſua regat ac moderetur.

Quum ergo ejuſmodi non fuerit Piſana Synodus; non utique certa illius actis & indubia & indeclinabilis auctoritas conſtat; adeoque, quidquid Arnaldus aliique Gallici Scriptores jactent, nec certum & indubium Pontificem, & quem univerſa Eccleſia, aliis ejectis, ſuſcipere ac venerari deberet, in Petri Cathedra collocavit. Unde conſequens eſt, haud injuria dictum de illa fuiſſe, illius opera non exſtinctum fuiſſe ſed auctum funeſtiſsimum ſchiſma, ut quae pro duobus aequo fere jure, ut multis videbatur, de Apoſtolica dignitate certantibus, tres aeque dubios invexerit. Quum Petri Alliaci Cardinalis & Epiſcopi Cameracenſis judicio, de Alexandri V. electione *non minores fuerint difficultates juris & facti, quam ante Concilium Piſanum fuerat de juſtitia duorum contendentium*.

V. QUAE

V. QUAESTIO.

QUaerit quinto loco Arnaldus, An non ex ſuperioribus conſtet, quod quum poſt Piſanam Synodum jam non eſſet niſi unicus certuſque Pontifex, cujus legitima fuiſſet electio, duobus aliis canonice exauctoratis; Concilium hujus unici & indubii Pontificis auctoritate ex omnibus fere Chriſtiani orbis provinciis convocatum, legitimum judicari debuerit, ac generale totius Eccleſiae Concilium? Nam & ad ipſum eae quoque Nationes ac gentes invitatae fuerant, quae canonice dejectis, adeoque falſis Pontificibus adhuc pertinaciter adhaerebant: quarum profecto contumacia & reſiſtentia fieri non potuit, quominus Conſtantienſe Concilium tanquam legitimum & Oecumenicum haberetur.

Nos autem quaerimus, An Concilium a Pontifice convocatum, de cujus canonica electione non minores erant, ut ait mox laudatus Cardinalis Cameracenſis, juris & facti difficultates, quam fuerant de Gregorii & Benedicti electione ante Piſanum Concilium; quaerimus, inquam, an ejuſmodi Concilium certam & indubiam habuerit in univerſam Eccleſiam auctoritatem; ut qui ad illud accedere recuſabant, velut ſchiſmatici & ab Eccleſia praeciſi habendi eſſent? Si enim, vel ipſorum Gallorum Theologorum opinione, ſchiſmatis nota iis inurenda non eſt, qui ante Piſanum Concilium aut Gregorio XII. aut Benedicto XIII. adhaerebant, quod graves utrinque de illorum canonica electione juris & facti difficultates occurrerent; cur quaeſo velut ſchiſmaticos traducemus, qui poſt Piſanum Concilium alterutrius partes adhuc tuebantur; quum deinceps haud minores fuerint circa Alexandri V. ac Succeſſoris ejus electionem juris pariter & facti difficultates?

Ut autem Quaeſtionum tanta ab Arnaldo jactantia propoſitarum futilitas adhuc luculentius innoteſcat; libet hîc pro Coronide animadvertere, eas olim in Synodo Conſtantienſi ab iis fuiſſe propoſitas, qui Piſani Concilii auctoritatem ſacram omnino & inviolabilem eſſe volebant; adeoque Johannem XXIII. velut unicum, verum & indubium Pontificem in Petri Cathedra confirmandum; Gregorium autem & Benedictum, eiſque adhuc pertinaciter adhaerentes non ultra audiendos ac tolerandos, ſed velut ſchiſmaticos & haereticos exterminandos. Has enim & illi Quaeſtiones proponebant, quae reapſe ab Arnaldinis non differunt.

„ Si Concilium Piſanum fuit legitime & canonice convocatum.
„ Si Concilium Piſanum fuit rite & canonice celebratum.
„ Si duo olim contendentes de Papatu fuerunt juſte & canonice de eo ejecti & condemnati.
„ Si electio Domini Alexandri Papae V. fuit rite & canonice facta.
„ Si dicta electio ab illis qui fuerunt in Concilio, fuit legitime & canonice acceptata.

Hae ſunt omnino, ut nemo non videt, ipſae Arnaldi quaeſtiones, quibus ipſe reſpondet, & ab omnibus reſpondendum eſſe contendit: Piſanum Concilium legitime, rite & canonice fuiſſe convocatum & celebratum;

tum; Rite & canonice Gregorium & Benedictum ab eo fuiſſe Sede Apoſtolica pulſos & exturbatos; Alexandrum V. legitime illis & canonice fuiſſe ſuffectum; Denique hanc ejus electionem non modo a Patribus jure fuiſſe ſuſceptam ac celebratam, verum & eam ab omnibus per orbem Chriſtianum Fidelibus velut legitimam & canonicam probari ac ſuſcipi debuiſſe. Eaque omnia tam certa tamque perſpicua fuiſſe jactat, ut qui de iis dubitarent, certo certius ſchiſmatici eſſent, & in eodem numero habendi atque Auguſtini aevo Donatiſtae in Africa, aut noſtrorum Patrum memoria Proteſtantes; quibus vel ad Africana Concilia, vel ad Tridentinam Synodum accedere renuentibus, tamen & illa plenaria totius Africae Concilia, haec vero totius Eccleſiae Oecumenica Synodus habita eſt.

Verumenimvero ab hac Arnaldi ſententia plurimum diſtat Cameracenſis Epiſcopi ad eas quaeſtiones reſponſum. Reſpondet enim: Quod „ licet „ Concilium (*Piſanum*) fuerit canonice & legitime convocatum, „ rite & canonice celebratum, & duo „ olim contendentes de Papatu juſte „ & canonice condemnati, & electio Domini Alexandri Quinti fuerit canonice & rite facta, & dicta „ electio ab illis, qui fuerunt in dicto „ Concilio, fuerit legitime & canonice accepta, prout haec omnia „ tenet Obedientia Domini Noſtri „ Papae Johannis Vigeſimitertii: „ tamen duae Obedientiae duorum „ contendentium probabiliter tenent „ contrarium: in qua opinionum diverſa & adverſa varietate non ſunt „ minores difficultates juris & facti, „ quam ante Concilium erat de juſtitia duorum contendentium. Igitur „ quemadmodum ante Piſanum Concilium quamquam Gregoriana factio Gregorii & Praedeceſſorum ejus electionem legitimam & canonicam fuiſſe pro certo haberet, eorumque jura perſpicua & manifeſta eſſe jactaret; Benedictinos autem velut ſchiſmaticos inſectaretur; neque hi ſecus erga Benedictum & Clementem VII. affecti eſſent, & in Gregorianos animati: attamen ſapientiores & moderatiores neutros proprie ſchiſmaticos judicabant: ita & poſt Piſanum Concilium Petrus Alliacenſis aliique prudentiores majoriſque nominis Patres atque Theologi, quamquam ipſius Piſani Concilii judicium legitimum & Canonicum fuiſſe non ambigerent; agnoſcebant tamen, Gregorii & Benedicti ſectatores talibus moveri rationibus, ut probabilis eorum eſſe videretur ſententia, neque ſecus a ſchiſmate immunes habendos eſſe, quam qui ante laudatam Synodum ob Gregorium & Benedictum digladiabantur.

Hinc autem jure colligebat Alliacenſis, quod quemadmodum ante Piſanum Concilium, *ad evitandum juris & facti difficultates*, probata eſt omnibus & laudata voluntariae ceſſionis via velut ceteris ad inſtaurandam Eccleſiae pacem accommodatior; *ita & in* Conſtantienſi Concilio, *trium contendentium de Papatu* libera & voluntaria ſummae dignitatis abdicatio laudanda erat, ac prae ceteris promovenda.

Quae quum ita ſint, quatuor ſequentibus Arnaldi Quaeſtionibus ut directe reſponderemus, nulla nos ratio cogeret; verum & eis pene ſatisfacie-

mus, quum ad ſequentia Boſſuetii Capita expendemus, quantum pro noſtra ſententia in eo momenti ſit, quod Gregoriani & Benedictini a Patribus admiſſi ſunt ad novam edendam & publicandam Conſtantienſis Synodi convocationem, quam tum demum velut Oecumenicam agnoverint ac praedicaverint, quum ab eis rurſus indicta & convocata eſt.

ARTICULUS SECUNDUS.

Aut fatendum eſt cum Cardinali Cameracenſi, haud minores poſt Piſanum Concilium, circa Alexandri V. & Succeſſoris ejus Canonicam electionem, juris & facti fuiſſe difficultates, quam ante eam Synodum fuerant in cauſſa Gregorii & Benedicti; aut omnino improbanda eſt vis Johanni XXIII. a Conſtantienſi Synodo illata, ut Pontificiam dignitatem abdicare compelletur.

POſtquam ſibi Meldenſis Epiſcopus viſus eſt ſatis eam Bellarmini ſententiam confutaſſe, qua poſt Turrecrematam negabat, Conſtantienſem Synodum ante ipſi adunatas Gregorii & Benedicti *Obedientias* fuiſſe Oecumenicam, alias ejusdem Bellarmini reſponſiones in hoc eodem Capite in hunc modum aggreditur:
„ Sed addit Bellarminus: *Non aderat tum certus Papa in Eccleſia, ſine quo dubia de fide definiri non poſſunt.* Certus, quem omnes omnino re ipſa agnoſcerent; fateor: Certus, qui merito pro certo haberetur, & quem multo maxima pars Eccleſiae re ipſa pro certo haberet, ceteris tantae multitudinis comparatione perpaucis; nec ipſe Bellarminus inficias eat.
„ Inſtat: *In Concilio nullus erat Papa: Johannes enim XXIII. qui Concilium inchoaverat, jam inde receſſerat, cum quarta ſeſſio haberetur:* Quaſi e Concilio turpiter aufugiſſe, hoc eſſet Synodo abrogare poteſtatem.

Itaque Illuſtriſſimi Adverſarii ſententia & certus aderat Pontifex in Eccleſia, & eo ex Synodo abeunte, haec tamen poteſtatem retinebat & fidei decreta condendi, & quaecumque judicaret, cum de illo, tum de ceteris Pontificibus ſtatuendi, atque illud imprimis, ut quocunque modo cedere vel invitus compelleretur. Quae duo, ut quidem ſentio, invicem conciliari ulla ratione non poſſunt; ut nimirum & Johannes XXIII. certus & unicus eſſet Pontifex; & rite atque jure ageret Synodus eum ad cedendum compellens. Quare aut fatendum eſt, Johannem Conſtantienſibus Patribus certum & indubium non fuiſſe Pontificem, aut certe probanda non eſt quam inierunt extinguendi ſchiſmatis via, illum quocumque modo cogendo, ut Apoſtolicam deponeret dignitatem.

Quod ut efficacius ac luculentius probemus; prae oculis habendum eſt, eum nos in praeſentia intelligere certum indubiumque Pontificem, de cujus legitima & canonica electione tam certo conſtet, ut qui ab illo diſſentiunt, haud ſecus ſchiſmatici habeantur & ab Eccleſiae corpore disjuncti, atque olim Donatiſtae in Africa, (his enim Arnaldus, ut ſupra vidimus, Gregorii & Benedicti Sectatores poſt Piſanam Synodum com-

comparat) qui Caeciliani electionem calumniabantur. Nam ſi certum illum Pontificem intelligamus, cujus jura ſuis tantum ſectatoribus perſpicua atque dilucida ſint, quae tamen agnoſcant tot alias juris ac facti difficultatibus involvi atque obſcurari; ut qui in eas veluti nebulas irrumpere ac penetrare non poſſunt, a ſchiſmate immunes habeantur, in aliam relabimur hypotheſim; cujuſmodi fuit illa de duobus ante Piſanam Synodum tam ſpecioſis utrinque rationibus de Sede Apoſtolica decertantibus; ut, quemadmodum ipſi etiam Adverſarii contendunt, ſchiſmatici proprie non eſſent, qui alterutrius partes ſequebantur. Dicimus ergo, quod aut Johannes XXIII. priori ſenſu certus Conſtantienſibus Patribus Pontifex non erat; aut probanda non eſt eorum agendi ratio, qua eum vel invitum ab abdicandam Apoſtolicam dignitatem compellere Synodi auctoritate atque decretis voluerunt.

Plura enim tot praecedentibus ſaeculis dira & funeſtiſſima ſchiſmata Eccleſiam in factiones diſtraxerant, ac miſere laceraverant. Cernere apud Euſebium eſt (a), quot Orientis Eccleſias Novatianum ſchiſma pervaſerit; ubi etiam, quemadmodum & alibi, tam altas paſſim radices egit, ut per plura deinceps ſaecula infelix ſecta propagata ſit, atque inter celebriores habita, quae fidem & unitatem Catholicam violarent. Cui tamen unquam in mentem venit, Cornelio legitimo Pontifici ſuadere, ut Apoſtolicae dignitatis inſignia dimitteret, dum & Novatianus loco cederet? Aut quis eum unquam, niſi ſponte abdicaret, ad id cogi legitime poſſe exiſtimavit? Quot Donatiſtae ob Caeciliani & ſucceſſorum ejus electionem non modo Africam, verum & univerſam Eccleſiam turbis exagitarint, ex SS. Optato Milevitano & Auguſtino, aliiſque Africanis Scriptoribus compertum eſt. At quae unquam Synodus Caeciliano ejuſque in Carthaginenſi Cathedra ſucceſſoribus denuntiavit, vel ut ſponte Epiſcopatum dimitterent dum tamen Donatus, aut Majorinus, aut alii ſponte ſimiliter abdicarent; aut ſeſe ad id compellendos Synodi auctoritate intelligerent? Non id certe Romanae ſub Melchiade, non Arelatenſi tot Epiſcoporum ex toto fere Occidente, non denique tot Africanis Synodis unquam ut id auderent in animum ſuccurrit.

Verum ne in ſingulis percenſendis tempus ducamus, ad ea quaeſo ſchiſmata paulliſper animum advertamus, propter quae funditus delenda, generalia Concilia celebrata ſunt; ut Lateranenſe II. ad extinguendum ſchiſma Petri Leonis, & Lateranenſe III. ad alterius ſchiſmatis delendas reliquias, quod ad plures annos tres Pſeudo-pontifices produxerant, quos & Fridericus Imperator & univerſa Germania fovebat, & aliquando etiam magna Italiae pars ſuſcepit, ut ex actis Pſeudo-ſynodi Papienſis compertum eſt. Numquid vero quum in Eccleſiae perniciem talia ſchiſmata graſſarentur, & omnia ſus deque miſcerent, Patrum vel ipſius

(a) Lib. VII. Hiſt. Eccleſ. cap. V.

ſius Eccleſiae aliquando ſententia, fuit, ad innumera quae inde prodibant mala avertenda, & Chriſtianae Reipublicae pacem inſtaurandam, Innocentium II. aut Alexandrum III. quorum perſpicua erant jura, & quos Chriſtiani populi pars maxima ſequebatur, ad voluntariam ceſſionem eſſe adigendos; dum tamen ſchiſmatici Pſeudo-pontificibus abjectis, in alterius Pontificis electionem cum Catholicis conſentirent? Non ea unquam cogitatio in S. Bernardi, non in Arnulfi Lexovienſis aliorumque Galliae Epiſcoporum, qui utrique ſchiſmati profligando egregiam navarunt operam, non in Innocentii II. non denique in Alexandri III. animum ſubiit. Quinimo in hoc negotio ita verſati ſunt, atque ea principia poſuerunt; ut Gerſonis aliorumque ſub initium ſaeculi XV. futuras novitates in anteceſſum reprobaſſe videantur.

S. Bernardus epiſtola 126. ad Epiſcopos Aquitaniae contra Gerardum Engoliſmenſem; qui adverſus Innocentium II. Pſeudo-Pontificis Anacleti partes tuebatur; ſchiſmaticos, qui generalem Synodum poſtulabant, ut in ea Innocentii cauſſa & electio retractaretur, his inter alia verbis exagitat. *Jam Deus judicavit, quod ſero repetit homo: judicavit autem operis evidentia, non decreti ſententia. Numquid Dei judicium audeat humana temeritas retractare?* In eo autem divini operis evidentiam S. Abbas conſtituit, quod Epiſcoporum, Monachorum, Regum & Principum multitudo Innocentio velut legitimo Pontifici obſequeretur. Quibus accurate recenſitis, haec de ſchiſmaticis indignabundus profert: *Et tamen adhuc iſti, neſcio qua contentioſa importunitate, & importuna contentione reclamant: Vocant in cauſſam orbem, & cum ſua paucitate univerſitatem flagitant judicari.* Quibus S. Doctoris verbis Conſtantienſes Patres gravius perſtringuntur, ſi vera ſunt quae de illis Boſſuetius aliique Galli Scriptores comminiſcuntur. Illis nimirum ſic perſuaſum fuiſſe, Spiritum Sanctum in Piſana Synodo, quae immediata illius auctoritate vigebat ac regebatur, judicaſſe; ut qui adhuc diſſentiebant, de ipſius Dei manifeſto judicio vitilitigari viderentur; manifeſto, inquam, tum *decreti ſententia* per Synodum prolata, tum *operis evidentia*, quo, ut ipſi contendunt, tam magnam orbis Chriſtiani partem in obſequium Synodi & electi ab ea Pontificis traxerit, ut tantae multitudinis comparatione perpauci refragarentur. Qua ergo temeritate Dei judicium per Piſanam Synodum editum non modo retractari, verum & irritari Conſtantienſis Synodus decreviſſet? Quo praepoſtero conſilio non modo a ſchiſmaticis vocari ad cauſſam orbem terrarum, & cum eorum paucitate orbem terrarum judicari permiſiſſent; verum & eorum *contentioſae importunitati & importunae contentioni* dediſſent, ut electus de Dei & Chriſti ejus judicio ſummus Antiſtes e Petri Sede deſcendere cogeretur?

Quum Alexander III. ad Papienſe Concilium ex Epiſcopis quinque Regnorum coactum, in quo inter ipſum & Victorem Pſeudo-Pontificem cauſſa diſcuteretur, velut *ex parte generalis Eccleſiae*, a Friderico Imperatore per Legatos invitaretur,

conſtanter ſeſe adfuturum negavit: ne *privilegium Beato Petro, & per eum Sacroſanctae Romanae Eccleſiae a Domino Jeſu Chriſto Sanctiſque Patribus traditum, & ad ea tempora quum oportuit etiam cum ſanguinis effuſione ſervatum*, cujuſcumque Synodi ſubeundo judicium violaretur. Quodnam vero eſt illiuſmodi privilegium? *Ut univerſarum*, inquit, *Eccleſiarum cauſſam ipſius auctoritate diſcuteret ac finiret, ipſa vero nullius unquam judicio ſubjaceret*. Si ergo Johannes XXIII. perinde atque Alexander III. certus & indubius erat Pontifex, jure ipſe renuebat Conſtantienſis Synodi ſeſe ſubjicere judicio, & potius quam hoc privilegium ſibi a Chriſto & Patribus traditum proderet ac violaret, ſanguinem & animam profundere debuiſſet. Ipſa vero Conſtantienſis Synodus haud jure in illum agebat, & in divinum jus involabat, ſi certum & indubitatum Pontificem ſuo ſubjicere judicio, ſuiſque devincere legibus conabatur. Quare aut dicendum eſt, Johannis XXIII. tam clara & perſpicua non fuiſſe jura, ut qui ea minime agnoſceret, vere ac proprie ſchiſmaticus non eſſet; aut Conſtantienſis Synodus rem novam & inauditum facinus aggreſſa eſt, quod non modo nullo veteris Eccleſiae tot inter ſchiſmata exemplo nitebatur, ſed poſitis ab ea principiis apertiſſime refellebatur.

Quae omnia quiſquis haud leviter ac perfunctorie, ſed ſerio meditatus ac perſcrutatus fuerit, plane comperiet, eos, qui pro Johanne XXIII. contra *viam*, ut ajebant, *ceſſionis* varias ſub ipſum Synodi initium Conſtantienſibus Patribus ſchedulas obtulerunt, invictis rationibus illius cauſſam egiſſe, ſi, ut ipſi pro certo habebant, ille unicus & indubius Pontifex erat; qui vero adhuc cum illo de Apoſtolica dignitate pertinaciter diſceptabant eiſque adhaerentes non amplius ad Eccleſiam velut jam certo ſchiſmatici & haeretici pertinebant. Contendebant enim cauſſae Johannis vindices, quod vis illi ad cedendum adhiberi non poterat, ſine magna tum Piſanae Synodi, tum ipſius Johannis injuria. Nam quod ad Piſanam Synodum pertinet; ſi Johannes perinde atque Gregorius & Benedictus ad exuenda Summi Pontificatus inſignia compelleretur; quis inde non ſtatim intelligeret, ac non jure conficeret, tam dubii & incerti juris Potificem ab ea fuiſſe orbi Catholico obtruſum, quam ante eam Synodum fuerant iidem Gregorius & Benedictus? adeoque & ipſum Concilium dubiae fuiſſe auctoritatis, nullum praeſenti ſchiſmati adtuliſſe remedium, imo vero illud auxiſſe, tertium orbi Chriſtiano incertum Pontificem invehendo, ſciſſa non jam in duas, ſed in tres factiones Eccleſia: quumque praeſentis Synodi auctoritas tota ex Concilii Piſani auctoritate pendeat, cavendum eſſe dicebant, ne & haec fruſtra coacta ſit, & pro tribus quartum Pontificem invehat aeque & ipſum incertum, qui proinde & quinto & ſexto praeparet locum, atque ita malum in dies deterius evadat, & in immenſum augeatur.

Cum quanta vero Johannis Pontificis injuria praepoſterum illud quorumdam in Synodo Conſtantienſi conſilium conjunctum eſſet, inde illius

vin-

vindices demonſtrabant, quod qui Johannem certum legitimumque Pontificem & Synodi gneralis approbatione munitum, haud ſecus ac Gregorium & Benedictum, ad ceſsionem compellere meditabantur, eodem loco ipſum habere videbantur atque ſchiſmaticos & haereticos ejuſdem Synodi ſententia notatos atque dejectos. Si certa erant atque perſpicua Johannis jura, cur non a Synodo vindicanda? Ut quid enim leges? ut quid jura? ut quid Synodi? ut quid judicia? *niſi ut inter rixantes pax & veritas declaretur*? Quae adeo nullius deinceps uſus futura ſint, niſi jus ſuum cuique etiam clarum & manifeſtum reddendum ſit. Porro nec divino nec humano jure obſtringi Johannem ad voluntariam ceſsionem, & extra rem ea produci ex Evangelio loca: *Bonus paſtor ponit animam ſuam pro ovibus ſuis*. Ac rurſus: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: & ſi perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem &c.* Nam ex eiſdem Evangelicis locis habemus, mercenarii eſſe oves dimittere ac fugere: boni vero Paſtoris potius animam ponere quam gregem deſerere, & non modo univerſum ovile, ſed vel unam ovem negligere. Quare Johanni XXIII. mors potius oppetenda, quam creditum ſibi a Deo paſcendi munus abdicare, & nulli non labores obeundi, ut duas Gregorii & Benedicti ſchiſmaticas factiones velut oves perditas ad Chriſti ovile reducat. Sic Sanctos Pontifices a ſchiſmaticis exagitatos, qui in factionem ſuam Principes quoque & Imperatores, totaque adeo regna pertraxerant, non ideo ceſsiſſe, ſed caput fortiter objeciſſe impiis etiam hominibus amputandum, quam ſtationem dèſererent, vilique fuga occaſionem ſchiſmaticis & haereticis darent, invitum ſibi Paſtorem, pro libito & quotieſcunque vellent, e Chriſti grege ejiciendi. Turbarent enim & miſcerent omnia, ac Pſeudo Pontifice coſtituto nunquam pacem reſtitutum iri jactarent, niſi uterque abdicaret. Sic plane acta res eſſet, & nihil ultra deſiderandum, ut legitimus Pontifex dejiceretur.

Ejuſmodi momenta rationum, quibus a Johannis defenſoribus ejus cauſſa agebatur, ſi Gallorum hypotheſis admittatur, invicta erant, nec eis ſatis poterat fieri niſi ab illis, qui non tam certam Piſanae Synodi auctoritatem, & Alexandri V. ejuſque ſucceſsoris electionem exiſtimarent, ut qui ſecus ſentiebant, velut ſchiſmatici & haeretici habendi eſſent. Sane Cardinalis Cameracenſis, qui illis pro Johanne ſchedulis reſpondendi provinciam ſuſcepit, hoc primûm, uti ſuperius animadvertimus, jecit reſponſionis ſuae fundamentum: quod quamvis Piſanae Synodi & Johannis XXIII. certa ipſius aſseclis & indubia videretur auctoritas; ſecus tamen, & quidem *probabiliter*, Gregorii XII. & Benedicti XIII. ſectatoribus videbatur; nec minores adhuc eſse profitebatur circa Johannis electionem, quam fuerant ante Piſanum Concilium juris & facti difficultates: eoque jacto fundamento, jure etiam ac merito addebat, quod quemadmodum ante Piſanam Synodum duorum de Apoſtolica dignitate certantium voluntaria ceſsio ab omnibus probabatur, & ad eam reapſe exſequendam jure

illos

illos compellere eadem Synodus potuit; quidni & Conſtantienſis Synodus eadem oeconomia in tres hodie Contendentes utatur? Quod unum reſponſum ſatis erat ad omnia pro Johanne XXIII. argumenta funditus evertenda. Quod autem praeterea laudatus Cardinalis ſexta & ſequentibus Concluſionibus adjungebat, etiam certum legitimumque Pontificem, *attenta*, ut ajebat, *prolixitate caſus praeſentis, pro pace Eccleſiae celerius procuranda, juſte poſſe ad ceſſionem*, Synodi generalis auctoritate, *compelli*; tum gratis ab ipſo, nullaque reddita ratione, nulloque praelucente veteris Eccleſiae documento & exemplo dicebatur; tum etiam magno in errore illius ſententia erat; quum uti teſtatam jure quodam ſuo adſumeret rem a veritate maxime alienam. Quamquam enim ab initio ſchiſmatis plura jam luſtra effluxiſſent; tamen a Piſanae Synodi celebratione vix integrum luſtrum praeterierat; quare ſi ea legitimum certumque Pontificem conſtituerat, non tam cito deſpondendus erat animus, ſed generalis Concilii electique ab eo Pontificis jura & auctoritas fortiter adhuc ſuſtinenda. Quare aut in eodem ſtatu & ante & poſt Piſanam Synodum teterrimum illud ſchiſma ſpectandum erat, aut nihil levius & inanius ea Cameracenſis Epiſcopi diſputatione, & ad oblatas pro Johanne XXIII. *cedulas* reſponſione.

Ex quibus omnibus jure colligere mihi videor, aut Conſtantienſe Concilium in prioribus illis ſeſſionibus generale & Oecumenicum non fuiſſe, ſi Piſanae Synodi & Johannis XXIII. non ſic erant perſpicua jura & conteſtata auctoritas, ut qui adhuc refragabantur, jure pro ſchiſmaticis & haereticis haberentur; aut ſi certa Piſanae Synodo & Johanni auctoritas conſtabat, merito & jure ſuo Conſtantia Johannes diſceſſerat ad declinandam vim, quae illi a Synodo parabatur; ac proinde quamquam alias generalis fuiſſet Synodus, nulla tamen illarum Seſſionum habenda eſſet ratio; a quibus nimirum ipſius Concilii culpa Romanus Pontifex abfuiſſet, qui caput eſt *Eccleſiaſticorum negotiorum*, quo minime probante, ex vetere & conſtanti Eccleſiae traditione, decreta Eccleſiis condenda & conſcribenda non ſunt.

CAPUT XXII.

„ Quod inter Catholicos certum ſit,
„ Concilium Conſtantienſe jam inde ab initio, & ante adunatas
„ Obedientias fuiſſe Oecumenicum. Bulla, *Inter cunctas*, a
„ Martino V. ſacro approbante
„ Concilio, edita Conſtantiae.

HUjus quoque Capitis examen in alium rejicere locum neceſſe eſt. Pendet enim tantae rei elucidatio ex aliis quaeſtionibus, quae ubi fuerint in optimo lumine collocatae, hujus quoque claram & perſpicuam ſolutionem ſuppeditabunt.

CA-

CAPUT XXIII. &c.

,, An novae Concilii convocationes, ,, Gregorii & Benedicti Obedien- ,, tiis Conſtantiam advenientibus, ,, pacis ſtudio factae, anteceden- ,, tium ſeſſionum auctoritatem in- ,, fringant? de ſuſcepto Gregorio ,, ſeſſione XIV.

HOc & quatuor ſequentibus capitibus Boſſuetius unam & eamdem verſat difficultatem. Nimirum totus in eo eſt ut Lectoribus perſuadeat, non eo labefactari priorum Seſſionum Oecumenicam auctoritatem, quod accedentibus ad Synodum Conſtantienſem Gregorianarum ac Benedictinarum partium Epiſcopis ſeu Legatis, novae factae ſint earum nomine ejuſdem Synodi convocationes, quam non ante Oecumenicam judicarint ac nuncuparint, quam & ipſi ad eam adjuncti fuiſſent. Haec porro Adverſarii contendunt, Synodi oeconomiae atque indulgentiae tribuenda eſſe *non* quidem, inquit Boſſuetius, *de ſua auctoritate dubitantis, ſed Apoſtolica caritate ſuſtentantis infirmos*. Ob quam ſubinde providam Concilii diſpenſationem tam nullo jure detrahi a nobis prioribus ejus ſeſſionibus Oecumenicam dignitatem, quam qui a ſimili Martini V. erga Aegidium Munionem, (poſt Petrum de Luna a tribus Cardinalium larvis umbraticum Pontificem electum) ejuſque aſſeclas, ob delendas apud Aragonenſes funeſti ſchiſmatis reliquias oeconomia, argumentum duceret, quo totam Conſtantienſis Synodi auctoritatem, & ipſius Martini canonicam electionem in dubium revocaret. Haec aliaque Boſſuetius in hoc & ſequentibus capitibus, in quibus etiam alia producit veteris Eccleſiae ſimilis indulgentiae ac diſpenſationis exempla. Haec & Arnaldus in iis quaeſtionibus, quae ex eo capite ſuperſunt, ex quo & ſuperius examinatas excerpſimus. Atque ut alios in praeſentia omittam, haec & Nat. Alex. diſſert. IV. in Hiſt. Eccleſ. ſaec. XIV. & XV. §. VIII. Quae tamen quam eorum principiis cohaereant, ante omnia inſpiciendum eſt.

ARTICULUS PRIMUS.

Ex ipſis Adverſariorum principiis demonſtratur, Gregorianos & Benedictinos, antequam ad Synodum Conſtantienſem aggregarentur, ſchiſmaticos & haereticos non fuiſſe. Quumque notabilis Eccleſiae pars fuerint, illis adhuc Synodo repugnantibus, aut nondum agnoſcentibus, ab ea non ſatis fuiſſe univerſalem Eccleſiam repraeſentatam.

SCilicet Adverſarii volunt, nullumque non movent lapidem, ut Baſileenſis Synodi reliquiae, & Lauſannenſis miſerabilis Synodus, quae per ſummum ſcelus & inauditum facinus Eugenio IV. damnato, idolum ſibi ac Pontificis ſpectrum ſub Felicis V. nomine conſtruxerunt, a ſchiſmatis tamen nota habeantur immunes. Quod ut evincant, iis rationibus ac principiis utuntur, de quibus in praeſentia non quaeram quanti ad eam controverſiam momenti ſint,

aut

aut quam juſte recteque ad illam accommodentur. Sed hoc unum demonſtrabo, ea quam maxime apta eſſe & idonea ad Gregorianarum & Benedictinarum partium ſectatores a ſchiſmatis labe purgandos, antequam Conſtantienſi Synodo aggregarentur. Quamquam autem Adverſarii iiſdem fere rationibus ac principiis utantur; praecipue tamen Natalis Alex. de illo argumento diſſertationem in medium adferam, quod communes omnium rationes ſtrictiore methodo complexus ſit.

Hanc ergo laudatus Auctor Diſſert. VIII. in Hiſt. Eccleſ. Saec. XV. & XVI. Articulo VII. theſim proponit: *Synodi Baſileenſis Patres, etiam poſt quam Eugenium Quartum in jus vocaverunt & depoſuerunt, ac Felicem V. elegerunt: Ipſumve Felicem & eorum obedientiis adhaerentes; a ſchiſmatis proprie dicti labe purgabit, quiſquis animum a praejudiciis liberum ad hujus examen Quaeſtionis adjunget*. Similem & nos theſim de Gregoriana & Benedictina, ut dicebantur, Obedientiis ſtatuimus; & eas ſcilicet a ſchiſmatis labe immunes eſſe habendas, quamquam nec Piſanae Synodo adhaeſerint, nec Conſtantienſem ante voluerint velut Oecumenicam agnoſcere ac venerari, quam ipſae illi ſponte ac libere aggregarentur. Neque ad hanc theſim confirmandam aliis in praeſentia volumus uti rationibus, quam quibus ad ſuam ſtabiliendam Nat. Alex. aggreſſus eſt.

„ Primo, inquit laudatus Auctor, „ ſchiſmatici proprie dicuntur, *qui „ propria ſponte & intentione ſe ab „ Eccleſiae unitate ſeparant quae eſt „ unitas principalis* (inquit S. Thomas 2. 2. Quaeſt. XXXIX. Art. I.) „ At Synodus Baſileenſis, Felix V. „ & eorum Obedientiis adhaerentes, „ propria ſponte & intentione ſe ab „ Eccleſiae unitate non ſepararunt; „ ſed Eccleſiae matrici fidei, & omnium Chriſtianorum Matri, ſemper adhaeſere, & Sedi Apoſtolicae Romanaeque Eccleſiae, ceteriſque Chriſtiani & Catholici orbis „ Eccleſiis communione conjunctiſſimi fuere: Quamvis ab Eugenii „ IV. Obedientiae ſeceſſerint, Synodus quidem Baſileenſis illum „ deponendo, ob rationes quas legitimas & canonicas eſſe exiſtimabat, & in Synodi Conſtantienſis, „ ſuiſque ab eodem Eugenio comprobatis decretis fundatas; Felix vero „ quia ſe legitimum Pontificem, „ ab Oecumenica, ut putabat, Synodo univerſalem Eccleſiam repraeſentante, creatum arbitrabatur; „ idemque cenſebant eorum Obedientiae, Eugenium, inquam, jure „ depoſitum, Felicem rite electum: „ non erant itaque ſchiſmatici.

Nihil facilius eſt, quam hanc ipſam rationem ad noſtram theſim accommodare. Quo enim jure miſerabiles illae Synodi Baſileenſis reliquiae ab Eugenio IV. & Synodo Florentina, quae tanto certius quam Piſana univerſalem repraeſentabat Eccleſiam, ob inique latam in ipſum Eugenium depoſitionis ſententiam, diris anathematis confixae, Romanae Sedis & univerſae Eccleſiae communionem retinuiſſe dicuntur, quoniam ob rationes in Conſtantienſibus Decretis, ut eis videbatur, fundatas, Eugenii depoſitionem, & Felicis in ejus locum intruſionem legitimas & cano-

canonicas exiſtimabant: eodem & nos, imo & longe potiori ac luculentiori jure adfirmabimus, Gregorii & Benedicti Obedientias cum Romana Eccleſia & Apoſtolica Sede, & per eam cum ceteris Eccleſiis, quibus illa communionis fons & origo, nec non centrum unitatis eſt, & matrix fidei, communionem retinuiſſe: quamquam ob rationes in conſtanti Eccleſiae traditione, & in vetuſtis Canonibus, totius mundi reverentia conſecratis, fundatas; quibus ſtatutum erat, ne Synodus Oecumenica niſi a Romano Pontifice convocaretur, nec niſi ipſo ſaltem per ſuos Legatos praeſente celebraretur, nec denique niſi eo praelucente, ac fidem prope dictante, quae ad ipſam fidem pertinent tractarentur; Piſanam Synodum non a Romano Pontifice convocatam, non eo praeſide celebratam, non eo auctore quae ad fidem pertinerent decernentem, velut legitimam & Oecumenicam agnoſcere ac ſuſcipere renuerunt? Si enim illi, qui vetuſta, atque ex ipſo divino jure manantia *principalis Cathedrae* privilegia, *unde unitas Sacerdotalis exorta eſt*, tanto furore oppugnabant, & tam immaniter violabant; haud tamen propria ſponte & intentione ſe ab Eccleſiae unitate & Sedis Apoſtolicae communione ſeparaſſe, ſed eis ſemper conjunctiſsimi fuiſſe dicendi ſunt: Quanto nos potiori jure dicemus, haud illos ſeſe propria ſponte atque intentione ab Ecleſiae unitate, & Sedis Apoſtolicae communione ſejunxiſſe, ſed eis ſemper fuiſſe conjunctiſſimos, qui nihil magis verebantur, quam ne eam Sedem offenderent, neve in illius jura & praerogativas involarent, e quibus in omnes Eccleſias venerandae communionis jura dimanant, & in quibus totius Eccleſiae pax, unitas, tranquillitaſque fundatur?

„ Secundo, Baſileenſis quidem „ Concilii Patribus (*inquit Nat. „ Alex.*) objiciebat Eugenius, quod „ ab Eccleſiae Capite Chriſti Vica- „ rio, & a Sede Apoſtolica ſegre- „ gati, ſchiſma feciſſent. At illi „ contra ſchiſmatis crimen in Euge- „ nium refundebant, qui ſe a Syno- „ do univerſalem Eccleſiam reprae- „ ſentante ſegregaſſet.

Quam merito Baſileenſibus Eugenius ſchiſmatis crimen objiceret, & quam impudenter ſe ſe univerſalem Eccleſiam repraeſentare Baſileenſes jactarent, adeoque eam culpam in Eugenium ipſum refunderent, ſuo loco demonſtrabimus. Interim vero ſi ob hanc etiam rationem ſchiſmatis invidia conflanda Baſileenſibus non eſt; & ea quoque nobis ſuffragatur. Nam ut Piſana Synodus Gregorio & Benedicto ſchiſmatis crimen objiciebat, eiſque Adhaerentes velut ſchiſmaticos inſectabatur: ita hi viciſſim, Cardinales qui a ſe defecerant, & Piſanam Synodum congregaverant, velut ſchiſmaticos & rebelles; Piſanum autem Concilium velut Conciliabulum & Pſeudo-Synodum deteſtabantur; nec rationes utrinque deerant, quas ſuo unaquaeque pars judicio praetexeret. Sed propius ad rem pertinent & ad praeſentem diſputationem quae ſequuntur. Subjungit enim:

„ Tertio, ſchiſmaticis ad Eccle- „ ſiam redeuntibus certa ſchiſmatis „ ejurandi praeſcripta formula eſt,

„ quo

,, quo ejurato ; per impoſitionem ,, manuum Eccleſiae reconciliabantur. ,, ... At nihil ejuſmodi poſtulatum eſt a Concilii Baſileenſis Patribus, a Felice V. & eorum Obedientiis, nulla lex eccleſiaſticae ,, erga ſchiſmaticos diſciplinae ipſis ,, impoſita: ſed ipſos inter & Nicolaum V. aequis pene & honorificis conditionibus tranſactum eſt, ,, ut in cauſis obſcuris, & ubi dubia ,, ſunt jura partium, fieri ſolet. ,, Cenſuras omnes & ſententias, ,, etiam cum approbatione Ferrarienſis, Florentini, aut alterius generalis Concilii, in Patres Baſileenſes, ,, in Amedeum, Felicem V. in ſua ,, Obedientia nuncupatum, & omnes ,, ac ſingulos iis adhaerentes latas ,, reſcidit, ac perinde habendas dixit Nicolaus V. *ac ſi nullatenus* ,, *emanaſſent*, Diplomate quod incipit: *Tanto nos pacem*. Omnia & ,, ſingula ipſorum famae & nomini ,, injurioſa ex Regeſtis Eugenii ac ,, ſuis, & aliis quibuſcunque locis, ,, aboliri & deleri juſsit; adeoque invidioſa illa ſchiſmatis, ſchiſmaticorum, conciliabuli, & ſimilia ,, nomina. Omnes etiam Ordinationes, collationes, privilegia &c. ,, a Synodo Baſileenſi, & ipſo Felice V. tempore diſſidii ipſos inter & Eugenium deceſſorem ſuum ,, ſeque ipſum, conceſſa confirmavit Diplomate, quod incipit: *Ut* ,, *pacis*. Ex alia parte Synodus Baſileenſis Lauſanam translata, & Amedeus in ſua obedientia Felix V. ,, appellatus ſimilia decreta ediderunt ac promulgarunt. Non ſchiſmaticorum poenis affectus Amedeus, ſed primus Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis creatus, Legatus inſuper & Vicarius Sedis Apoſtolicae perpetuus in ditionibus omnibus Ducis Sabaudiae: nuſquam ,, ſchiſmaticus, poſtquam de pace ,, tractari coepit, ſed *Felix Papa V.* ,, *in ſua Obedientia nuncupatus*, a ,, Nicolao V. dictus eſt; quemadmodum & ipſe & Synodus Lauſanenſis in pacificis illis Diplomatibus ,, ac Decretis *Eugenium IV. & Nicolaum V. in ſua Obedientia Romanos Pontifices nuncupatos*, non ſimpliciter Pontifices dicunt. Et quod ,, majori conſideratione dignum eſt, ,, Baſileenſes Patres Lauſanae Concilium abſolventes, ad Nicolai V. ,, obedientiam accedunt, ipſum Pontificem eligendo, quaſi Sede vacante, decernendoque ut ipſi ab ,, omnibus Chriſtianis pareatur.

Haec omnia perinde nec minus belle in Gregorii & Benedicti Obedientias convenire, quiſquis Conſtantienſis Synodi monumenta, & eorum temporum Acta vel a limine ſalutaverit, ignorare non poteſt. Nulla & ipſis Eccleſiaſticae erga ſchiſmaticos diſciplinae impoſita lex eſt, nulla ejurandi ſchiſmatis praeſcripta formula, nulla qua Eccleſiae reconciliarentur ſuper eorum capita manuum impoſitio: ſed ipſos inter & Synodum Conſtantienſem cum in celeberrimis Capitulis Narbonenſibus, tum in omnibus aliis Actis aequis omnino conditionibus tranſactum eſt, ut in cauſſis obſcuris, & ubi dubia ſunt jura partium, fieri ſolet. Gregorii XII. ſtemma gentilitium cum Pontificiae dignitatis inſignibus Legati ipſius hoſpitio publice Conſtantiae adfixum an tolerari deberet, in utram-

utramque partem acerrime diſceptatum eſt, aliis judicantibus, id in loco qui Johannis partes ſequebatur, non eſſe tolerandum, aliis tolerari debere, ſi ipſe Gregorius adeſſet, aliis denique jure egiſſe Legatum, & Johannis juſſu depoſita Gregorii ſtemmata eſſe reſtituenda. Communi tamen Synodi adſenſione conſtitutum eſſe videtur, ut adverſarum partium Cardinales cum rubro galero aliiſque ſuae dignitatis inſignibus reciperentur. Quo modo reapſe Johannes Dominici O. P. Gregorii Legatus, Ludovico Bavaro, Johanne Patriarcha Conſtantinopolitano, & Epiſcopis Vormatienſi, Spirenſi ac Verdenſi ſtipatus, Conſtantiam invectus, a Synodo ſuſceptus eſt: ſimiliſque honor & aliis cum Gregorii, tum Benedicti Cardinalibus habitus, ubi ad Synodum acceſſerunt. Gregorius ejuſque Legati cum Synodo tractare renuerunt, cui praeeſſet Johannes, imo nec pro Synodo, nedum pro Oecumenica, Conſtantienſem, ut ajebant, Congregationem habuerunt, priuſquam ab eis Gregorii nomine convocata fuiſſet. Utraque Obedientia ſtatim atque mutuo liberoque conſenſu in unam coaluit Synodum, cenſuras omnes hinc inde latas, vel a Johanne in Gregorium, vel a Gregorio in Johannem, eiſque adhaerentes, reſcidit, *& omnem exinde contractam maculam ſive notam*, de medio ſuſtulit, abolevit & irritavit. Omnia etiam ab ipſo Gregorio *in ſua reali Obedientia rationabiliter geſta* probavit, & confirmavit. Non ſchiſmaticorum poenis affectus a Synodo Gregorius, ſed poſt Romanum Pontificem primum inter Cardinales teneres locum juſſus eſt, perpetua in Marchia Anconitana legatione donatus. Idemque poſtquam de pace tractari coeptum eſt, nuſquam ſchiſmaticus, ſed *Gregorius XII. in ſua Obedientia nominatus*; quemadmodum & Johannes XXIII, non ſimpliciter, ſed in ſua Obedientia Romanus Pontifex, dicti ſunt. Neque ſecus cum Benedicti Obedientia, ejuſque Obedientiae Legatis, & Cardinalibus &c. ipſoque etiam Benedicto actum eſt, donec ob inſuperabilem pertinaciam primum a ſuis deſertus, poſtmodum totius Synodi ſententia exauctoratus eſt. *Ita ne porro* ut Nat. Alex. ſua verba reddam, *cum ſchiſmaticis agitur?*

„ Quarto, ſane inquit, laudatus
„ Auctor, ſchiſmatis rei fuiſſent Gal-
„ licana Eccleſia, Rexque Chriſtia-
„ niſſimus & alii Principes, qui cum
„ Synodo Baſileenſi ad extremum
„ uſque communicaverunt..... ſi
„ Baſileenſes ipſi Patres fuiſſent ſchi-
„ ſmaticis, & Felix proprie dicti
„ ſchiſmatis caput extitiſſet. Baſi-
„ leenſes etiam Patres & Felix V.
„ ac eorum Obedientiae communio-
„ ne juncti non fuiſſent cum Gallis,
„ & aliis Chriſtiani orbis Nationibus
„ colentibus Eugenium IV. & Nico-
„ laum V. Pontifices, ſi ab Eccle-
„ ſiae unitate, & a Cathedra S. Petri
„ fuiſſent prorſus avulſi &c.

At quam ipſe Nat. Alex. aliique Gallici Scriptores indigne ferrent, Gallicanam Eccleſiam, regemque Chriſtianiſſimum alioſque Principes, ob totam ad extremum uſque cum Baſileenſibus communionem, proprie dicti ſchiſmatis poſtulari; tam certe Hiſpaniae Scriptores iniquo ani-

mo

mo ferre & indignari debent, quod quis Eccleſiam Hiſpanicam, totque Caſtellae, Aragoniae, & Navarrae Reges, alioſque Principes, rebus pro Chriſtiana religione adverſus Mauros fortiter & praeclare geſtis, aliiſque virtutibus inſignes, ſchiſmaticos proprie fuiſſe, & eorum aliquos etiam in ſchiſmate obiiſſe contendat. Quo etiam argumento Natal. Alex. probabit, nullam inter Chriſtianiſſimum Regem & alios Galliarum Principes, qui Johannem XXIII. & Hiſpaniarum Reges ac Principes, qui Benedictum XIII. colebant; nullam inter Galliarum & Hiſpaniarum Epiſcopos reliquumque Clerum & Populos, quos inter eadem erant de legitimo Pontifice opinionum divortia; nullam denique inter Rupertum Imperatorem, Comitem Palatinum, Bavariae, & Brunſvicenſium ac Luneburgenſium Duces, Langravios Haſſiae, Trevirenſem Electorem, nec non Epiſcopos Spirenſem, Verdenſem & Vormatienſem, qui adhuc poſt Piſanam Synodum in Gregorii fide perſtiterunt; & inter Sigiſmundum, primum Hungariae Regem poſtea etiam Imperatorem, alioſque Germaniae Principes & Epiſcopos, qui ſe ſe ad Alexandri V. & Johannis XXIII. obedientiam tranſtulerunt; quo inquam argumento Nat. Alex. probabit, nullam tot inter Gentes & earum Reges, Principes & Epiſcopos, eo temporis intervallo, quod a Piſana ad Conſtantienſem uſque Synodum effluxit, interceſſiſſe communionem? Ut quamquam Alexandrum V. & Johannem XXIII. legitimos certoſque fuiſſe Pontifices daremus; haec tamen mediata, ut ajunt, cum illis communio Gregorii, & Benedicti ſectatores, ex laudati Scriptoris aliorumque Galliae Theologorum placitis, a ſchiſmatis proprie dicti macula ablueret.

„ Quinto, ſchiſma, inquit Nat., „ perfectum non eſt, niſi cum aliqui „ Summo Pontifici vero & indubitato „ ſubeſſe, & membris Eccleſiae ei „ ſubjectis communicare pertinaciter „ recuſant, ut docet S. Thomas 2. 2. „ Quaeſt. XXXIX. Art. I. Porro Patres Baſileenſes, & eorum Obe- „ dientia, non renuebant pertinaciter „ ſubeſſe Summo Pontificis, ſed Eu- „ genio ab Oecumenica Synodo (ut „ ipſi quidem perſuaſum habebant) „ legitime exauctorato; & Felici „ V. quem rite & cononice electum „ arbitrabantur, obedientiam exhi- „ bebant, Romanam Eccleſiam & „ Sedem Apoſtolicam venerabantur, „ eique adhaerebant: De perſonis „ tantum lis erat: & nihilominus com- „ munione jungebantur cum Galli- „ cana Eccleſia, & aliis quae Euge- „ nium ceu verum Pontificem cole- „ bant. Schiſma igitur perfectum „ non erat hujuſmodi diſſidium: Alio- „ qui & Carolus VII. Rex Chri- „ ſtianiſſimus ſchiſmatis reus fuiſſet, „ ut qui cum Synodo Baſileenſi & „ ejus membris communicaret.

At nihil magis in promtu eſt quam haec omnia in ſuum regerere auctorem. Nam & Gregorianarum & Benedictinarum partium Antiſtites non renuebant pertinaciter ſubeſſe Summo Pontifici, ſed Gregorio ac Benedicto a Piſana Synodo (quam neque Oecumenicam neque legitimam fuiſſe perſuaſum habebant) praeter fas & injuria, ut ipſis videbatur, exauctoratis

ratis adhaerebant ; & Alexandri V. ejuſque Succeſſoris electionem nequaquam (ut eis itidem videbatur) legitimam & canonicam inſectabantur ac reſpuebant. Romanam vero Eccleſiam & Sedem Apoſtolicam tanto ipſi propenſius venerabantur, quanto hac una de cauſa a Piſana Synodo abhorrebant, quod ejus convocatione, celebratione atque decretis, ipſius Sedis Apoſtolicae ac Romani Pontificis jura violata fuiſſe exiſtimabant. Itaque de perſonis tantum lis erat: & nihilominus Cardinalem Cameracenſem alioſque, inter Conſtantienſes Patres, moderatiores ac ſapientiores; qui Gregorio & Benedicto adhaerentes probabilem ſequi ſententiam, graviſſimaſque juris & facti de Piſanae Synodi juribus ſupereſſe difficultates, agnoſcebant & candide profitebantur; illos, quemadmodum propria atque germana ſchiſmatis notio poſtulat, communione Eccleſiaſtica prohibuiſſe, neque veriſimile eſt, neque ullo documento oſtendi utcunque poteſt. Alioquin Martinus Aragoniae Rex in ſchiſmate obiiſſet, eidemque nefario & pernicioſo ſchiſmati Ferdinandus ejus Succeſſor fere ad mortem uſque fuiſſet implicitus. Quod an Hiſpanicarum rerum Scriptores aequo animo laturi ſint, aliorum eſto judicium.

„ Denique, ne Synodi Baſileenſis Patres, *inquit ſaepe laudatus Hiſtoricus*, etiam poſt Eugenii depoſitionem & electionem Felicis, dicantur ſchiſmatici, prohibet Ludovici Alemandi Cardinalis Arelatenſis miraculis comprobata ſanctitas..... Hunc autem rerum a ſe in Concilio Baſileenſi geſtarum poenitentiam egiſſe ; quod Odoricus Raynaldus, & alii eiſdem praejudiciis occupati ſcribunt..... merum commentum eſt &c. Obiit etiam pari ſanctitatis opinione Amedeus, olim Felix V. in ſua Obedientia nuncupatus, quem & multis miraculis poſt obitum effulſiſſe, Philippus Bergomenſis & alii teſtantur..... nuſquam vero ſe peccaſſe agnovit Amedeus in eo quod Pontificatum a Synodo Baſileenſi poſt depoſitionem Eugenii IV. ſibi delatum ſuſcepiſſet ; & novem annos geſſiſſet.

At nobis potiori jure hoc argumento uti fas eſt. Ut enim ſchiſmaticis proprie dictis Hiſpanos accenſeamus, poſt Piſanam Synodum Benedicto adhaerentes, prohibere debet S. Vincentii Ferrerii eximia virtus & ſanctitas, qui hoc ipſo temporis intervallo, quo Benedicto a Confeſſionibus fuit, & apud eum Magiſtri Sac. Palatii munere fungebatur, ſpiritu Dei plenus, & innumeris ſignis miraculiſque refulgens, vivam in ſe Apoſtolicorum temporum ac virorum imaginem exprimebat. Qui quamquam Conſtantienſi Synodo morem gerens, & a Benedicto ipſe receſſerit, & ab ejus obedientia univerſum Aragoniae Regnum abſtraxerit ; nuſquam tamen eum ſervatae poſt Piſanum Concilium, eidem Benedicto fidei ac praeſtiti obſequii poenituiſſe narratur. Ne autem quibuſdam Italiae & Germaniae populis, qui Gregorii partes adhuc poſt eamdem Piſanam Synodum ſequuti ſunt, ſchiſmatis proprie dicti maculam adſpergamus, prohibere itidem debet S. Antonini Archiepiſcopi Florentini rerum Theolo-

gica-

gicarum & Sacrorum Canonum conſultiſsimi graviſsimum judicium, qui Piſanum Concilium, ipſo jam aetate & ſanctitate florente celebratum, ut Conciliabulum & Pſeudo-Synodum habuit, & ab eorum ſe opinione abeſſe ſignificavit, qui Gregorio deſerto, Alexandro V. ceu legitimo Pontifici paruerunt. Quae quum ſcripſerit III. P. Chronicorum jam annis gravis, rebuſque ſanctè ac praeclare geſtis caelo maturus, conſtat plane eum nunquam ſemel ſuſceptae opinionis poenituiſſe; adeoque nec vere unquam ſchiſmaticum fuiſſe: quia niſi tanto ſcelere lacrymis expiato, verae ſanctitatis gloriam conſequutus nunquam fuiſſet.

An haec argumenta, quibus Gallici Scriptores a Baſileenſibus ſchiſmatis culpam depellere conantur, quod ipſi volunt reapſe efficiant efficaciterque ſuadeant, ſuus erit hac de re diſſerendi locus. Interim vero hinc demonſtraſſe ſufficiat, quam ipſi aut nullo jure halce rationes contemnant, quum eis Gregorii & Benedicti Obedientias adhuc poſt Piſanam Synodum a ſchiſmatis ſcelere vindicamus; aut quam nullo pariter jure iiſdem rationibus utantur ad Baſileenſes ab eadem infamia liberandos. Nam ſi eae rationes nullius roboris & momenti ſunt, quum ad Gregorii & Benedicti Obedientias aptantur; cur validae & efficaces pro Baſileenſibus habendae ſunt? Aut ſi ad hos vindicandos jure meritoque adferuntur; cur rejiciendae ſunt, ſi quis eas pro Gregorii & Benedicti Obedientiis expendat? Sed haec Adverſariorum ἀνακολουθία evidentior erit, ſi exceptiones conſideremus, quibus eaſdem rationes ad noſtram theſim accommodatas elevare conantur.

ARTICULUS SECUNDUS.

Sibi non conſtant, nec ſuis rationibus cohaerent Adverſarii, quum iis in nos exceptionibus agunt, quae nullo negotio in eos regeruntur.

Quod Gregorii Legati, Aragonenſes, Navarrici & Caſtellani adacti minime ſunt ad Conſtantienſem Synodum, antequam illi unirentur, velut Oecumenicam ſuſcipiendam; quod permiſſi ſunt ejuſdem Synodi velut a Johanne XXIII. minus legitime indictae novam edere convocationem; denique quod iidem Gregorii Legati admiſſi ſunt ad Papatum velut hactenus ab eo jure retentum ipſius nomine libere ac ſponte abdicandum, Synodi oeconomiae atque indulgentiae deberi, Adverſarii noſtri contendunt. Quod ne novum ac ſine exemplo gratiſque confictum eſſe videatur, alia proferunt cum recentiora tum vetuſtiora ſimilis indulgentiae ac diſpenſationis exempla; ut inter vetuſtiora illud Africanorum Patrum erga Donatiſtas S. Auguſtino mirifice celebratum, illud S. Cyrilli Alex. & Xyſti III. Romani Pontificis erga Johannem Antiochenum, & Theodoritum alioſque Orientales, illud denique S. Gregorii Magni erga Theodelindam Longobardorum Reginam; in quibus exponendis & ad caſum noſtrum aptandis toto capite XXVII. Boſſuetius verſatur. Inter recentiora vero illud cum ab eodem Auctore toto capite XXIV. tum ab

Ar.

Arnaldo Quaeſtione IX. expenditur & celebratur, quod a Martino V. erga Aegidium Munionem ejuſque aſſeclas exhibitum eſt ob delendas nefarii ſchiſmatis apud Aragonenſes reliquias.

Verum quo jure quave facilitate hiſce Adverſarii exemplis utuntur, & nobis itidem uti fas erit ad eorum pro Baſileenſibus diſputationem labefactandam. Quis enim & nos dicere vetabit ac propugnare, eadem Nicolaum V. erga Baſileenſis Synodi reliquias, & Felicem illum Pſeudo-Pontificem uſum eſſe oeconomia, qua olim & Africani Patres in Donatiſtas, & Cyrillus ac Xyſtus III. in Orientales, & Gregorius Magnus in Theodelindam, & Martinus V. in Munionem & Paniſcolenſes ſchiſmaticos uſi ſunt? Haec igitur exempla, quibus Adverſarii nituntur, & quibus exponendis integra impendunt capita, velut quaedam loca communia ſpectanda ſunt, quae ad varias cauſſas aptari poſſint, & ex quibus proinde nihil efficiatur, niſi etiam propoſita theſis propriis & intimis rationibus demonſtretur. Id quidem & adverſarii conantur, verum & hae ipſorum rationes tam communes tamque verſatiles ſunt, ut in eos pari facilitate convertantur.

Id namque unum tota cum Illuſtriſſimi Boſſuetii capite XXIII. & XXV. tum Arnaldi in VI. & VII. ex ſaepe laudatis Quaeſtionibus diſputatio probat, Conſtantienſe Concilium & quum Gregorii Legatos, & Aragonenſes, & Navaricos & Caſtellanos ad Synodum velut minus legitime convocatam; ac nondum Oecumenicam, rurſus convocandam admittebat; ſeſe tamen generale & Oecumenicum exiſtimaſſe, ac de ſua legitima convocatione & auctoritate neutiquam dubitaſſe.

Quid ergo? Numquid de ſua legitima & canonica electione dubitabat Nicolaus V. Numquid non ſe certum, unicum, & indubitatum Pontificem exiſtimabat? Numquid irrito conatu in Eugenium IV. Baſileenſes debacchatos eſſe ambigebat, quum Amedei abdicationem velut liberam & voluntariam probabat, quum illum *in ſua Obedientia Felicem V. nominatum*, dici & appellari ſinebat, quum Lauſanenſis Pſeudo-Synodi in ſe collata ſuffragia velut ad ſuam firmandam electionem aliquid habitura momenti minime repudiabat, quum denique velut aequo jure, & iiſdem fere conditionibus cum eodem Amedeo & Lauſanenſibus tranſigebat? Quis hoc ſibi perſuadeat? Ergo ſi oeconomiae atque indulgentiae tribuenda ſunt, quae a Conſtantienſibus duabus Gregorii & Benedicti Obedientiis permiſſa & indulta ſunt, quod illi ſeſe, & quando cum Gregorianis & Benedictinis velut aequo jure tranſigebant, Oecumenicam eſſe Synodum perſuaſum habebant; quidni & Nicolai V. indulgentiae & oeconomiae tribuamus quaecumque & Amedeo & Lauſanenſibus permiſſa ſunt, quum ſe ille profecto nuſquam legitimum eſſe Pontificem dubitarit?

Reponet forſan Arnaldus, quod quamquam ſe Nicolaus legitimum & unicum eſſe Pontificem non ambigeret, ambigere tamen debebat; quum dici non poſſit, univerſam Eccleſiam poſt latam in Eugenium IV. a Baſileenſibus depoſitionis ſententiam in ejus fide & obſequio perſeveraſſe, adeo-

adeoque in ipſius Nicolai electionem conſenſiſſe, antequam pacis conditiones utrinque adimplerentur. „ Ait „ enim laudatus Auctor (a) minime „ ferendam falſitatem eſſe (*une fauſſeté tout-à-fait étrange*) quod Eu- „ genio IV. poſt latam in eum a „ Baſileenſibus ſententiam univerſa „ adhaeſerit Eccleſia, alioquin Fe- „ lix V. nullam habuiſſet Obedien- „ tiam. Eccur ergo Nicolaus V. in „ ſuis diplomatibus de Amedeo lo- „ quens ait, quod in ſua Obedien- „ tia Felix nuncupabatur: *In ſua Obe-* „ *dientia Felix dictus*? Et nobis ergo adverſus Arnaldum dicere licebit, hanc eſſe *une fauſſeté tout-à fait étrange*, quod univerſa Eccleſia poſt Piſanam Synodum Johanni XXIII. adhaeſerit; adeoque & Conſtantienſe Concilium velut generale coluerit: alioquin neque Gregorius neque Benedictus ullam ſub Conſtantienſis Synodi initium habuiſſent Obedientiam. Eccur ergo in omnibus ejuſdem Synodi Actis Gregorii & Benedicti Obedientiae nominantur: *Angelus de Corrario & Petrus de Luna, Greg. XII. & Bened. XIII. in ſuis Obedientiis nuncupati*? Subjungit Arnaldus: Eſſe „ tam falſum, univerſam Eccleſiam „ poſt Baſileenſium de illo judicium „ Eugenium tanquam verum Pon- „ tificem coluiſſe, ut Raynaldus ad „ annum 1447. fateatur Imperatorem „ & Germaniae Principes, qui Eu- „ genium inter atque Felicem ha- „ ctenus fluctuaverant, ſolum ad eum „ annum, hoc eſt novem poſt Eu- „ genii depoſitionem annis, ad eum „ ſub certis quibuſdam conditionibus „ poſtliminio redierint. Ergo Germanicae Nationis diſſenſus, ſeu potius negatio conſenſus ſatis, Arnaldi judicio, eſt, ne univerſa Eccleſia dicatur in Eugenii fide & obſequio perſeveraſſe. Eccur ergo Hiſpanica Natio, & plures Italiae ejuſdemque Germaniae Principes, imo & Rupertus Imperator, qui Piſanam Synodum, & Alexandrum V. ejuſve ſucceſſorem agnoſcere conſtanter recuſarunt, nullo loco & numero habendi erunt, ubi quaeritur, an in Piſanae Synodi judicium, & Alexandri V. ejuſque Succeſſoris electionem univerſa conſenſerit Eccleſia?

Hactenus ergo paria omnia eſſe videntur; ut omnino fatendum ſit, aut nos iis rationibus legitime uti ad Gregorii & Benedicti *Obedientias* a ſchiſmatis ſcelere emaculandas; aut nec eis uti debere Adverſarios ad Baſileenſes & Amedeum ab eadem noxa purgandos. Sed eſt tamen aliquid, quo utraque cauſſa plurimum diſtat, efficitque, ut eaedem rationes & validae & efficaces ſint quum ad noſtram, infirmae autem ac nullius momenti quum ad eorum theſim accommodantur. Conſtat enim, Eugenio IV. adverſus ſchiſmaticos Baſileenſium conatus tanquam certo & indubitato Pontifici Florentinam Synodum adhaeſiſſe, quae certe, quidquid aliquot Galliae Scriptores ſentiant, haud deteriore jure ſibi Oecumenicae titulum, quam Conſtantienſis in prioribus ſuis ſeſſionibus vindicabat. Conſtat etiam, Nicolaum V. & ejus *Obedientiam*, eam ſaltem, quae Florentinae Synodi velut Oecumenicae de-

(a) Eclairciſſem cap. XXVII.

decretis inhaerebat, certo certius exiſtimaſſe Baſileenſium reliquias nullo prorſus jure & irrito conatu cum Eugenium exauctorare, tum Felicem in ejus locum ſufficere voluiſſe: atque adeo nullum dubium eſt, quin ea quae Lauſanenſibus & Felici atque illius *Obedientiae* Nicolaus V. indulſit, ejus oeconomiae & Apoſtolicae caritati atque indulgentiae debeatur. At contra, ut ſaepe diximus, certum eſt, Conſtantienſis Synodi Patres cum Cardinali Cameracenſi agnoviſſe, eos qui Johanni XXIII. parere recuſabant, probabilem hactenus ſequutos eſſe opinionem, quam non minores quam ante Piſanam Synodum fuerant circa Gregorii & Benedicti electionem, eſſent adhuc circa Alexandri V. ejuſque Succeſſoris in eorum locum ſubrogationem, juris & facti difficultates. Quapropter, quamquam ipſi probabilem ſequuti ſuae *Obedientiae* opinionem, Oecumenicae Synodi auctoritatem oſtentarent ac prae ſe ferrent; nihilo tamen minus non ex mera oeconomia & indulgentia Gregorianis & Benedictinis quae ſupra deſcripſimus permiſerunt, ſed quoniam aequi rectique ratio poſtulabat, ut in re obſcura, & haud ſecus atque ante Piſanam Synodum propter juris & facti difficultates inextricabili, aequis pene & honorificis conditionibus tranſigeretur.

Quae quum ita ſint, quis jam ſibi perſuadeat, quae Meldenſis Epiſcopus aliquot ſuadere conjecturis Capite XXVI. conatur? Nimirum Gregorianos & Hiſpanos Epiſcopos, poſtquam ſemel ad Synodum acceſſerunt, omnia praecedentium ſeſſionum decreta velut generalis Concilii placita ſuſcepiſſe; & quum de Wicleſſitarum aut Huſſitarum haereſi & communione ſuſpectos Martinus V. interrogari praecepit, An generales Synodos, & in his nominatim Conſtantienſem, univerſalem Eccleſiam repraeſentare crederent, eum ad priores illas ſeſſiones reſpexiſſe, quas nemo niſi de haeretica impietate ſuſpectus negaverit, per ſe & abſolute, atque uti primum celebratae ſunt, Oecumenicae Synodi auctoritate pollere? Quis, inquam, id ſibi perſuadeat? eos qui tantopere caverunt, ne ad Conſtantienſe Concilium velut jam Oecumenicum accedere viderentur, omnia praecedentium ſeſſionum decreta, velut jam ex ſe ſe Oecumenica auctoritate pollentia, & irretractabili firmitate vigentia prono animo ſuſcepiſſe; tum etiam Martinum V. haereſeos ſuſpicionem in eos conferri voluiſſe, qui priores illas ſeſſiones pro Oecumenici Concilii ſeſſionibus non haberent, aut qui in illis univerſalem Eccleſiam fuiſſe perfecte repraeſentatam pernegarent. Martinum, inquam, id ſtatuiſſe, prorſus inveriſimile eſt; ut qui optime noſſet, quam id aegre laturi eſſent Gregorianarum & Benedictinarum partium Reges, Principes, & Epiſcopi, qui hanc ineundae pacis conditionem propoſuerant, & cum hac item conditione ſollenniter conceptiſque verbis ſancita, ad Synodum acceſſerant, ne in prioribus illis ſeſſionibus Concilii Oecumenici auctoritatem ſuſpicere cogerentur. Id autem tanto ſtudio, & tam ſollicite caverant, ne in ſola Johannis *Obedientia* Eccleſia Catholica extitiſſe, ipſi vero tanquam ſchiſmatici & extra Eccleſiam jam

dudum

dudum poſiti, & ad ejus ſinum veluti poſtliminio revertentes, ſuſcepti eſſe crederentur. Has initae pacis conditiones voluiſſe novum Pontificem violare, & hanc ſibi injuriam irrogari, aequo animo tuliſſe Gregorianos & Hiſpanos Epiſcopos &c. quis animum inducat credere? Id porro quamquam ex ſe a veri ſimilitudine quam longiſſime abſit; attamen magis efficitur incredibile, ſi mentem advertamus ad celebrem illam proteſtationem, in qua Hiſpanica Natio palam edixit, ſe ſe quibuſdam Synodi decretis Seſſione XIV. editis minime obſtringi, etiamſi alias valida exſiſterent, non ob aliam utique rationem, quam quod nondum ad Synodum acceſſerat, quum ea ſeſſio celebrata eſt: *Obſtantibus quibuſdam hujus Concilii Decretis, quibus nos Hiſpanica natio, etiamſi alias valida exſiſterent, non ligamur*. Nec ullius momenti eſt, quod Nat. Alex. reponit (*a*): Nationem Hiſpanicam „ ideo haec dixiſſe, quia in ea opi„ nione erat, Decreta diſciplinam „ ſpectantia non obligare abſque ac„ ceptatione, cum exceptiones ſta„ tuunt a jure communi, quale erat „ decretum illud Synodi Conſtan„ tienſis &c. Non, inquam, alicujus momenti eſt ejuſmodi reſponſum. Non enim in eo vim facimus, quod Natio Hiſpanica dixit, ſe iis Synodi decretis non ligari; ſed eis non ligari, etiamſi alias valida exſiſterent, hoc eſt, ut haec verba ipſe Nat. Alex. interpretatur, etiamſi alias Concilii Oecumenici auctoritate edita eſſent. Unde colligimus, Hiſpanicam Nationem, poſtquam ad Synodum acceſſit, non ea mente fuiſſe, ut praecedentium ſeſſionum decretis velut ex ſe Oecumenica auctoritate pollentibus obſequeretur. Quae porro adverſus hanc Hiſpanicae aliarumque Nationum & Cardinalium adverſus Nationem Germanicam Proteſtationem, Arnaldus latiſſime diſſerit, ſuo loco data opera excutiemus. Ut etiam illud ad examen alibi revocabimus, An quartae quintaeque ſeſſionis Decreta Gregoriani & Hiſpani utcunque probarint, iiſque innixi ſint in iis, quae communi cum ceteris Nationibus ſuffragio peracta ab illis & decreta ſunt.

CAPUT XXVIII. &c.

„ Objectio ex defectu confirmati (*ſ.* „ *confirmationis*) petita diſſolvi„ tur.

INter alia, quae decretorum quartae & quintae ſeſſionis auctoritati objiciuntur, haud ultimum locum tenet, quod ex defectu Pontificiae confirmationis petitur argumentum: nam Martinus V. ea tantum probavit confirmavitque Synodi Conſtantienſis Decreta, quae & ad fidem pertinerent, & *conciliariter* deliberata & geſta fuiſſent. Hinc autem jure nobis colligere videmur, quartae quintaeque ſeſſionis Decreta non fuiſſe a laudato Pontifice confirmata, quod iis accenſeri non debeant, quae ad fidem pertinerent, & *conciliariter* deliberata & geſta fuerant. Quamquam enim prima fronte non ſatis con-

(*a*) Differt. IV. in Hiſt. Eccl. ſaec. XIV. & XV. §. VIII. n. LXXII.

conſtare, imo & obſcurum atque ambiguum eſſe videtur, quaenam *conciliariter* deliberata & geſta intelligi debeant; id tamen haud obſcure colligimus ex Tractatu Petri de Allioco Cardinalis Epiſcopi Cameracenſis de Eccleſiaſtica Poteſtate, qui in ipſa Conſtantienſi Synodo editus eſt. Nam I. Parte Cap. IV. aliqua dubia proponens, *quae* dicebat *apud nonnullos magnam perplexitatem inducere*; haec inter, *primum* hoc *dubium* excitat: *An quatuor Nationes in hoc ſacro Concilio ſic diſtinctae ..... excluſo Cardinalium Collegio, faciant generale Concilium; quum ſint plura Concilia particularia valde inaequaliter & improportionabiliter diviſa, & ad partem deliberantia: Quae deliberatio, excluſa deliberatione dicti Collegii, & non facta in communi ſeſſione collatione votorum, videtur multis non eſſe cenſenda* DELIBERATIO CONCILII CONCILIARITER FACTA. Ex quibus verbis, ſi cum iis quae a Martino V. prolata ſunt, conferantur, clare intelligitur, quaenam accipi debeant velut in Synodo Conſtantienſi *conciliariter* deliberata. Ea nimirum, quae Praeſide Romano Pontifice; aut eo abſente, coram Cardinalium Collegio, Eccleſiam Romanam omnium Eccleſiarum Matrem atque Magiſtram quodammodo repraeſentante, & communi cum eodem Collegio conſultatione & ſuffragio decreta fuerant. Quamquam enim haec Cardinalis Cameracenſis veluti dubia & inter Patres controverſa proponat; certum tamen eſt, cum ipſum, tum univerſum Cardinalium Collegium, adeoque & ipſum Martinum V. tunc Odonem Cardinalem Columna in ea fuiſſe ſententia, quod quatuor Nationes, ſecluſo Pontifice & ſacro Cardinalium Collegio, Concilium generale facere & repraeſentare non poterant, nec ab illis deliberata, decreta, vel geſta, iis accenſeri quae *conciliariter* deliberata, decreta aut geſta fuiſſent, ut aperte conſtat ex decem *Concluſionibus*, quas idem Cameracenſis litteris conſignavit, totum autem Cardinalium Collegium adoptavit, & Concilio ac Caeſari exhibuit, *de jure Cardinalium Johannis XXIII. Concilii negotia cum aliis tractandi*: quae omnes eo pertinent, nec humano nec divino jure fas eſſe quatuor Nationibus, Romanam Eccleſiam & Collegium Cardinalium ab earum rerum tractatione repellere, quae decernendae ſanciendaeque in Synodo eſſent. Igitur ex Cardinalium adeoque & Martini Quinti, ſententia, quae ſine ſacri Collegii deliberatione decreta fuerant, iis annumerari non debent, quae velut *conciliariter* deliberata vel geſta Pontifex adprobavit.

Neque hoc tamen omnibus Patribus ſufficere videbatur, ut res aliqua *conciliariter* ſancita diceretur; ſed praeterea exigebant, ut non modo conſultationi ac deliberationi Pontifex adeſſet, verum etiam ut ipſo auctore decreta conderentur, & ſub ejus nomine ederentur: *quia a Papa procedit virtus & auctoritas Concilii*, ut inquiebat Johannes Patriarcha Antiochenus in brevi ſcripto quod poſt Seſſionem VI. ad profugum Johannem per Cardinales S. Marci & Florentinum direxit: quae etiam communior fuiſſe videtur Theologorum in ipſa Synodo opinio. Quum enim ea

quae-

quaeſtio coram Cardinale Cameracenſi in ſpeciali quadraginta Theologorum Congregatione diſcuteretur, ſolum duodecim cum eodem Cardinale in contrariam ſententiam abierunt, ceteris illi *in faciem viriliter contradicentibus*. Qua de re fuſius infra diſſeremus.

Denique ea Synodorum Decreta ad fidem proprie pertinere videntur, quae propoſita indictaque contrariam doctrinam pertinaciter defendere ac propugnare pergentibus anathematis poena, ſancita ſunt. Quare quum nulla ejuſmodi poena decretis quartae quintaeque ſeſſionis addita ſit, hinc conſequi videtur, ea nequaquam a Pontifice confirmata fuiſſe velut Decreta, quae ad fidem Catholicam pertinerent. Id quod etiam ex ipſa Synodo conſequi videbatur, quae in ipſa Seſſione V. accurate dataque opera & manifeſte diſtinxerat decreta illa de Poteſtate Eccleſiaſtica ab iis quae deliberanda proponebantur circa Wiclefitarum & Huſſitarum haereſeon damnationem. Nam de prioribus ſcriptum erat, quod ea Poſnanienſis Epiſcopus legit *per modum Conſtitutionum Synodalium*: De poſterioribus vero, quod *legebat quaedam Aviſamenta in materia fidei*. Quae ſane diſtinctio plurimum facere & conferre videtur ad recte percipiendum ſenſum Apoſtolicae confirmationis, quae iis tantum adhibita eſt quae *in materiis fidei* deliberata *conciliariter* ac decreta fuerant: quae proinde neutiquam aptanda eſſe videtur ad ea capitula, quae per modum Synodalium Conſtitutionum perlecta, ab iis ſedulo ac ſollicite ſecreta fuerant, quae *in materia fidei* deliberanda proponebantur.

Sed ut haec omnia in meliori lumine collocentur, & Adverſariorum commenta funditus evertantur, quatuor ſequentes theſes totidem Articulis data opera demonſtrandas aggredior.

Prima eſt, de ſupradictis circa Eccleſiaſticam poteſtatem Capitulis non fuiſſe in Synodo Conſtantienſi ſatis pro materiae gravitate ac difficultate deliberatum.

Secunda, iis Decretis non modo conſenſum non adhibuiſſe Pontificem, verum & eis vehementiſſime repugnaſſe.

Tertia, de illis non fuiſſe cum Cardinalium Collegio deliberatum, nec ejuſdem Collegii calculo fuiſſe unquam probata, quum iis ſemper reſtiterit & refragatum ſit.

Quarta, non fuiſſe Synodi mentem, ut ea capitula decreto peremtorio & prorſus irretractabili ſancirentur, nec tanquam Articuli ad fidei regulam immobilem & irreformabilem pertinentes, ab omnibus Catholicis ſuſciperentur.

Quae theſes dum luculenter efficaciterque probentur, inde aperte conſtabit, Synodi Conſtantienſis decreta, de quibus in praeſentia diſſerimus, non eſſe in eorum cenſum referenda, quae velut *conciliariter* deliberata, & ad fidem pertinentia Martinus V. Apoſtolica confirmatione munivit.

A R.

ARTICULUS PRIMUS.

De quartae quintaeque Seſſionis Decretis ad Conciliorum generalium poteſtatem & auctoritatem pertinentibus, ſatis pro rei gravitate ac difficultate, in Synodo Conſtantienſi deliberatum non eſt.

SI Ludovicum Maimbourg. Nat. Alex. Antonium Arnaldum, & Illuſtriſſimum Boſſuetium audire libet & ad eorum dicta animum accommodare, perſuaſum habere debemus, in nullo unquam generali Concilio dogmata, quae in controverſiam veniebant, fuiſſe & accuratius examinata, & uberius pertractata, & magis ad vivum reſecata, quam ea de ſumma Conciliorum generalium auctoritate decreta, quae quarta & quinta Synodi Conſtantienſis ſeſſione ſancita ſunt; *nihil ut unquam*, inquit Meldenſis Epiſcopus Cap.XXX. *fuerit vel doctrina elimatius, vel auctoritate firmius, quam id quod hoc negotio a ſancta Synodo conſtitutum eſt.*

At nos cum Bellarmino, Schelſtrato aliiſque contendimus, in nullo unquam Concilio nihil levius, & magis temere ac praecipitanter deliberatum, decretum, definitumque, quam quod in illis ſeſſionibus ſtatutum eſt: atque perſpectum & exploratum habemus, Conſtantienſem Synodum a veterum Conciliorum moribus receſſiſſe & regulas eſſe praevaricatam, nullo ut unquam eorum exemplo Conſtantienſium in hoc tam gravi negotio ratio defendi & excuſari poſſit. Quum non temere, neque ob leves tantum rationes meraque indicia tam gravis nota illorum decretorum Auctoribus imprimenda ſit, nunquam profecto hanc theſim propoſuiſſem, niſi certo de illa conſtare, & luculentiſſimis argumentis demonſtrari poſſe confiderem. Ac reapſe patienter & aequo animo feram, mihi potius temeritatis notam inuri, ſi meris conjecturis, & non ipſa rerum evidentia monſtravero, a veterum Conciliorum gravitate atque inſtitutis Conſtantienſes in iis ſeſſionibus quam longiſſime receſſiſſe; quum tamen nulla non ratio vellet, ut longe ipſi majore quam vetera Concilia, in hoc negotio ſedulitate ac diligentia verſarentur.

Quum Johannes XXIII. die XXI. Martii ſub veſperam fugam e Conſtantia Schafhuſam arripuiſſet, communis opinio, ac dolor omnium fuit, ejus diſceſſu aut jam ſolutum, aut brevi ſolvendum eſſe Concilium; quum ea eſſet, ut poſtea patebit, plurium Theologorum, & omnium fere Cardinalium ſententia, per Synodum cogi non poſſe Pontificem, ex eoque manare Concilii generalis auctoritatem: qui adeo niſi Conſtantiam ſponte rediret incaſſum irritoque conatu Synodus adlaboratura eſſet ad infauſti ſchiſmatis exſtinctionem, & omnium votis deſideratam Eccleſiae reformationem. Caeſar itaque & alii Patres de Concilii conſervatione & proſecutione ſolliciti, tres ad Pontificem Cardinales deſtinarunt, qui poſtularent, ne Concilium diſſolveret aut transferret, & *Procuratores* conſtitueret, qui Pontificatum ejus nomine abdicarent. Quod ut ſerius & efficacius apud Pontificem agerent, juſſus eſt Gerſon poſtera die XXIII. Martii ante Lega-

torum

torum iter de Concilii Conſtantienſis auctoritate & poteſtate publica Oratione diſſerere, ad quam a Caeſare & Nationibus invitati Cardinales adeſſe renuerunt, ab officio ſuo alienum & omnino abſonum judicantes (a) ad eum convenire locum, in quo Gerſonem audituri eſſent Romani Pontificis & Apoſtolicae Sedis jura ſollenni oratione deterentem. Quare & orationis ejus exemplar ſibi a Caeſare oblatum legere recuſarunt.

Gerſonem hac oratione velut claſſicum ceciniſſe, quo Theologi excitati & in contrarias pugnanteſque opiniones diſtracti, & tunc Conſtantiae & Schafhuſae, ac deinceps de Romanorum Pontificum & generalium Conciliorum poteſtate & auctoritate acerrime digladiati ſunt, rerum in Synodo geſtarum Scriptoribus obſervatum eſt. „ Laudatus Johannis „ Gerſonis ſermo, inquit Jacobus „ Lenfant (b), fundamentum fuit „ oeconomiae, quam erga Johan„nem XXIII. Synodus deinceps ſer„vavit, & origo celebris contro„verſiae, quae tunc magna animo„rum contentione Conſtantiae & „ Schafhuſae tractata eſt, & quae „ nondum finiri potuit, quibuſdam „ adhuc cum illius aevi Cardinalibus „ propugnantibus Pontificiam Con„ciliorum, aliis autem cum Ger„ſone Conciliorum Pontificiae an„tecellere auctoritati. Eadem fere habet & Fleurianae Hiſtoriae continuator, nempe (c) „ Gerſonis „ orationem fuiſſe & fundamentum, „ cur Synodus ita ſe in cauſſa Jo„hannis XXIII. geſſerit, & origi„nem quaeſtionis, quae tunc vehe„menter agitata fuit, praeſtet ne „ Concilium Pontifici, nec ne prae„ſtet. Neque ab his diſſentit, ut alios interim omittam, Ludovicus ipſe Maimbourg libro V. de ſchiſmate Occidentali, ubi tum primum de hoc argumento diſputari coepiſſe animadvertit, quum Johannis Gerſonis oratione plerique incitati eſſent ad rei tantae inveſtigandae cupiditatem: „ En, *inquit* (d), quae res in cauſa „ fuerit, cur tunc temporis celebris „ illa quaeſtio oriretur, quae nun„quam

(a) Lenf. Hiſt. Conc. Conſt. lib. II. num. II.

(b) Ce diſcours de Jean Gerſon fut le fondement de toute la conduite du Concile à l'égard de Jean XXIII. & l'origine d'une grande controverſe, qui fut alors agitée avec beaucoup de chaleur tant à Conſtance qu'à Schafhuſe, & qui n'a pû même être terminée juſqu'à preſent, les uns ſoûtenant encore, comme faiſoient alors les Cardinaux; que le Pape eſt ſuperieur au Concile, & les autres que le Concile eſt ſuperieur au Pape, comme fait ici Gerſon. *Ibidem*.

(c) Le diſcours de Gerſon fut le fondement de toute la conduite du Concile dans l'affaire de Jean XXIII. & l'origine de la queſtion qui fut vivement agitée alors, ſi le Concile eſt au-deſſus du Pape ou non. *Lib. CII. num. CLXXIII.*

(d) Voila l'occaſion qui fit naiſtre alors cette fameuſe queſtion, qu'on n'a jamais agitée dans l'ancienne Egliſe, à ſçavoir, ſi le Concile eſt par deſſus le Pape, ou le Pape par deſſus le Concile. Car comme le ſermon du Chancelier de Paris avoit fait grand bruit & à Conſtance & à Scafhuſe, ou pluſieurs Cardinaux, & autres Peres du Concile s'eſtoient rendus apres du Pape, on ne manqua pas de diſputer avec beaucoup de chaleur ſur ce grand ſuiet, immediatement après la troiſiéme Seſſion, qui commença le Lundi XXV. de Mars, & fut continuée le jour ſuivant.

„ quam diſcuſſa a vetere Eccleſia
„ eſt: Utrum Pontifici Synodus, an
„ Synodo Pontifex antecedat. Quum
„ enim & Conſtantiae & Schafhuſae,
„ quo plerique Cardinales & alii
„ Patres poſt Papae fugam ſe ſe con-
„ tulerant, Cancellarii Pariſienſis ora-
„ tio magnos rumores excitaſſet, fieri
„ profecto non potuit, quominus ma-
„ gno animorum aeſtu ultro citro-
„ que de re tanta diſceptaretur ſtatim
„ poſt tertiam ſeſſionem, cui datum
„ initium eſt die Lunae 25. Martii,
„ & adhuc in diem ſequentem pro-
„ rogata eſt.

Quum ergo Gerſonis doctrina, ex qua Concilii & Pontificis jura fataque pendebant, non omnibus Patribus ac Theologis probaretur, quin pleriſque vehementiſſime etiam improbaretur, juxta veterum Conciliorum morem ab ipſis uſque Apoſtolorum Synodis derivatum, & ipſis Adverſariis tantopere commendatum, publicum, ut videtur, de illa & canonicum examen inſtituendum erat. Conſtabat enim Gerſoniana illa oratio XII. Propoſitionibus, quarum aliquot varios primum ſubdoloſque ſenſus evolvere, operae pretium fuiſſet: deinde omnes & ſingulae ad ſacrarum litterarum amuſſim, & veterum Conciliorum Romanorumque Pontificum, nec non Patrum ac Theologorum doctrinam velut ad certam regulam in publicis ſeſſionibus, quibus adeſſet & ſacrum Cardinalium Collegium exigendae fuerant, ut de illis, quemadmodum ſuperius laudatus Cardinalis Cameracenſis monebat, *conciliariter* ſtatueretur. Quod tamen factum non eſſe, imo & de induſtria praetermiſſum, & ex Actis compertum eſt & ipſi Adverſarii fatentur, quamquam talis examinis a *Synodo* praetermiſſi rationes aliquas comminiſcuntur, quas mox ad trutinam revocabimus. Et quidem cum ſacro Cardinalium Collegio de articulis ſeu decretis in quarta & quinta Seſſione propoſitis ac promulgatis non fuiſſe deliberatum, Articulo III. data opera demonſtrabitur. Interim adnotaſſe ſufficiat, ab ipſis Cardinalibus in quarta Seſſione monitas fuiſſe Nationes (*a*), ut ad Tempus talia ſeponerent, *quae*, ut ajebant, *magnas habent difficultates, & maturam exigunt deliberationem*. Quae tamen deliberatio, quam Cardinales tantopere deſiderabant, indulta illis a Caeſare & Nationibus non eſt; ſed ſolum aliqui ſelecti, qui in privato colloquio mutilationem & omiſſionem aliquot decretorum Cardinali Florentino exprobrarent, ubi inter eos *aliqualiter diſputatum eſt*; ſtatutumque, ut eadem decreta, quae tot obſita erant difficultatibus, nullo licet publico & canonico examine diſcuſſa & eliquata, rurſus in proxima ſeſſione promulgarentur. Cur quaeſo ſacro Cardinalium Collegio, totque aliis graviſſimis Patribus ac Theologis, quos Eugenius IV. Johannes Turrecremata, & Rodericus Calaguritanus Epiſcopus, quorum de hac re teſtimonia Schelſtratus adfert [*b*], horumce decretorum promulgationi interceſſiſſe teſtantur; cur, inquam, iisdatum non eſt

(*a*) Von der Hardt. Tom. IV. pag. 92. Lenf. lib. II. num. XVII.
(*b*) Diſſert. II. cap. II.

eſt quod Wicleſo & Huſſo denegatum non eſt, ut eorum doctrina, nonniſi inſtituto diligenti & vere *conciliari* examine damnaretur?

Reſpondet Boſſuetius cap. XXX. quod „ fidei quaeſtiones, puta Wi-
„ cleſi & Huſſi, quae a Concilio
„ certis Deputatis examinandae, ſunt
„ commiſſae, infinitae erant. Of-
„ ferebant enim ſe horum Haereti-
„ corum variae & perplexae Pro-
„ poſitiones, & omnigenorum er-
„ rorum monſtra; neque tantum
„ Wicleſi libri & doctrina exitiabilis,
„ ſed etiam Auctoris damnanda erat
„ memoria, exhumandi cineres,
„ ſcrutandi ſectatores longe lateque
„ diffuſi, & occulti ulceris perſcru-
„ tandi ſinus; tum Huſſus ipſe prae-
„ ſens confutandus, convincendus,
„ ejuſque diſcipulus Hieronymus Pra-
„ genſis. Horum Artificum compri-
„ mendi lubrici lapſus dolique rete-
„ gendi. At in ſeſſione quarta &
„ quinta ſimpliciter juris quaeſtio &c.
Sed quae tamen in plures eaſque graviſſimas quaeſtiones diffundebatur. Quaerendum enim erat 1. Num quatuor Nationum Conventus ſine Pontifice & Cardinalibus Concilium univerſale faceret, quod Eccleſiam Catholicam repraeſentaret? Quaerendum 2. Num eam ſaltem repraeſentaret, praeſentibus Cardinalibus, & abſente Pontifice? Quaerendum 3. Num immediate a Chriſto, an medio Pontifice poteſtatem haberet? Quaerendum 4. An non ea poteſtas a Romano Pontifice velut a centro lineae, velut ab arbore & radice rami, velut domus a fundamento penderet? Quaerendum 5. Num Pontifex Concilio obedire teneatur in his quae pertinent ad fidem conſtituendam, vel ſolum ad fidem in praecedentibus Conciliis ipſius quoque Sedis Apoſtolicae auctoritate firmatam? Quaerendum 6. Num Synodo Pontifex ſubjectus eſſet in his quae pertinent ad ſuorum morum & Sedis Apoſtolicae reformationem? Quaerendum 7. An quod ſcriptum erat, quod Romanus Pontifex a nemine judicatur, id de ſolis particularibus Synodis eſſet intelligendum? Quaerendum 8. An quod pariter ſcriptum erat, quod Romanum Pontificem non judicat niſi Deus, & quod ipſe Caelo tantum debet innocentiam, ipſorum quoque generalium Conciliorum judicio & coërcitioni illum eximeret? Porro ejuſmodi quaeſtiones ex pluribus aliis propoſitionibus pendebant, quae ſimiliter accurate erant examinandae. Johannes Gerſon in fine Tractatus *de auferibilitate Papae ab Eccleſia*, quadraginta ejuſmdi propoſitiones enumerat, quas ipſe in variis de hoc argumento tractatibus ſeu ſermonibus velut huc pertinentes ſtabilire conatur, quibus & alias XII. addidit in illo ad Synodum poſt Papae fugam ſermone: quae omnes quam diligentiſſime erant excutiendae, & ad ſacrarum litterarum traditioniſque regulam exigendae. Providendum etiam, quae ex iiſdem propoſitionibus ſeu decretis elici poſſent conſecutiones. Nam poſtea in Baſileenſi Synodo conſtitit, quam abſonae & perniciosae cum ex aliis, tum potiſſimum ex eo decreto elicerentur, quo Seſſione III. declaratum eſt, quod neque *per receſſum Papae*, neque *per receſſum aliorum Praelatorum*, *ſeu aliorum quorumcumque* ſolutum erat Concilium,

cilium, ſed ſua illi integritas auctoritaſque conſtabat. Quaerendum enim erat ac definiendum, An non modo Pontifice & Cardinalibus, verum etiam & maxima Epiſcoporum parte e Synodo diſcedentibus, & exiguo tantum numero & pauciſſimis in ea perſeverantibus, ſua adhuc Synodo integritas & auctoritas conſtet ad Eccleſiam in capite & membris reformandam, ad refractarium & obſequi renuentem Pontificem exauctorandum, denique ad damnandum orbem terrarum in ejuſdem Pontificis fide & obedientia perſeverantem? Quaerendum etiam ac definiendum, Num Concilium deſerentibus omnibus Epiſcopis, illud a ſolis ſecundi ordinis Sacerdotibus & inferioribus Clericis; & an iis quoque diſcedentibus, per ſolos Laicos etiam ruſticos, imo & per minimam vetulam haberi poſſet Concilium? Quaerendum, inquam, propter Gerſonem aliquem, vel Auctorem tractatus, quem ſub ejus nomine in Germania editum, Dupinius dignum judicavit, qui inter indubia Gerſonis Opera recuderetur, in quo inter alias blaſphemas & haereticas propoſitiones, haec etiam legitur, quod *in caſu poſſibili Concilii convocatio devolvetur ad cives & ruſticos, uſquequo deveniretur ad minimam vetulam*. Quidni & celebratio? Quis enim ad ejuſmodi Concilium niſi ruſtici & vetulae convenirent? *Horum* ergo *Artificum*, quibus per ea tempora in ſummum contemtum Apoſtolica & Eccleſiaſtica auctoritas venerat, *comprimendi lubrici lapſus dolique retegendi, & occulti ulceris perſecandi ſinus*, ne forte dira & funeſta lues adhuc ſub pietatis ſpecie, & Eccleſiae reformandae & excindendi ſchiſmatis obtentu deliteſcens, erumperet aliquando & latius in dies graſſetur.

Sed *Wiclefi*, inquit, *damnanda erat memoria*, *Huſſus ipſe praeſens confutandus*, *convincendus &c.* An ergo plus cautionis adferendum erat ad Wiclefi damnandam memoriam, quam ad locanda fundamenta, quae ad saeviendum in ſummum Eccleſiae caput animos praeparabant? An Huſſus confundantus, convincendus, neque confutandi, ſi fieri poterat, aut convincendi, imo neque audiendi ipſe Johannes XXIII., tot Sedis Apoſtolicae Praeſules & Cardinales, de quorum juribus agebatur, tot denique inſignes Theologi Juriſque Canonici Conſulti, a quibus palam Cancellarii Pariſienſis dogmata velut errori & haereſi adfinia traducebantur?

Minime, inquit Boſſuetius, nec eo examine opus erat, quoniam ea quaeſtio „ ubique terrarum, in Gallia „ praeſertim ad vivum reſecata, & in- „ numeris libris, decretis, litteris, „ conventibus Theologorum, Cano- „ niſtarum, Univerſitatum, Antiſti- „ tum eliquata, elucidata, certique „ fundamenti loco poſita erat, ante- „ quam Patres Conſtantiam conve- „ nirent: neque vero vocabat, poſt „ tot ac tantos ante Piſanum & in „ ipſo Piſano Concilio tractatus ha- „ bitos, novis diſputationibus tem- „ pus terere, cum extrema omnia „ imminerent, ſed explorata, & „ jam in Piſana Synodo aperta re- „ media expedire oportebat. Nihil „ ergo leviter, nihil paecipitanter „ actum: tantum opportuna, imo „ vero neceſſaria, rebus in ſummum „ diſcrimen adductis adhibita celeri- „ tas.

„ tas. Haec Boſſuetius: quae primùm aut falſa ſunt aut ad libitum exaggerata; deinde, etſi vera eſſent, difficultatem nequaquam de medio tollerent.

Falſum enim imprimis, quod de innumeris libris, decretis, litteris, tractatibus, conventibus Theologorum, Canoniſtarum, Univerſitatum, Antiſtitum jactatur, in quibus ea quaeſtio eliquata, elucidata, certique fundamenti loco poſita fuerit, antequam Patres Conſtantiam convenirent. Cedo enim innumeros ejuſmodi libros, decreta, litteras, tractatus, conventus; cedo ejuſmodi Theologorum, Canoniſtarum, Univerſitatum & antiſtitum nomina, in quibus, & a quibus clare ac dilucide traditum, propugnatum, ſancitum ac definitum ſit, legitimum, verum & indubitatum Pontificem, nullius haereſeos inſimulatum, a Concilii generalis auctoritate pendere, in ejus eſſe poteſtate, ejuſque coërcitioni ſubjectum & obnoxium eſſe. Quod ſi aliquos, ſane pauciſſimos, ejuſmodi opinionum Auctores proferret, nos illi longe plures objiciemus, a quibus vel ipſo Gerſone teſte, earumdem opinionem defenſores vel tanquam haereticae peſtis adflati aura, vel etiam tanquam haeretici habebantur. Falſum etiam, ut jam ſuperius oſtendimus, Piſanam Synodum quidquam de generalium Conciliorum in veros, legitimos, indubios & Catholicos Pontifices jure ſtatuiſſe. Falſum denique, ut ex prolatis paullo ſuperius Lenfantii, Continuatoris Fleurii, & ipſius Maimburgii teſtimoniis conſtat, hanc controverſiam diſcuſſam ac Theologorum diſputationibus vexatam fuiſſe, antequam Gerſonis oratione velut claſſico excitati, hinc pro Synodi generalis praerogativa, hinc pro Romani Pontificis praecellentia arma corriperent, & invicem digladiarentur.

At vera ſint quae a Boſſuetio & aliis jactantur; quid tum? Annon a pluribus annis totius Aegypti & Orientis Eccleſiae diſputationibus perſonabant, quas circa Verbi Divinitatem Arius excitaverat? Annon & a Sancto Alexandro in Alexandrinis ex univerſa Aegypto Synodis, & praeter paucos, ab omnibus totius Orientis Epiſcopis nefaria haereſis dignis anathematis confixa fuerat, antequam Patres Nicaenam acceſſiſſent? Quis tamen neſciat quod a Socrate, Sozomeno, Theodorito aliiſque graviſſimis Auctoribus memoriae proditum eſt, inſtauratas & in ipſa Synodo cum Ario ejuſque Symmyſtis acerrimas diſputationes? Annon item a pluribus in Oriente, in Aegypto & in Occidente innumeris Romanorum Pontificum & Epiſcoporum conventibus, Synodis, decretis, libris, & litteris adverſus Macedonianam haereſim decertabatur, antequam Patres Conſtantinopolim ad ſecundam Synodum conveniſſent? Nec tamen ullus ignorat, & hujus haereſis propugnatores invitates ad Synodum fuiſſe, eiſdemque permiſſum ut ſuas circa Divinitatem Spiritus Sancti Patribus difficultates exponerent. Annon & haereſis Neſtoriana Cyrilli Anathematiſmis & Caeleſtini litteris, & a Romanis totius Occidentis, & ab Alexandrinis totius Aegypti Synodis confixa fuerat; Leonis autem Epiſtolam adverſus Eutychiana commenta

ta nonne totus Occidens ſuſceperat, eidemque totius fere Orientis Epiſcopi ſubſcripſerant, antequam Epheſum adverſum Neſtorium, & Chalcedonem adverſus Eutychem Epiſcopi confluxiſſent? Vidimus tamen quantopere Adverſarii jactent, canonicum, ut vocant, & Cyrilli, & Caeleſtini, & M. Leonis Epiſtolarum examen. Quid dicam de Monothelitarum haereſi? Nonne ab annis circiter quinquaginta & Romae, & Hieroſolymis, & in Cypro, & in Africa, a pluribus & Romanis Pontificibus, & graviſſimis Epiſcopis, & ſanctiſſimis Monachis, innumeris, & libris, & litteris, & decretis, & Synodis, & conventibus, & diſputationibus fuerat exagitata; & Catholica veritas ad vincula, ad exſilium, ad ſanguinem & ad mortem uſque a fortiſſimis Athletis defenſa, quum ſexta Synodus generalis Conſtantinopoli habita eſt? Vidimus tamen in ſuperioribus libris, quam ſedulo & accurate & Agathonis & Occidentalis Synodi Epiſtolae, & Patrum teſtimonia ab eis laudata, & Haereticorum loca ab eiſdem confixa, excuſſa, & examinata, & cum vetuſtis atque authenticis exemplaribus collata fuerunt; Macarius autem Antiochenus, ejuſque diſcipulus Polycronius quam patienter auditi, antequam eorum doctrina ſollenni Synodi decreto configeretur. Quid denique de Iconomachorum haereſi; quid de Photiano ſchiſmate dicamus? Quot utraque & Romanorum Pontificum & Conciliorum graviſſimis Epiſtolis ac Decretis vexata & labefactata fuerant, antequam aut Nicaeae ſeptima, aut Conſtantinopoli octava Synodus celebratae fuiſſent? Nihilo tamen minus & Catholicorum adverſus Iconomachos argumenta ad incudem revocata ſunt, & Photiani auditi, & coram eis Ignatii Photiique cauſſa velut ex integro retractata. Neque alius poſteriorum Conciliorum mos fuit, ut conſtat ex Florentina & Tridentina Synodo, quarum ad nos acta diligentiſſime litteris tradita pervenerunt. Ergone permittendum haereticis fuit Arianis, Macedonianis, Neſtorianis, Eutychianis, Monothelitis, Iconomachis, aliiſque ejuſmodi peſtibus, ne ipſorum doctrina nonniſi diligenter examinata ab Oecumenicis Synodis damnaretur; nec dandum Romano Pontifici, Sedis Apoſtolicae Cardinalibus, & Orthodoxis Epiſcopis ac Theologis, ut ipſorum doctrinae, antequam ſollenniter configeretur, canonicum inſtitueretur examen? Ergo errorum monſtra, antequam eis novum per Synodos vulnus inferretur, patienter toleranda fuerant, & eorum exitialis ſibilus ſuſtinendus; nec eadem indulgentia in ea dogmata utendum fuit, quibus hactenus innoxie Catholicorum Cathedrae reſonaverant? Ergo Cyrilli, Caeleſtini, Leonis, Agathonis, & Occidentalis Synodi Epiſtolae, tanta Catholicae doctrinae luce fulgentes, tantis ſacrarum litterarum & ſanctorum Patrum teſtimoniis ornatae, denique totius Catholici orbis adprobatione munitae, ad ſcripturarum & praecedentium Regularum amuſſim exigendae fuerant, cum eiſque in publicis ſeſſionibus quam diligentiſſime conferendae; & Gerſonis orationi fere extemporali, intra unius noctis anguſtias elaboratae, & in qua,

ut

ut ipſe fatetur, quidquid ei in mentem & linguam venerat, effutierat, hic honos habendus fuit, ut ex ea decreta de Romani Pontificis & Conciliorum poteſtate eruerentur, adverſus quae hiſcere nulli fas eſſet, quae nemo jure in controverſiam vocaret? Fruſtra vero & illud obtenditur: *Neque vacabat novis diſputationibus tempus terere, cum extrema omnia imminerent*: haec enim qua facilitate exaggerantur, eadem & contemnuntur. An periculum erat, ne vel terra fatiſceret, aut caelum rueret, & Conſtantienſes opprimeret, niſi ſtatim e ſummo faſtigio Romanum Pontificem dejeciſſent?

Hinc etiam & illud evertitur, quo ſe Adverſarii plurimum efferunt: „ Poſt rem a Synodo expreſſo „ Canone ac peculiari decreto definitam, periculoſiſſimo exemplo „ revocari in dubium, an de ea „ recte & mature ſit deliberatum, „ atque hinc aperiri viam ad omnes Canones, Decretales omnes, „ omnia Concilia ſubvertenda.

Haec tamen, quibus nos Adverſarii deterrere maxime volunt, nihil moramur. Fatemur enim cum Cl. Cano aliiſque graviſſimis Theologis, quod cui a Deo auctoritas tributa eſt ad res fidei abſque ullo erroris periculo, & immobili judicio atque indeclinabili definiendas, is certe neque deficere poteſt in mediis adhibendis, quibus certo tutoque ad veritatis inveſtigationem enitatur, ad eamque perveniat. Quare poſt rem ab ipſo certo Canone & peculiari decreto definitam, nefas eſt revocare in dubium, an de ea recte ſit & mature deliberatum. Verum ejuſmodi auctoritatem in Synodo non agnoſcimus, a qua non modo Romanus Pontifex abſit, verum & cujus decretis repugnet; a cujus conſultationibus Cardinales repellantur, neque ad ferendum ſuffragium, tanquam Eccleſiae Romanae Sediſque Apoſtolicae Senatus eam quodammodo referens, admittantur. Cujuſmodi fuiſſet Conſtantienſem in prioribus hiſce ſeſſionibus Synodum, exploratum eſt. Quare & libere dicimus quod res eſt, & in omnium oculos inſilit, ab ea nec rite, nec aliorum Conciliorum more, de tantis fuiſſe rebus deliberatum.

ARTICULUS SECUNDUS.

Decretis quartae quintaeque Seſſionis non modo conſenſum Johannes XXIII. non adhibuit, verum & eis vehementiſſime repugnavit.

Epiſcopos quocumque numero congregatos ab errandi periculo tutos & immunes non eſſe, ſi repugnantibus Romanis Pontificibus, vel etiam niſi eis eorumve Legatis praeſentibus, eorumve nomine conſentientibus, aut praelucentibus eorum litteris, ad fidem exponendam, deque eadem condendos Canones aggrediantur; tum eſt a Patribus traditum, tum ſaepe & re ipſa & funeſtis exemplis innotuit. Hinc Damaſus in Epiſtola ad Epiſcopos Illyrici monet, Ariminenſium Epiſcoporum numerum formulae ab ipſis compoſitae nihil addere ponderis atque auctoritatis, quod *ea formula compoſita ſit, neque Epiſcopo Romano, cujus ſententia prae ceteris omnibus*

bus exſpectanda erat ; *neque Vincentio* , *qui tot annis Epiſcopatum integre geſſerat* ; qui forte Romani Pontificis legatione in ea fungebatur ; *neque aliis eidem conſentientibus* . Paſchaſinus S. Leonis in Concilio Chalcedonenſi Legatus in ſententia adverſus Dioſcorum lata , inde mala & ſcandala omnia , quae per Epheſinam latrocinalem & praedatoriam Synodum in Eccleſiarum perniciem incubuerunt , profluxiſſe commemorat , quod prohibente Dioſcoro , S. Leonis ad Flavianum Epiſtola lecta in Synodo non eſt : *Qua* , inquit , *non lecta* , *ſcandalum & laeſionem ſanctae Dei Eccleſiae per totum orbem pertulerunt*. In eodem Chalcedonenſi Concilio niſi Legati Sedis Apoſtolicae reſtitiſſent , fideique expoſitionem ad S. Leonis Epiſtolam omnino exigi voluiſſent , talis fuiſſet edita , conſentientibus omnibus fere Orientis Epiſcopis , formula fidei , in quam Dioſcorus aliique Eutychianae impietatis Proceres facile conſenſiſſent . Quum trium Capitulorum Defenſores , ea in Synodo Chalcedonenſi probata fuiſſe , obtenderent , ipſis quoque conſentientibus S. Leonis Legatis ; Pelagius II. falſum id quidem eſſe reſpondebat ; attamen & ſi verum fuiſſet , non propterea objiciendam vel tantae Synodi vel Legatorum auctoritatem , quod & illam propter ſolam fidem Sedes Apoſtolica congregaſſet , his vero ad ſola fidei negotia tractanda auctoritatem contuliſſet . Actione VI. ſeptimae Synodi inde Iconomachorum CCCXXXVIII. Epiſcoporum Pſeudo - Synodo & omnis auctoritas , & Oecumenicae titulus abrogatur , quod *non habuerat adjutorem illius temporis Romanorum Papam* , *vel eos qui circa ipſum ſunt Sacerdotes* , *nec etiam per Vicarios ejus* , *neque per encyclicam epiſtolam* , *quemadmodum lex dictat Conciliorum* .

Quamquam ergo ab ea cogitatione quam longiſſime abſum , ut cum Ariminenſi , aut Iconomachorum Synodo Conſtantienſem etiam in prioribus illis ſeſſionibus abſolute conferre velim ; contendo tamen , quod & *Epiſcoporum numerus* , *qui erant* Conſtantiae *in unum congregati* , *praejudicii vim habere non debet* , ſi quartae quintaeque ſeſſionis decreta *compoſita ſint* , *neque Epiſcopo Romano* , *cujus ſententia prae ceteris omnibus exſpectanda erat* , *neque* aut ejuſdem Legatis , aut *aliis* S. R. E. Cardinalibus , *eiſdem conſentientibus*. Contendo etiam , quod & in illis ſeſſionibus eidem Conſtantienſi Synodo Oecumenicae titulus & auctoritas non debetur , ſi in eis decretis condendis non habuit adjutorem , quem velut Romanorum Papam id temporis venerabantur , vel eos , qui circa ipſum erant Sacerdotes , neque per Legatos , neque per Apoſtolicas & encyclicas litteras , quemadmodum lex dictat Conciliorum . Re autem ipſa neque Johannem XXIII. cui tanquam Romanorum Papae Conſtantienſes id temporis obſequebantur , neque illos , qui circa ipſum erant Sedis Apoſtolicae Sacerdotes , illorum decretis conſenſum adhibuiſſe , plane & aperte conſtare ex Actis videtur . De Johanne XXIII. in praeſenti , de Cardinalibus in ſequenti Articulo diſſeremus .

Quam haec ſententia Johannis

menti

menti intime haereret, Pontificem niſi in cauſſa haereſis a Concilio judicari non poſſe, inde imprimis apparet, quod a Theodorico Niem in ejus vita narratur (a). Quod quum accepiſſet oblatum fuiſſe Synodo libellum atrociſſima ejus ſcelera continentem, petitamque a Patribus eorumdem ſcelerum inquiſitionem, mente conſternatus, & incertus animi quo ſe verteret; tandem ei in mentem venerit, quod cum ſuis familiaribus communicavit; ut ad Synodum ipſe ultro accederet, praeteritaque facinora publica poenitentia & confeſſione dilueret: eoque magis in hoc propoſito confirmabatur, quod perſuaſum haberet, ut ait citatus Hiſtoricus, *quod Papa propter quodcumque delictum, niſi propter haereſim deponi non poſſet*. Quod teſtimonium eo pluris faciendum eſt, quo & ipſe olim Cardinalis S. Euſtachii, & Bononiae Sedis Apoſtolicae Legatus, Doctorum illius Univerſitatis hac de re ſenſus optime perſpectos habebat; & quum Piſanae Synodo, inſtructoque adverſus Gregorium XII. & Benedictum XIII. judicio, lataeque in eos ſententiae adfuiſſet, aliarum quoque Univerſitatum, Piſanorumque Patrum doctrinam & opiniones in numerato habebat. Quumque ſe in tuto poſitum judicaret ſi eadem Piſana Synodus confirmaretur; ideoque nihil magis vellet expeteretque; quis non facile intelligat, aliam laudatae Synodo non fuiſſe Gregorium & Benedictum exauctorandi cauſſam, quam quod eos ſchiſmaticos & haereticos judicaſſe? Sed graviora ſunt quae ſequuntur.

Johannes Cardinalis Turrecremata, qui in minoribus, ut ajunt, conſtitutus Concilio interfuit, in Tractatu de Eccleſia memoriae prodidit, quod *Johannes XXIII. cum poſt receſſum ſuum a Conſtantia, Schafbuſae conſtitutus, audiret praefatam*, de Concilii poteſtate, *declarationem concluſam*, *Dominis Oratoribus Regis Franciae viſitantibus eum..... amaro animo conqueſtus eſt*, FALSA QUAEDAM ET ERRONEA *adverſus auctoritatem Romani Pontificis per aemulos ſuos poſt receſſum ejus eſſe concluſa*. Quum Reginaldus de Carnoto Remenſis Archiepiſcopus aliorum Galliarum Regis Legatorum nomine die XXIII. Martii Schafhuſam adiit, Pontificemque convenit, nondum edita fuerat ea de Conciliorum generalium poteſtate Conſtantienſis Synodi declaratio; hinc Arnaldo occaſio (b) Turrecrematam velut fabularum venditorem exagitandi, (*ces temeraires conteurs des fables*) ejuſque teſtimonium repellendi. At qui moderatiore animo ſunt, quamquam a noſtris ſacris alieni, obſervant quidem, hos Johannis cum Remenſi Archiepiſcopo queſtus non ad proximarum ſeſſionum decreta referendos eſſe, ſed ad Sermonem eodem die a Gerſone habitum, & cum plauſu ab Imperatore & Nationibus exceptum, ac Turrecrematae haec narranti fidem abrogare non audent. „Il „fut (*Jean. XXIII.*) d'abord averti,

(a) Lib. II. cap. III.
(b) Ecclairciſſem cap. XIV.

„ ti, inquit Jacobus Lenfant (*a*), du „ diſcours de Jean Gerſon & de „ l'applaudiſſement avec le quel il „ avoit été reçu de l'Empereur & „ des Nations, & il en fit même „ de grandes plaintes aux Ambaſſa- „ deurs de France qui l'étoient allé „ trouver de la part du Concile. Eadem & Hermanus Von der Hardt in Actis Concilii locum habere voluit, nec ullam circa ea dubitationem excitavit (*b*): *Unde factum, quod illo ipſo adhuc die Saturni* (Martii XXIII.) *ad Johannis Papae Schafhuſae degentis aures per Legatos ſermo deferretur: qui vehementer indignatus de hoc Concilii facto conqueri non deſiit*. Neque ab his Scriptoribus diſſentit Fleurianae Hiſtoriae Continuator, & ipſe enarrans (*c*) „ Que Jean XXIII. ne fut pas ſatisfait de tous ces diſcours, & il „ en fit de grandes plaintes aux „ Ambaſſadeurs de France qui l'étoi- „ ent alle trouver de la part du „ Concile.

Neque haec a Johannis XXIII. mente aliena, ſed eidem omnino conſona eſſe, ſatis efficaciter ſuaderi viſum eſt Schelſtrato (*d*) ſuperius laudato Theodorici Niemi teſtimonio. Verum id multo gravius luculentiuſque ſuadent litterae Apologeticae, quas per haec tempora Johannes ad Ducem Aurelianenſem & Pariſienſem Academiam direxit, in quibus graviter de Imperatore conqueritur, atque inter cetera, quod in mutuo colloquio, cui & Archiepiſcopus Sarisberienſis adfuerat, hic quaedam contumelioſa & a fidei regula aliena ipſi Pontifici in os ingerere auſus fuerat; Caeſare injuriam Chriſto Domini fideique irrogatam tranquillo animo diſſimulante. Si de injuria Johanni illata ex Editis judicandum eſt, temere Sarisberienſis effutiit, *quod ipſe Archiepiſcopus eſſet ſupra Papam & totum generale Concilium*. Verum ut ſcite poſt Hermannum Von der Hardt, Jacobus Lenfantius (*e*) obſervat, quoniam haec craſſa nimis abſurditas fuiſſet, valde probabile eſt, hoc loco aut Exſcriptoris aut Typographi cubare mendum, nec aliud ab Epiſcopo dictum fuiſſe, quam quod *Concilium ſit ſupra Papam*. Quod adeo Johannis XXIII. judicio a Fide Catholica alienum eſſet.

Sunt alii plures in eiſdem litteris Apologeticis articuli, de quibus Pontifex acriter conqueritur, & ex quibus aperte liquet, quam longe ipſe alienus eſſet ab iis probandis, quae per Synodum decernerentur aut agerentur. Primum enim Pontifici improbabatur, quod Concilium praeter conſtantem aliorum Conciliorum morem fuiſſet in quatuor nationes, Italicam,

(*a*) Lib. II num. VI.

(*b*) Tom.IV.Act.Conc.Conſt.pag.77.

(*c*) Diſſert. II. cap. II.

(*d*) Lib. CII. num. CLXIV.

(*e*) A en juger par les termes du Pape même, dans ſes Plaintes, il ſembleroit que l'Evêque eût dit, *qu'il étoit lui même au deſſus du Pape & de tout le Concile*. Mais comme ce ſeroit une abſurdité, il y a beaucoup d'apparence qu'il y a là quelque faute du Copiſte, ou de l'Imprimeur, & que l'Evêque dit ſeulement, *que le Concile étoit au deſſus du Pape*. Comme Mr. le D. Von der Hardt l'a entendu en rapportant ce fait. *Lib. I. num. XC.*

ſicam, Germanicam, Gallicam & Anglicam, haud aequo tamen numero diſtributum, quum pauci ex Anglia Epiſcopi adeſſent, plurimi autem vel ex ſola Italia, vel ex Gallia. Querebatur etiam, quod quum Italica Natio, in qua plures erant & praecellentes cum Juris Canonici Doctores, tum Theologicae Facultatis Magiſtri, ſaepius & enixe petiiſſet, ut rite & canonice, & communi conſilio de rebus per Synodum ſtatuendis diſceptaretur atque decerneretur, rejecta tamen fuerat ejus tam aequa petitio, ipſaque Italica Natio nullo fere habita loco; quum omnia ad nutum Imperatoris devinctis ſibi Germanica & Anglica Nationibus agerentur. Querebatur item quod quum ex ſacris Canonibus, ſoli Cardinales Patriarchae, Archiepiſcopi & Epiſcopi jure ſuffragii in Conciliis generalibus gaudeant; in hoc tamen ad ſuffragium ferendum omnes indiſcriminatim & Clerici & Laici, & Caelibes & Matrimonio juncti, & Doctores & imperiti, & generis nobilitate conſpicui & infimae abjectaeque ſortis homines admitterentur. Denique, ut alia praetermittam, querebatur Johannes, quod praeter veterum Conciliorum inſtitutum, ſuffragia non ſingulatim & per capita, ſed per Nationes in publicis Seſſionibus ferebantur, unde illud exſiſteret ab aequo prorſus alienum, quod in Decretis ſanciendis eadem vis eſſet in Anglicae, atque in Italicae Nationis vel Gallicae ſuffragiis, quamvis illa pauciſſimis, hae plurimis Epiſcopis conſtarent. Quis ergo ſibi perſuadeat, Johanni probari potuiſſe ejus Synodi decreta, quam ipſe tot titulis, nec ſane contemnendis rationibus criminabatur? Nam, ut ex ſuperius adlatis Cardinalis Cameracenſis verbis apparet, ea in quatuor Nationes admodum inaequalis diſtributio, & peculiaris ac privata per ſingulas de rebus agendis deliberatio, non communicatis invicem, in publicis Seſſionibus, & cum Cardinalium Collegio conſiliis, pleriſque improbabatur, neque quae inde prodibant decreta *conciliariter* ac Synodice conſtituta videbantur.

Quae quum ita ſint, quis aequo animo Adverſarios ferat ſibi de Johannis XXIII. conſenſu & adprobatione plaudentes? „ De Johanne XXIII. „ inquit Meldenſis Epiſcopus Cap. „ XXI. quid dicam? quem ex actis „ conſtat, etiam poſt fugam Synodo „ adhaeſiſſe, ac poſtea iteratis vici- „ bus ultro confeſſum, *quod turpiter „ a Concilio receſſerat, quod vellet „ ſtare definitioni Concilii: quod Con- „ ſtantienſe Piſani continuativum er- „ rare non poſſet: quod Synodi ſen- „ tentiam, etiamſi in ſe latam, cum „ Birreti depoſitione acciperet, con- „ firmaret, approbaret, quantum in „ ſe eſſet*. Quae ergo Synodus intel- „ ligeret, eo vel invito per ſeſe va- „ litura, quis eo quoque aſſentiente „ valere negaverit? Neque vero no- „ ſtra intereſt, quid ipſe Johannes „ privatim aut clanculum demurmu- „ raverit, ſed quid ad Synodum aper- „ te profeſſus ſit. Eademque & Arraldus animadvertit contenditque (*a*) veros

(*a*) Ce n'eſt donc point de ces fauſſes relations qu' on peut apprendre les ſentimens de Jean XXIII. ce ſont de rep onſes que l'on ſait certainement qu'il a faites à ce qu' il lui a été proposé par le Concile, lors qu'on lui faiſoit ſon procès. *Ubi ſupra*.

ros Johannis, XXIII. ſenſus non ex fabuloſis narrationibus eruendos eſſe, ſed ex ejus ad Synodum reſponſis, quum in eum inquiſitio haberetur.

At quod Adverſariis valde incommodum eſt, & eorum argumentum prorſus infringit; ea ad Synodi Legatos reſponſa data a Johanne ſunt, ut ipſe Boſſuetius animadvertit, circa Seſſionem XI. ac XII. quum videlicet a Friderico Auſtriae Duce & ab omnibus jam deſertus, captivus in *cella Rodolphi* detinebatur. Abſonum vero eſt, ut quae ab homine in ejuſmodi anguſtiis conſtituto dicuntur, velut liberi conſenſus argumentum proponantur. Sane quod nobis Adverſarii ex Johannis verbis ſuadere volunt, nec Synodo reapſe nec aliis communiter perſuaſum eſt. Non quidem Synodo, cujus juſſu ad uſque Martini V. electionem in Gotlebiano primum, deinde in Heidelbergenſi carcere diligentiſſime ſervatus eſt, ac novo poſtmodum Pontifici traditus in Mantuanum carcerem transferendus. Nec porro aliis communiter; unde factum, teſte Aretino, ut de Johannis ejectione, adeoque & Martini V. in ejus locum ſubrogatione, ob vim illi adhibitam diſceptaretur, nec ante controverſia quieſceret, quam ipſe Florentiae ſeſe Martino V. libere ac ſponte ſubjiceret: *Johannes Pontifex, de cujus depoſitione propter vim adhibitam multi dubitabant, & ſcrupulus quidam relinquebatur in mentibus, ſecuritate atque fiducia hujus loci Florentiam venit, tibique ſe ſponte ſua ſubjecit, ac Dominum & Pontificem veriſſimum recognovit: quo facto omnis eſt penitus ſcrupulus ambiguitaſque ſublata: neque enim de vi ulla adhibita ſollicitus eſſe quiſquam poteſt, quum ipſius voluntaria in loco ſibi tutiſſimo ſit conſpecta ſubjectio.* Ex quibus ipſius Aretini ad Martinum Quintum verbis (*a*) colligere eſt, quam intime hominum ſenſibus ea eſſet infixa ſententia, quod Concilii generalis auctoritate Romanus Pontifex niſi ob haereſim deponi non poſſit; quum multos videamus de Synodi Conſtantienſis in Johannem judicio dubitaſſe, nec antea omnem illis exemtum ſcrupulum, quam ſuae dejectioni liberum ipſe praebuiſſet adſenſum.

ARTICULUS TERTIUS.

Neque Cardinalium, Collegium, neque alii plures inſignes Epiſcopi & Doctores Conſtantienſibus de Conciliorum poteſtate Decretis conſenſum adhibuerunt.

Pluribus id argumentis exploratum eſt. Nam primùm, uti ſuperius oſtendimus, ad eum conventum, quamquam ab Imperatore & Nationibus rogati, Caadinales adeſſe noluerunt, in quo Gerſon orationem habiturus erat de Conciliorum generalium ſupra Romanum Pontificem auctoritate, nec ejus exemplar ſibi a Caeſare oblatum legere dignati ſunt. Hinc porro factum eſt, quemadmodum Hiſtorici ex Concilii actis obſervant (*b*), quod Nationibus in ſuſpicionem venerunt, ne vel Johannis fugam probarent, cum eoque occulte

(*a*) Comment. Rer. ſuo temp. in Italia geſtar.

(*b*) Von. der Hardt, Tom. IV. pag. 69. & ſeq. Lenf. lib. II. n. VIII.

culte in Concilii diſſolutionem colluderent. Quapropter neque conſultationibus adſciti ſunt de rebus in proximis ſeſſionibus definiendis & conficiendis, pro Concilii integritate, auctoritate, atque vigore ſartis rectiſque ſervandis; ſed eis tantum legenda tradebantur, de quibus inter ſe Nationes conſenſerant, paullo antequam in publicis ſeſſionibus ſollenniter ſancirentur, nullo licet habito eorumdem Purpuratorum Patrum conſenſu. Quae res illorum animos tam graviter offendit, ut ad tertiam ſeſſionem, primam poſt Pontificis fugam, duo tantum Cardinales, Cameracenſis & Florentinus convenerint. Indeque graves inter ſacrum Collegium & Nationes exortae ſimultates, de quibus poſtea dicemus. Neque neceſſe eſt, ut de iis quae ad quartae ſeſſionis decreta pertinent repetamus, quum de acerrimis contentionibus eorum occaſione hinc inde ſubortis jam late diſſeruerimus. Ad quintam ergo ſeſſionem animum advertamus.

Emmanuel Schelſtrate ex Vaticanis MSS. refert, quod quum Sabbato Sancto die 30. Martii Cardinalis Florentinus in publica ſeſſione primum Decretum mutilaſſet, & alia quaedam penitus omiſiſſet; proxima die poſt Paſqua, 1. Aprilis, *Deputati* Nationum convenerunt, ut hoc Cardinali facinus exprobrarent: habitaque inter eos ſuper eiſdem articulis ſeu decretis *aliquali* diſputatione, conſtitutum ab illis fuit, ut in proxima ſeſſione detruncata vel omiſſa decreta inſtaurarentur, & ex integro publicarentur. Qua re ad alios Cardinales per Florentinum delata, ii primùm ad ſeſſionem accedere renuebant. At poſtmodum ſeptem ex eis intereſſe ſeſſioni decreverunt; praemiſſa tamen in Eccleſiae Sacrario, una cum Oratoribus Regis Franciae, ſecreta proteſtatione, *quod propter ſcandalum evitandum ad ſeſſionem ibant, non animo conſentiendi his, quae audiverant in ipſa ſtatui debere*.

Haec omnia Adverſarii, ac potiſſimum Arnaldus, pro meris fabulis habent, variiſque ratiunculis Vaticanorum Codicum fidem elevare conantur: quas hîc non vacat ad examen revocare, quum eo praecipuae & quae colorem aliquem habent, referantur, ut Galliae Regis Oratorum in ea edenda Proteſtatione cum Cardinalibus conſenſionem a veriſimilitudine longius abeſſe ſuadeant: qua de re permittimus Arnaldo id credere ac ſentire quod ipſi libitum fuerit; dum tamen & ille nobis largiatur, clarum ac notorium fuiſſe atque omnibus perſuaſum & exploratum, Cardinales quintae ſeſſionis decretis ſuum non accommodaſſe conſenſum. Id enim aperte colligitur ex celebri ſcripto, quod in ſexta Seſſione Synodo oblatum eſt: cujus Auctor pluribus rationibus contendebat admittendos non eſſe Cardinales ad eos Synodi tractatus ſeu conventus, in quibus de Eccleſiae Romanae reformatione diſſereretur. Meminit ejuſmodi ſcripti Gobelinus Perſona in Coſmodromio cap. XCIV. idemque Actorum Synodi Conſtantienſis in Germania Editor Tom. II. pag. 285. publica luce donavit. Prae oculis autem potiſſimum habenda eſt quarta ratio, vel, ut ipſe loquitur, quarta ex quinque veritatibus, qui-

bus innititur. *Quarta* nimirum *veritas eſt*, turpiter Cardinales erraſſe, quum ob fugam Johannis adfirmarunt contenderuntque ſolutum eſſe Concilium, nec exinde Concilii nomine appellandum eſſe, ſed *conciliabuli*: turpiter, inquam, illos erraſſe propugnat, quoniam ubi de ſchiſmate agitur & Eccleſiae unione, ejuſdemque reformatione, *Concilium*, inquit, *illis in caſibus eſt ſupra Papam & Cardinales, & dependet immediate a Deo*. Unde colligit, quod ſe ipſi a Synodo alienaruut, nec admittendos eſſe ſubjungit, niſi errorem ſuum agnoſcant & fateantur, ac niſi ſe Synodi decretis & ordinationi ſubjiciant: *Et per conſequens, ipſis dicentibus ſe ipſos excluſerunt a Concilio, & tractatibus ante dictis, & ſe reddiderunt ſuſpectos vehementer quoad illa, niſi ante omnia faterentur in hoc ſe erraſſe, & ſubmitterent ſe ordinationi Concilii memorati*. Nondum ergo die 17. Aprilis, a quinta ſeſſione, undecima, Cardinales ſuas illas opiniones revocaverant; quod Conſtantienſis Synodus poſt Pontificis fugam pro legitima & Oecumenica habenda non eſſet; quod a Pontifice ipſius penderet auctoritas, neque ſe adhuc Concilii Decretis contraria ſtatuentibus Purpurati Patres ſubjecerant. Quod & luculentius patebit ex inde proficiſcentis difficultatis enodatione.

Annon enim, inquis, quintae ſeſſioni ſeptem Cardinales interfuerunt? Interfuerunt quidem, ſed emiſſa, ut diximus, adverſus ea quae ſtatuenda erant, ſecreta Proteſtatione; quam reapſe fuiſſe ab illis emiſſam, mox adlato argumento haud obſcure confirmatur. Age vero, nulla ejuſmodi edita a Cardinalibus proteſtatio ſit; quid tum? Quid tum? inquis. Annon in fine ſeſſionis adnotatum eſt: Quod illis *articulis ſive Conſtitutionibus lectis, Concilium eos & eas uniformiter approbavit & concluſit*? Si uniformiter; ergo & a ſeptem illis Cardinalibus qui interfuerant, probati iidem articuli & ſuſcepti ſunt. Prima fronte alicujus momenti eſſe videtur objectio: attamen ea facile evertitur, & ſententia noſtra firmatur, ſi illud memoria recolamus, quod poſt Johannis receſſionem a Synodo conſtitutum eſt; Cardinalium Collegio permittendum non eſſe ſuffragium a quatuor Nationum ſuffragiis diſtinctum, ſed eos cum ſuis Nationibus, Italos cum Italica, Germanos cum Germanica &c. eſſe permiſcendos. Atque ita porro a priore poſt fugam Papae ſeſſione uſque ad Seſſionem XI. aut XIV. nemo fuit, qui pro Cardinalium Collegio ſuffragium ferret. Nam Schelſtrato teſte (a), in Actis Synodi a quatuor Protonotariis compilatis, Seſſione XI. in Geſtis vero ejuſdem Concilii nonniſi Seſſione XIV. memoriae proditum eſt: *Et reſponderunt quatuor Praelati pro quatuor Nationibus*, Placet, *& Cardinalis Oſtienſis pro Collegio Cardinalium*, Placet. *Et hoc nunc primo reſponſum eſt pro parte Cardinalium*. Itaque ut has ante ſeſſiones unanimis eſſet aut communis adprobatio, vel, ut decreta dicerentur a Concilio uniformiter adpro-

(a) Comp. Chronolog. pag. XLV.

probata, ſatis erat ut quatuor Nationum ſuffragio in publicis ſeſſionibus probarentur: quamquam & Cardinales, & alii privatim alios a ſuis Nationibus ſenſus foverent.

At hoc ipſum diſſenſionis Cardinalium a Nationibus in iis quae per eaſdem ſeſſiones *in diminutionem juriſdictionis Apoſtolicae* decernebantur, luculentius argumentum eſt. Ut quid enim Cardinalium Collegio jus ferendi ſuffragii Nationes denegaſſent, ſi Cardinales in eamdem ſecum conſpirare ſententiam exploratum habuiſſent? Itaque ob eamdem cauſſam permiſſum non eſt Cardinalium Collegio in prioribus illis ſeſſionibus ſeorſim a Nationibus ſententiam dicere, ob quam neque ad communes deliberationes ab eiſdem Nationibus Cardinales admittebantur; quod nempe in diverſas opiniones abirent. Qua de re videri poſſunt, quae ex MSS. Codicibus Schelſtratus refert (a); Nationes videlicet ſeorſim deliberaſſe, & paullo ante publicas ſeſſiones Cardinalibus communicaſſe, quae illis in privatis conventibus placuiſſent; perinde habentes, vel in eamdem ſententiam Purpurati Patres concederent, vel ab ea diſſentirent. Quod merito pro magno ſacri Collegii contemtu habitum eſt. Subjungitur in eiſdem MSS. Codicibus, quod Cardinales hac de re cum Nationibus conqueſti ſunt. Quare & in Theſibus totius ſacri Senatus nomine Synodo oblatis Cardinalis Cameracenſis quorumdam inſanas voces reprehendit temere in Concilio dicentium: *Nos vocabimus Cardinales, quando nobis videbitur*. Quam temerariam opinionem ſuorum Collegarum nomine validis, ut poſtea videbimus, argumentis in eodem ſcripto confutat; ac dubium excitat, de quo ſupra locuti ſumus; An quatuor nationum conventus, non accedente ſacri Collegii ſententia, Synodi Oecumenicae titulum jure adſciſcerent, & auctoritatem haberent. Quapropter ne & Synodi decreta in controverſiam adducerentur, & ut ſuus Cardinalibus honos decuſque conſtaret, petitum ab eis eſt, ut ſuam & ipſis ſententiam ſeorſim dicere liceret, quemadmodum & quatuor Nationum Collegiis: quae petitio eo videbatur aequior, quod Natio Anglicana, quae ſingularis ſuffragii jure gaudebat, nonniſi ex viginti hominibus conſtabat, quorum tres tantum erant Eccleſiaſticis infulis inſignes: quum ipſi Cardinales ſexdecim eſſent, alioſque praeſtolarentur, quorum plures doctrina etiam ſacra-

(a) Nam pene in omnibus Decretis Concilii factum eſt: Cardinalibus ita arcto & brevi tempore oſtenſa ſunt decreta jam concluſa in Nationibus, ut non fuerit in eorum poteſtate ſufficienter deliberare, imo in magno contemtu habiti ſunt. Plures conqueſti ſunt Cardinales de contemtu. Et finaliter petiverunt, quod cum eſſent in Concilio quatuor Nationes, una Angliae, in qua non erant viginti capita, de quibus tres ſolum Praelati, & Cardinales eſſent ſexdecim & alii futuri, de quibus plures magni & inſignes Doctores, propter dignitatem Collegii haberent vocem & auctoritatem tantam, ſicut Natio Anglicana. Quod fuit recuſatum, & dictum, quod venirent ad ſuas Nationes. Ita quod nullam habent actoritatem. *Ap. Schelſt. Diſſertatione II. cap. II. & Tom. XVI. Concil. edit. Ven. col. 116.*

ſacraque eruditione excellebant. Haec tamen tam aequa petitio repulſam paſſa eſt, reſponſumque eſt, ut ad ſuas Nationes accederent, unam cum eis dicturi ſententiam, non ut ſacri Collegii, ſed ut earumdem membra Nationum. Unde palam efficitur, haec optime conciliari, quod & Synodus ſeſſionis quintae decreta *uniformiter* adprobaverit; & nihilominus certo conſtiterit, eiſdem decretis ſacrum Purpuratorum Patrum Senatum pro virili parte refragari. Adeoque & ſua Schelſtratenis ex MSS. Codicibus actis & integra perſtat fides. Quare hîc jam nobis alia Boſſuetii, Arnaldi, & aliorum confutanda exceptio eſt.

„ Sed age, inquit Boſſuetius Cap. „ XXXIII. ſint vera, ſint authentica, ſint integra quae Schelſtratus deſcripſerit, ſint recta quae concluſerit, quid poſtea? Nempe acta Conſtantienſia auctoritate carebunt? Quid ita? quia ne vociferati ſunt Patres? Quo ergo abibunt Chalcedone acta, tot inter clamores, quos ipſi Judices compeſcere vix poterant? An ergo Schelſtratus putat, in ſacris Conciliis obſtinatione ſemper ac praecipitantia, tumultuariiſque motibus, non ipſo fidei ardore, clamores editos? At enim diſſenſerunt multi Cardinales quid tum? An, ut Chalcedonenſia aliaque vetera diſſidia omittamus; an, inquam, infirma erunt tot Tridentina Decreta, in quibus diſcrepantes Patrum ſententias Pallavicinus refert? Quae & alia, quae Illuſtriſſimus adjungit, eo pertinent, ut quamquam diſſentientibus Cardinalibus, edita quintae ſeſſionis decreta ſint; nihilominus valere debeant, & immobili atque inconcuſſa auctoritate pollere: quemadmodum & Chalcedonenſis aliorumque cum veterum Conciliorum, tum Tridentinae Synodi Canones, quibuſdam vel Epiſcopis vel Theologis intercedentibus, aut aegre conſentientibus, promulgati. Putatque tam recte ſolideque inſtitutam comparationem, ut Schelſtrato ſuccenſeat, mireturque: „ Non puduiſſe Theologorum haec „ orbi Chriſtiano proferre ludibria, „ has Eccleſiae dividendae, & Conciliarium Decretorum ſolvendorum „ vias. Nec mitiora ſunt, quae Arnaldus idem verſans argumentum, in eumdem Auctorem convicia jactat (a).

Verum quod Adverſarii tanta ſibi fiducia ſumunt; diſſenſionis totius ſacri Collegii, quod abſente Pontifice, Romanam quodammodo repraeſentet Eccleſiam, eamdem habendam eſſe rationem, ac diſſenſionis quorumdam privatorum vel Epiſcoporum, vel Theologorum; id vero nulla ratione ferendum eſt: objicimuſque haud ſuſpectum ipſis Auctorem, Cardinalem Cameracenſem, qui Collegarum nomine invictis in ipſa Synodo rationibus demonſtravit jus, quod Eccleſiae Romanae competit, ne abſque illius ſuffragio Oecumenica Synodus celebretur, aut in ea quidquam ſtatuatur. Ac tota illius de hoc argumento diſputatio ſequentibus Principiis, ſeu theſibus aut *Concluſionibus* nititur: Quod Eccle-

(a) Eclairciſſ. cap. XI. Punct. I.

Eccleſia Romana jure Divino omnium Eccleſiarum Mater eſt, & Magiſtra, & Caput; nec modo particularium omnium Eccleſiarum Caput eſt, verum *& Concilii generalis*, *imo & univerſalis Eccleſiae*, *quae ex omnibus particularibus Eccleſiis integratur*. Quae ſunt Eminentiſſimi Auctoris quatuor priores theſes. In quinta, ſexta, & ſeptima ſtatuit, quod quemadmodum Eccleſia Romana in Papa & Cardinalibus repraeſentatur: ita ipſa ſuo quodam modo, ſicut & generale Concilium, univerſam repraeſentat Eccleſiam. Abſente vero Pontifice, per Cardinales in Synodo repraeſentari cenſetur; maxime ſi ad hoc ut Synodo interſint aut praeſint, Apoſtolica auctoritate conſtituantur. Unde tribus ſequentibus theſibus ſeu *Concluſionibus* colligit, tantam eſſe ejuſdem Eccleſiae Romanae auctoritatem, quod ſine illa vel eam repraeſentantibus nihil in generalibus Synodis decernendum aut definiendum eſt; quod ad eam pertinet cetera Eccleſiae membra reformare, & quod ad generalem Eccleſiae reformationem ipſi cum Synodo adlaborandum eſt. Subinde ut nodum difficultatis preſſius adſtringat, duo illa excitat dubia, quae etiam ſuperius repraeſentavimus: 1. An quatuor Nationum conventus, ſine Cardinalium Collegio, Romano etiam Pontifice abſente, generalem Synodum faciant? 2. An jus & facultatem habuerint adimendi Eccleſiae Romanae, aut Cardinalium Collegio, eamdem Eccleſiam quodammodo repraeſentanti; (*quod*, inquit, *eſt antiquum Collegium & in antiquo jure*, *& in ſacris generalibus Conciliis*, *& ſanctorum Patrum decretis fundatum*;) adimendi, inquam, jus ferendi ſuffragii; quemadmodum hactenus publicis ſeſſionibus factum fuerat? Monet autem, earumdem ſeſſionum decreta *multis non videri* conciliariter facta, nec Synodi generalis auctoritate pollere. Nec dubium eſt, quin eadem fuerit ipſius Cameracenſis & aliorum Cardinalium ſententia, quum ſponte illa ex praemiſſis theſibus fluat. Unde in fumos abeunt quae adverſùs Schelſtratum Arnaldus diſputat, perinde atque ille ſeptem Cardinalium diſſenſu infringere voluerit Synodi Oecumenicae in condendis de fide moribuſque decretis auctoritatem. Non enim hîc numerus ſupputandus eſt; ſed quaerendum, An abſente Pontifice, nec admiſſo Cardinalium Collegio, aut eo minime conſentiente, generalis Synodus legitime habeatur, aut quae inde manant decreta Conciliarium decretorum forma & vigore polleant.

ARTICULUS QUARTUS.

Non fuiſſe Synodi mentem, *ut ea de Conciliorum poteſtate Capitula peremtorio & prorſus irretractabili Decreto ſancirentur*, *neque ut ea tanquam Articuli ad fidei regulam immobilem & irreformabilem pertinentes ab omnibus Catholicis reciperentur*.

Recte monet ſapientiſſimus Canus lib. V. de locis Theologicis cap. V. *Non omnia*, *quae aut Juris aut Conciliorum volumina continent*, *doctrinae Chriſtianae eſſe judicia*, *nec omnia rurſum doctrinae judicia*, *fidei cenſuras eſſe*. *Multa ſiquidem ad ſanam Eccleſiae diſciplinam*

nam attinent, *quae fidei decreta non ſunt.* Subjungitque aliquot Notas, quibus Conciliorum de fide decreta internoſci facile poſſint. „ Prima, in„ quit, & ea quidem manifeſta, ſi „ contrarium aſſerentes pro haere„ ticis judicentur ... Altera nota eſt, „ cum in hanc formam Synodus De„ creta praeſcribit: ſi quis hoc aut „ illud ſenſerit, anathema ſit: qua„ lia permulta ſunt in Concilio To„ letano primo, & in Synodo Tri„ dentina. Tertia eſt, ſi in eos, „ qui contradixerint, excommuni„ cationis ſententia ipſo jure fera„ tur..... Quarta, ſi quicquam „ expreſſe & proprie a Fidelibus „ firmiter credendum, aut tanquam „ dogma fidei Catholicae accipien„ dum dicatur, vel aliis ſimilibus „ verbis aliquid eſſe Evangelio do„ ctrinaeve Apoſtolorum contrarium. „ Dicatur, inquam, non ex opinio„ ne, ſed certo & firmo decreto. Cujus ſtatim limitationis rationem & exemplum adjungit. Quum ergo nulla ejuſmodi nota Synodi Conſtantienſis, de quibus in praeſentia diſſerimus, decreta afficiantur, plane conſequens eſſe videtur ea nequaquam ad fidem Catholicam pertinere, nec tanquam fidei canones & articulos eſſe a Catholicis ſuſcipiendos: nec enim contrarium docentes pro haereticis judicantur: nec anathema in eos intorquetur, qui ſenſerint ea Conciliorum majorem eſſe Romani Pontificis auctoritatem: nec in eos, qui contra dixerint excommunicationis ſententia ipſo jure conſtituta eſt. Nec tandem illud de ſumma & indeclinabili Conciliorum etiam in Romanos Pontifices poteſtate, expreſſe & proprie a Fidelibus firmiter credendum, aut tanquam dogma fidei Catholicae accipiendum proponitur; vel aliis ſimilibus verbis ſententia noſtra, velut Evangelio doctrinaeve Apoſtolorum contraria, traducitur ac reprobatur.

Efficax quidem ex ſeſe hoc argumentum eſt; ſed ei tamen multum additur ponderis ac momenti, ſi illud etiam adjiciamus, quod ſupra obſervatum eſt, ipſam videlicet Synodum conceptis diſertiſque verbis ejuſmodi decreta ab eis ſejunxiſſe, quae ad *fidei materias* & dogmata pertinerent, atque ut ab his accuratius diſcernerentur, caute obſervatum eſt, ea lecta fuiſſe *per modum Synodalium Conſtitutionum*.

Sed ut melius ac luculentius appareat, quantum ab ea mente atque ſententia Patres abfuerint, quae ſeſſionis quintae Decreta veluti fidei Canones & Articulos propoſita fuiſſe, & ab omnibus Fidelibus ſuſcipienda eſſe depraedicat; in memoriam revocanda nobis eſt ac diligenter verſanda ea controverſia, quae Theologos exercuit, quum ad Articulorum Wiclefi damnationem ſeſe Synodus compararet. Quum enim poſt diligens & accuratum examen a ſelectis Patribus ac Theologis habitum, viſum eſt eos eſſe ſollenniter configendos, quaeſtio excitata eſt, Papae ne an Concilii nomine decretum promulgaretur? Habitus hac de re Theologorum conventus, in quo Cardinalis Cameracenſis pro Concilio diſſeruit; ejus nempe nomine, nulla Pontificis facta mentione, Wiclefi damnandam eſſe doctrinam, quoniam Pontifici Synodus

nodus antecellit; cujus hic nonniſi pars & membrum, etſi praecipuum, habendus ſit. At ex quadraginta Doctoribus, qui conventui interfuerunt, ſolum duodecim Cardinalis ſententiam adprobarunt: ceteris propugnantibus, quod quum Synodus nullam habeat niſi per Pontificem auctoritatem, ideo Pontificis ſit *definitivam* pronuntiare ſententiam, atque adeo illius nomen in ipſa Decreti fronte ſpectari debeat, nec mentio Concilii facienda ſit, niſi ut ejus adprobatio ſignificetur. Alliacenſis tamen in ſua ſententia permanſit, ac *verbis verba trahentibus*, eo deventum eſt, ut Concilium eſſe diceret ſupra Papam, & poſſe illum deponere. Sed paucis exceptis, alii Theologi ei *in faciem* viriliter reſtiterunt. Quare propoſuit quaeſtionem ad Synodum deferre: ſuamque doctrinam ſcripto edito propugnavit, in quo & in Johannem Patriarcham Antiochenum impetum fecit, qui validis rationibus contraria dogmata communierat.

Hinc autem plura pro noſtra ſententia argumenta proficiſcuntur. Nam 1. quorſum haec poſt ſeſſionem ſextam inter Theologos controverſia? Si enim quintae ſeſſionis decreta, nulla Pontificis interpoſita mentione atque unius Synodi auctoritate, tanquam fidei Canones atque definitiones edita fuerant, quis jam locus dubitandi, quin & Wiclefi articulorum damnatio ſolius Concilii nomine & auctoritate fieri deberet aut poſſet? Atque illud etiam quaeri merito poteſt, cur eadem controverſia ante quartam aut quintam ſeſſionem Theologos non exercuerat, ſi perinde in illis atque in ſeptima ſeſſione de fidei decretis edendis agebatur? 2. Si tanquam fidei dogma in quarta & quinta ſeſſione ſancitum fuerat, Concilium Oecumenicum generatim, & in iis etiam quae ad fidem conſtituendam pertinent, *poteſtatem a Chriſto immediate habere*; qui fieri potuit, ut paucis poſt diebus ex quadraginta Theologis, praeter duodecim, reliqui omnes contrariam ſententiam nimirum *Concilium per ſe nullam auctoritatem habere niſi ex capite*, acerrime propugnarent; & Cardinali Cameracenſi in aliam abeunti opinionem viriliter & in faciem reſiſterent? 3. Quum *verbis verba trahentibus* eo deventum eſt, ut ab eodem Cardinali diceretur, Concilium eſſe ſupra Pontificem, & poſſe illum deponere, rurſum, *paucis exceptis*, ceteri ei in faciem contradixerunt; adeoque etiam poſt decreta quintae ſeſſionis libere de hoc argumento & in utramque partem inter Theologos diſceptabatur. 4. Johannes Antiochenus Patriarcha, ejuſdem occaſione quaeſtionis non modo viva voce, verum & quodam ſcripto, proprio nomine ſubſignato defendit, Pontificem Catholicum Concilio non eſſe ſubjectum, quam ille theſim pluribus argumentis adprobare adniſus eſt; quorum ſumma eſt, quod Concilium a Pontifice velut a capite, non Pontifex a Concilio ſuam derivat auctoritatem. Et quod juxta veteres Eccleſiae Canones Romanus Pontifex omnes judicat, ipſe a nemine judicatur: nec enim in eum vel ipſa Synodus generalis judicium exerceret niſi per auctoritatem ab ipſo velut a capite profluentem. Quod ſane argumento eſt, aut non

fuiſſe contraria dogmata a Synodo decretis quintae ſeſſionis *irretractabiliter* definita ; aut neque Johannem Patriarcham , neque alios Theologos eam agnoviſſe in Synodo auctoritatem , quae talem controverſiam *immobiliter & irretractabiliter* terminaret . Verum quidem eſt , quod poſt laudatum ſcriptum publici juris factum , Patriarcha ut invidiam declinaret , quemadmodum refert Cardinalis Cameracenſis , obtendit , *quod illam ſchedulam non ſcripſerat determinative , ſed ſolum arguitive* . Sed haec excuſatio quam frigida leviſque ſit , nemo non videt ; quum nullo modo nullave cauſſa liceat fidei dogmata peremtorio Eccleſiae judicio definita in controverſiam adducere . 5. Illud etiam non ſane diſſimulandum negligendumque eſt , quod Cardinalis Cameracenſis in brevi ſcripto , quo tunc ſuam de fidei decretis Concilii nomine edendis opinionem tuitus eſt , & contrariam exagitavit , quamquam nihil diſertius adferre poterat , quam ſeſſionis quintae decreta , quibus traditum fuerat , Concilium Oecumenicum *immediate a Chriſto* poteſtatem habere , cui ipſe quoque Romanus Pontifex ſubjectus ſit ; attamen horumce Decretorum ne meminit quidem . Quod certe permirum videri debet . Quid enim ad convincendos Adverſarios , eiſque ſilentium indicendum , validius adferre potuiſſet , ſi Conſtantienſes articuli in arcem evaſiſſent Catholicae veritatis , eorumque fuiſſet indeclinabilis auctoritas ? Quin & in Tractatu , quem poſtmodum in ipſamet Synodo edidit , de Eccleſiae , Conciliorum generalium , Romani Pontificis & Cardinalium auctoritate , in quo uberius eaſdem verſat quaeſtiones ; nec decretorum quintae ſeſſionis diſerte meminit , nec ſuis Adverſariis audet haereſeos notam impingere , ac demum ita in harumce rerum tractatione verſatur , & in eam clauſulam deſinit , ut luce clarius appareat , controverſiam , ipſius quoque opinione , nondum fuiſſe ſupremo & irretractabili Eccleſiae judicio definitam . Statuens enim cap. 2. III. Partis , Concilio generali Romanum Pontificem eſſe ſubjectum , ait : *Haec autem concluſio in condemnatione & depoſitione Johannis Papa XXIII. practicata eſt per hoc Concilium generale , cujus determinationi contradicere non licet* . Ac rurſum cap. IV. Antiocheni Patriarchae opinionem refellere aggrediens , *eam erroneam eſſe , & Politiae Chriſtianae periculoſiſſimam , ſatis*, inquit, *patet ex actis in hoc ſacro Concilio* . Cogitanti mihi , cur acta potius Concilii quam decreta laudet , illud in mentem venit , quod acta in Johannem XXIII. omnium Patrum eſſent adprobatione munita , decreta vero plurimis repugnantibus edita , eiſque adhuc multi refragarentur , ut vel ex ipſo Gerſone , loco inferius exhibendo , compertum eſt . Haereſeos autem notam nunquam ex propria ſententia Adverſariorum dogmati Cameracenſis inurit , hoc ſatis habens , quod *oppoſitum dicere , multis eſſet haereticum , & ex Juribus male intellectis erronee concluſum* : Non audet ergo velut ex ſua ſententia oppoſitum dogma haereſeos inſimulare . Denique quum multa de Conciliorum ſumma poteſtate dixiſſet , in hanc clauſulam deſinit : *Quae tamen non definitive determinando , ſed doctrinaliter ſuadendo poſita ſunt : nam hujus*

rei

rei definitionem ſacri Concilii determinationi ſubmitto. Quae aperte indicant, nondum eam queſtionem fuiſſe peremtorio & irretractabili Eccleſiae judicio terminatam.

At nihil, ut egó quidem ſentio, luculentius demonſtrat, quintae ſeſſionis decreta ad fidei regulam minime pertinere, quam quod ex ipſius Concilii veluti publica profeſſione conficitur argumentum. Cardinales oblato quatuor Nationibus Libello, variis rationibus demonſtrabant, ſine Eccleſiae Romanae, quae in Pontifice & Cardinalium Collegio repraeſentetur, non poſſe quidquam conſtitui vel definiri, quod Concilii generalis habeat auctoritatem. Atque inter cetera ad id probandum adſumebatur, quod *Romana Eccleſia, ſicut omnium Eccleſiarum caput dicitur, ſic & Concilii generalis, imo univerſalis Eccleſiae, quae ex omnibus particularibus Eccleſiis integratur*. Fuit qui Concilii juſſu laudato Cardinalium ſcripto notas adjecit, ne theſes ſeu veritates quibus nitebantur, illud Eccleſiae Romanae ſacrique Senatus jus invicte adſtruere viderentur. Ergo ad praemiſſam theſim *reſponſio Concilii* eſt (*a*), audiendam quidem Eccleſiam Romanam, ſacrumque Cardinalium Collegium quum de fide adierenda in Conciliis agitur; non autem ſi de ſchiſmate evellendo agatur, quod ipſorum Cardinalium culpa ſatum & roboratum ſit. Ergo & ipſum Concilium agnoſcebat, palamque profitebatur, ſine Eccleſia Romana, & Cardinalium Collegio, in quo ipſa repraeſentetur, nihil eſſe de fide in Conciliis Oecumenicis ſtatuendum. Certum porro eſt & exploratum, quintae ſeſſionis decretis non adfuiſſe Cardinalium Collegium Eccleſiae Romanae nomine, aut quod ipſam repraeſentaret. Quamquam enim aliqui Cardinales adfuerunt, non tamen velut Eccleſiae Romanae Senatus ſuffragium tulerunt, aut ſententiam dixerunt, ſed veluti ſuarum Nationum membra habiti ſunt. Quare, ex ipſius Concilii profeſſione, aut in ea ſeſſione de fide actum non eſt; ut habet ipſa Decretorum inſcriptio, *per modum*, inquit, *Synodalium Conſtitutionum*; aut ea decreta *conciliariter* acta non ſunt; hoc eſt, prout lex exigit Conciliorum, adſcita in conſultationem Eccleſia Romana, ejuſque elicito conſenſu: quem, ubi de fide agitur, omnino deſiderari, ipſimet Coſtantienſes abnuere non audebant.

Denique quamquam Gerſon omnium audaciſſimus, Seſſionis quintae Decreta paſſim opportune in ſuis ſermonibus & Tractatibus velut fidei dogmata ſeu regulas venditaret, & contrariam doctrinam velut haereticam inſectaretur; attamen diſsimulare non potuit, ejuſque teſtimonio compertum eſt, plures vel in ipſa Synodo fuiſſe, qui hanc ipſam doctrinam, ipſo auctore, haereticam, & velut haereſim a Concilio damnatam, pa-

(*a*) Super verbo *Concilii* eſt ſubdiſtinguendum. Quia hoc eſt verum in aliquo Concilio, maxime cum agitur ad elidendum aliquem errorem contra Catholicam fidem, ſeu haereſim extirpandam. Ubi autem agitur de ſchiſmate tollendo in Romana Eccleſia, quod per Cardinales ortum habuit, quia Cardinales alias abuſi ſunt electione, & in ſimilibus, ibi locum non habet Alias eſſent judices in proprio facto.

lam defendere minime verebantur. *Poſt determinationem*, inquit (a), *& practicationem hujus ſacroſanctae Conſtantienſis Synodi inveniuntur, qui talia palam aſſerere non paveant*. Et in alio loco (b): *Numquid non ideo ſacrae hujus Synodi Conſtantienſis impugnantur judicia, quae ſic habent?* „ Primo declarat &c. Subjungitque duo illa ſeſsionis quintae Decreta, de quibus in praeſentia diſſerimus. Quis vero animum inducat, laturam fuiſſe Synodum, ut decreta, quae ipſa tanquam fidei dogmata regulaſve ſupremo ac peremtorio judicio ſancitas haberet, palam impeterentur; doctrina vero, quam ut haereticam proſcripſiſſet, palam & ipſa vindicaretur?

Ex quibus omnibus colligi aperte videtur, illas quorumdam Theologorum id temporis opiniones noluiſſe quatuor Nationes, ſeu qualemcumque Synodum ex quatuor Nationibus conſtitutam; noluiſſe, inquam, eas opiniones tanquam fidei dogmata decreto prorſus irretractabili definire; ſed eas adoptaſſe, & utcunque firmare ac ſtatuere decreviſſe velut tempori, & exſtinguendo ſchiſmati, & Eccleſiae in capite & membris reformandae accomodatas. Si enim illas in fidei articulos vertere voluiſſet, canonicum de illis examen inſtituiſſet, atque ad deliberandum decernendumque de illis ſacrum Collegium Eccleſiam Romanam, abſente Pontifice, utcunque repraeſentans, adhibuiſſet, ac demum facultatem omnem de eiſdem in utramlibet partem diſſerendi Theologis ademiſſet. Semel autem iis adſcitis doctrinis ac decreto firmatis, conſequens erat, ut ea etiam inde decreta prodirent, quae his velut innixa ab Adverſariis objiciuntur, & de quibus ſupra Capitibus XVI. XVII. & XVIII. Meldenſis Epiſcopus diſſerit; quaeque ad ipſos etiam certos & indubios Pontifices referri videantur. At quemadmodum aliis Patribus ac Theologis non eſt per Synodum ademta facultas priora illa decreta, ex quibus alia manarunt, & quibus velut fundamento innituntur, ad Evangelii traditioniſque regulas accuratius exigendi; ſic multo minus Eccleſiae Romanae, Sedique Apoſtolicae, Romaniſque Pontificibus eadem facultas abrogata eſt; nimirum ea decreta libere retractandi, ac diligentius examinandi, quo jure, quave demum ratione ad alia diſciplinae capita obſervanda retinendaque obſtringeretur.

ARTICULUS QUINTUS.

Martinus V. Seſſionis quintae decreta velut conciliariter facta, vel ad fidem pertinentia, minime confirmavit. In aliis autem Synodi Decretis firmandis; & appellationibus a Pontifice ad futura Concilia prohibendis, ſummam in Synodos Oecumenicas auctoritatem ſibi ſuiſque Succeſſoribus Romanis Pontificibus, adſeruit ac vindicavit.

MArtinus V. Seſſione XLV. ſe, *omnia & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materiis fidei per Concilium Conſtantienſe conciliariter, tenere velle; ipſaque ſic conciliariter facta ſe approbare & ratificare, & non aliter nec alio modo*, pro-

(a) De Poteſt. Eccleſ. Conſid. XII.

(b) Serm. in Feſto S. Antonii.

profeſſus eſt. Quod autem haec verba protulerit, quum a Polonis contentioſiſsime urgebatur, ut librum quemdam Johannis a Falkenberg, rite jam examinatum, & per Nationes & Cardinales damnatum, in publica quoque ſeſsione damnaret, aut jam damnatum ſollenniter promulgaret; hinc colligunt Adverſarii, decreta de ſumma Conciliorum poteſtate in publica ſeſsione edita, iis adcenſenda, quae Martinus V. adprobarit confirmaritque. „ Ad fidem „ enim pertinere, quae pertinent „ ad interpretationem divini juris, „ & ad traditam immediate a Chri- „ ſto Petri Succeſſoribus, atque Epi- „ ſcopis in Concilio generali ſeden- „ tibus, poteſtatem, neque Bellar- „ minus inquit Boſſuetius Cap. XXIX. „ aut alii diffitentur.

At nos quamvis id exigamus, ut aliquid ſit *conciliariter* geſtum, ut in ſeſſione publica & ſollenniter promulgetur; non omnia tamen, quae in publicis Synodi Conſtantienſis Seſſionibus promulgata ſunt, *conciliariter* geſtis eſſe adnumeranda cenſemus. Alias enim, ut ex dictis compertum eſt, praeterea requirimus conditiones. Ut Canonicum examen praeceſſerit; ut Romanus Pontifex, vel qui pro Pontifice habebatur, conſenſerit, aut ſaltem non repugnarit; denique ut eo abſente, Cardinalium Collegium velut Romanam Eccleſiam repraeſentans, ſeſſioni adfuerit conſenſeritque. Quamobrem quemadmodum Adverſarii memorati libri damnationem ob publicae ſollenniſque promulgationis defectum inter *conciliariter* geſta non referunt; ita nos quintae ſeſſionis articulos, ob aliarum conditionum defectum, pro *conciliariter* decretis a Pontifice confirmatis non habemus, nec habendos eſſe cenſemus. Nam quod neque ad fidem iidem articuli ſpectent, ipſamet Synodus perſpicue ſignificavit, quae illos *a materiis fidei* accurate diſtinxit; neque, ut ad fidem pertineant, ſatis eſt quod in divini Juris interpretatione verſentur; ſed praeterea requiritur, ut pro haereticis habeantur, qui contraria docuerint, vel anathema in eos intorqueatur, vel eis qui contra dixerint, excommunicationis poena conſtituta ſit, vel denique ut res illa tanquam certa & Catholica fide tenenda omnibus Fidelibus proponatur. Unde colligimus, ſeſſionis quintae decreta neque tanquam *conciliariter* facta, neque tanquam ad fidem pertinentia, fuiſſe a Pontifice confirmata.

Id vero nos quidem ſatis eſſe judicamus, ne in arcem ſummae & Catholicae auctoritatis invadant, idque potiſſimum quum Pontifex diſertis verbis profitetur, ea ſe *nec alio modo nec aliter* confirmare. Verum Adverſarii neque neceſſariam judicant geſtorum ac decretorum Synodalium Apoſtolicam confirmationem, neque exiſtimant „ Romanos „ Pontifices, (Verba ſunt Meldenſis Epiſcopi Cap. XXVIII.) cum „ Synodos Oecumenicas legitime „ habitas confirmant, ſuperiorem in „ eas exercere poteſtatem. Quorum utrumque jam nobis in ſuperioribus libris veterum Conciliorum, Romanorumque Pontificum, & Patrum teſtimoniis pleniſſime confutatum eſt. Quare hîc tantum quae nobis ex Conſtantienſis Synodi Actis ſuppetunt argumenta proferemus.

In-

Inter alia, quae Emmanuel Schelſtrate in lucem eduxit, ad Conſtantienſem Synodum pertinentia, & antea inedita Monumenta, praecipuum locum obtinet, auro contra aeſtimanda, Martini V. Bulla, cujus initium eſt: *In eminenti Apoſtolicae dignitatis ſpecula &c.* qua Conſtantienſis Concilii in Wiclefi, Hus, & Hieronymi Pragenſis errores ſollennia decreta, ea verborum forma confirmat, ut plane ſuperiorem auctoritatem exerceat, eaque confirmatione tum aliquando opus eſſe, tum quae ſit ejus vis & efficacitas, clare luculenterque demonſtret. Non modo enim memorata decreta adprobat, confirmat, rataque habet & grata; Verum etiam Apoſtolici Diplomatis patrocinio communit, ſupplet omnes defectus, ſuaque auctoritate decernit (*a*), ut iis defectibus minime obſtantibus, plenam vim, plenumque robur atque vigorem obtineant. Porro ad ſuperioris auctoritatem pertinet Diplomatis ſui *patrocinio adprobare, rata & grata habere, confirmare, communire Decreta, & ſupplere defectus* inferiorum, vim eis plenam, plenumque robur & vigorem adſerere. Quod his litteris praeſtitit Martinus V. ut Conſtantienſia adverſus haereſes decreta ineluctabili auctoritate & immobili firmitate muniret. Quo enim pertinet horumce Decretorum Apoſtolica confirmatio, niſi ut nemini deinceps ulla prorſus ratione fas & licitum ſit, ea ſic confirmata & adſerta in controverſiam adducere, ac temere retractare?

S. Birgittam poſt Bonifacium IX. rurſum ſollenni ritu, ſacro approbante Concilio, ante ſuum Conſtantia diſceſſum, Sanctorum faſtis adſcripſerat Johannes XXIII. Hoc tamen Synodi Johanniſque Decretum confirmari a Martino V. Sueci Proceres voluerunt; quod ille rurſus ſollenni ritu perfecit Florentiae anno 1419. Ut Sancta illa Vidua, quemadmodum Hiſtorici obſervant, ter fuerit velut omnes Eccleſiae ritus ac ceremoniae poſtulant, in Sanctorum album relata (*b*) ſemel Romae a Bonifacio IX. anno 1391. deinde Conſtantiae anno 1415. tertio Florentiae a Martino V. eo quem jam diximus anno. Ut Bonifacii IX. ſollenne Decretum per Conſtantienſe Concilium confirmaretur, illud in cauſſa fuit, quod Bonifacius tempore ſchiſmatis ſederat, adeoque inter dubios Pontifices habebatur. At ut poſt idem Conſtantienſe Concilium eadem Martino V. ſollennitas inſtauraretur, non potuit eſſe alia ratio, quam quod ſub Johan-

(*a*) Nos igitur Declarationes, Decreta &c. ſupraſcripta, rata habentes & grata, illaque auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia tenore praeſentium confirmantes, & praeſentis Scripti patrocinio communientes, ſupplentes quoque omnes defectus, ſi qui forſan propter ſolemnitates juris in procedendo non ſervatas, intervenerint in eiſdem; volumus etiam & eadem auctoritate decernimus, quod declarationes, diffinitiones . . . . . nec non condemnationes & ſententiae praeinſertae plenam vim, plenumque robur & vigorem per omnia habeant, & ad ea ubilibet probanda hae noſtrae litterae plene ſufficiant . . . . . Nulli ergo &c. noſtrae approbationis, ratificationis, communitionis, ſuppletionis, voluntatis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis &c.

(*b*) Ainſi Brigitte a été canoniſée trois fois dans toutes les formes. *Lenſ. lib. I. num. LXXI.*

Johanne XXIII., dubio itidem Pontifice, certa eſſe non potuit Synodi Conſtantienſis auctoritas, vel quod generatim Synodorum Decreta Apoſtolica auctoritate firmanda ſunt, ut inconcuſſam & indeclinabilem habeant firmitatem. Utrumlibet Adverſarii eligant, nobis perinde eſt, qui id potiſſimum volumus, Conſtantienſium decretorum auctoritati non modo ſubjectum & obnoxium non fuiſſe certum indubiumque Pontificem; verum & ea aut nihil valitura, aut certe non ſummum & inconcuſſum robur habitura, niſi ab eodem Pontifice confirmarentur. Quare ea tantum Conſtantienſium decretorum in arcem auctoritatis recipimus quae a Martino V. Apoſtolica confirmatione vel adprobatione firmata ſunt.

Quo loco incurrens Adverſariorum objectio repellenda eſt, quae in hanc formam efferri poteſt. Si ea tantum Synodi Conſtantienſis Decreta indeclinabilem auctoritatem habent, quae peculiari diplomate conceptiſque verbis velut *conciliariter* facta, & ad fidem pertinentia, Martinus V. confirmavit; conſequens eſt, ut quae pro extinguendo ſchiſmate a Synodo geſta ſunt, ac potiſſimum Johannis XXIII. & Benedicti XIII. exauctoratio, auctoritate careant. Neque enim ea laudatus Pontifex peculari Diplomate confirmavit. Si vero tacita vel implicita Pontificis confirmatio vel adprobatio ſufficit, eam priorum quoque ſeſſionum decretis non deeſſe, multis argumentis Boſſuetius & alii probant. *Satis* enim, inquit Meldenſis Epiſcopus Cap. XXVIII. illarum ſeſſionum articulos „ approbabat, qui „ decernentibus praeſens communicabat, eorumque conventum pro Oecumenico Concilio agnoſcebat. „ Satis approbabat, qui Johanni „ XXIII. ex his ſane decretis rite „ depoſito ſufficî ſe patiebatur. Satis „ approbabat, qui Caput, *Frequens*, „ ex earum ſeſſionum auctoritate „ valiturum, exequendum putabat. „ Satis approbabat, qui in Bulla, „ *Inter cunctas*, & exſcripſerat, & „ exſequendas mandaverat adſcriptas „ a ſacra Synodo Articulo XLI. „ Wicleſiano cenſuras, quae ad Seſſionis IV. & V. Decreta neceſſario referrentur. Satis denique antea„ cta approbabat, qui eorum auctoritate omnibus praeerat; quin ipſum „ interreſſe, ipſum communicare, „ probare eſt. Haec Boſſuetius; ad quae tamen ex jam dictis parata & in promtu reſponſio eſt.

Nam quod primo loco objicit, & cap. XXII. latius fuerat proſequutus, etiam prioribus ſeſſionibus Martinum V. Oecumenicam adſeruiſſe auctoritatem, quum de Wiclefi Huſſive erroribus, quos ante adunatas *Obedientias* Synodus damnaverat, ſuſpectos interogari voluit, an crederent atque profiterentur, quod Conſtanſienſe Concilium Catholicam repraeſentarit Eccleſiam, & quod ab ipſo damnatum fuerat, rite fuerit juſteque damnatum? id, inquam, quanti fieri debeat, ex ſuperioribus conſtat. Conſtat enim, nonniſi abſurdiſſime exiſtimari, Martinum V. compellere voluiſſe eos, qui olim a Gregorii, aut Benedicti partibus ſteterant, nec ad Synodum accedere voluerant niſi facta proteſtatione, quod praecedentes ſeſſiones pro Oecumenicis non agnoſcebant; eos, inquam, Mar-

Martinum compellere voluiſſe ad profitendam etiam priorum ſeſſionum Oecumenicam auctoritatem. Wicleſiani ergo & Huſſitae, non perinde Gregoriani & Hiſpani illis interrogationibus urgendi ac premendi erant. Quod ſane argumento eſt, prioribus illis ſeſſionibus non utcunque, ſed ut a plena deinceps Synodo in iis quae ad Wicleſi Huſſique errorum damnationem pertinerent, adprobatis, & a Romano Pontifice confirmatis Oecumenica auctoritas vindicanda eſt.

Nec plus momenti eſt in eo quod objiciunt de Johannis XXIII. aut Benedicti XIII. depoſitione. Ut enim Schelſtratus ſcite animadvertit (*a*): „ Sunt quaedam Conſtantienſis Synodi Conſtitutiones, quas Martinus Quintus poſt illius finem ſpecialiter confirmavit. Sunt & aliae, quas durante Concilio particulari Bulla probavit, ut cuique Concilii Acta evolventi conſtabit. Sunt demum & alia, quae tres Obedientiae & Martinus V., ac tota Eccleſia ipſomet facto acceptarunt, ſicut Johannis XXIII. addamus & Benedicti XIII. depoſitionem: quae ut tanquam juſte ac legitime factae reciperentur, non iis Canonibus opus erat, quibus Catholici quoque indubiique Pontifices Conciliorum generalium ſanctionibus ſubjicerentur. Nam Benedictus XIII. tanquam haereticus ejectus fuerat, & Johannes XXIII. praeterquamquod de illius electione non minores erant, ac perinde inextricabiles, quam ante Piſanam Synodum de aliis Pontificibus fuerant, juris & facti difficultates, ſuae ipſe exauctorationi conſenſerat: atque omnis, qui ob vim abhibitam apud multos adhuc ſupererat ſcrupulus, libera deinde Florentiae illius ceſſione ſublatus eſt.

At nihil frequentius ac moleſtius objiciunt, quam Articuli XLI. inter Wicleſianos cenſuram ipſi quoque Martino V. adprobatam, qua decernitur errorem eſſe, inficiari aut non credere, *Eccleſiam Romanam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias*; ſi Eccleſiae Romanae nomine intelligatur univerſalis Eccleſia aut Concilium generale; aut ſi negetur Primatus Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares. Non video tamen quid inde confici poſſit, niſi hoc unum, temperare voluiſſe Synodum ac Pontificem ab eorum damnatione, qui Romani Pontificis Romanaeve Eccleſiae poteſtatem ſuper ipſam univerſalem Eccleſiam aut Oecumenicam Synodum inficiarentur. Ceterum hanc pervulgatam fuiſſe Theologorum etiam illius aevi ſententiam, inde certiſſime conſtat, quod Cameracenſis Epiſcopus aliique Cardinales in Theſibus Synodo oblatis, hanc tertio loco ſtatuerunt. *Romana Eccleſia, ſicut omnium Eccleſiarum Caput dicitur, ſic & Concilii generalis, imo univerſalis Eccleſiae, quae ex omnibus particularibus Eccleſiis integratur.* Quam theſim, quamquam cum Seſſionis V. Decretis conciliari non poteſt, attamen ut ſuperius oſtendimus, ipſa Synodus inficiari auſa non eſt.

Denique, quod ipſa cum Synodo communione volunt, Martinum V. ejus

(*a*) Diſſert. II. cap. III. pag. 135.

ejus decreta ſatis ſuperque confirmaſſe, quod *confirmare*, ut ait Boſſuetius, *Eccleſiaſtico ſtylo, conſentire eſt*; is autem conſentire creditur, qui non reſiſtit: Nam *error cui non reſiſtitur, adprobatur*; nullius omnino ponderis eſt. Nam tacita confirmatio vel adprobatio obtendi non poteſt, quum quidquam *indirecte* ſaltem, ut ajunt, ſeu mediate conſtat fuiſſe reprobatum. Nam qui generatim damnat ac reprobat quaſcumque a Romanis Pontificibus ad Oecumenicas Synodos appellationes, is utique cenſendus eſt & eorum reprobaſſe doctrinam, qui Concilium generale ſummum in terra Judicem eſſe conſtituunt, ejuſque coactivae poteſtati ipſos quoque Romanos ſubjectos eſſe Pontifices. Sic porro res eſt. Martinus V. ſub finem Synodi Conſtantienſis, Gerſone teſte, *Bullam* edidit, qua docebat: *Nulli fas eſſe, a ſupremo Judice, videlicet Apoſtolica Sede, ſeu Romano Pontifice, Jeſu Chriſti Vicario in terris, appellare, aut ejus judicium in cauſis fidei (quae tanquam majores ad ipſum & Sedem Apoſtolicam deferendae ſunt) declinare*. Multa quidem adverſus hanc Bullam Adverſarii comminiſcuntur; at negare non audent, eam laudatum Pontificem edere voluiſſe. Ajunt, Bullam ne Gerſoni quidem luſtratam, adeoque nec publici juris factam; eam in Conſiſtorio quidem publico, hoc eſt in Coetu Cardinalium, non in ſeſſione publica lectam, perinde ac lucem Synodi vereretur. Eam nulli Bullarum Collectioni inſertam, nec Pio II. in Bulla, *Execrabilis*, nec Julio II. in Bulla, *Suſpecti regiminis*, quibus appellationes a Papa ad Concilium tantis poenis prohibent, vel leviter memoratam. Eam denique non tam Bullam a Gerſone, quam Bullae *Minutam* appellari, hoc eſt Apoſtolici Diplomatis delineationem, non ipſum Apoſtolicum Diploma, quod ſuis veſtitum formulis dimiſſum per Eccleſias ſit ubique ſervandum. Haec Boſſuetius (a), haec Arnaldus (b), haec Maimburgus (c), haec alii.

Utcunque tamen, ſit nihilominus neque negare poſſunt, neque reapſe negant, tum eam Bullam a Martino V. informatam delineatamque fuiſſe, tum in publico Conſiſtorio fuiſſe lectam, & quemadmodum Gerſoni, ita & ceteris Patribus innotuiſſe; tum denique eam Polonorum auſibus ad futuram Synodum appellare volentibus objectam fuiſſe, eiſque appellationem interponentibus indictum a Martino in publica ſeſſione, ſub excommunicationis poena, ex ejuſdem Bullae diſpoſitione, ſilentium. Nec Synodum reclamaſſe in Actis proditum eſt, neque ſi reclamaſſet, Gerſon, qui in eam Conſtitutionem calamum ſtrinxit, ſilentio praeteriiſſet. Porro, quod & ipſi Adverſarii jactant, *error cui non reſiſtitur, adprobatur*. Qua ex regula, Conſtantienſis Synodus adprobaſſe cenſenda eſt Martinum V., velut ſupremum Judicem ſummaque auctoritate vetantem damnantemque interpoſitas a Romanis Pontificibus ad Synodos

(a) Lib. XV. Cap. XXVII.
(b) Eclairciſſem Cap. XXVI. §. IV.
(c) Tract. Hiſtoric. Cap. XXIV.

nodos Oecumenicas appellationes: nam illi eas prohibenti non reſtitit. Sic tandem in Conſtantienſi Synodo Apoſtolorum Principis Succeſſoris auctoritas vicit, & veritas triumphavit. Quo jam enim abibunt illa Adverſariis jactata pro quartae quintaeque ſeſſionis decretorum approbatione, ſeu tacita confirmatione?,, Martinum
,, V. vidimus cum Otho Cardinalis
,, eſſet, omnium quaeque Piſis, quae-
,, que Conſtantiae geſta eſſent, jam
,, inde ab initio fuiſſe participem,
,, & Pontificem factum, nihil eorum
,, quae in Synodo geſſerat retractaſ-
,, ſe, imo tota Synodo approbante,
,, eaſdem ſeſſiones Concilii Oecu-
,, menici nomine honeſtaſſe. Neque
,, neceſſe erat, ut poſt ſemel aſſertam
,, primis quoque ſeſsionibus Synodi
,, generalis auctoritatem, Seſsionis IV.
,, & V. Decreta expreſſe probaret.
Quo haec, inquam, abibunt? Annon in fumos evaneſcent poſt ſemel improbatam atque damnatam a Martino V. omnem a Romano Pontifice appellationem? An qui illa decreta ab imis fundamentis evertit, vel eorum, ut verbis utar Gerſonis (a) *fundamentale penitus robur deſtruxit*, is ea confirmaſſe aut adprobaſſe cenſendus eſt? Ut vel hinc conſtet, quam inaniter ab Adverſariis jactetur, etiam prioribus illis Seſsionibus abſolute ſpectatis tribuiſſe Martinum Synodi generalis auctoritatem. Et quod Synodi ab initio particeps fuerit, hoc eſt, ipſi ab initio praeſens; poſt ea quae ſuperius de Cardinalium in iis ſeſsionibus ab eadem Synodo diſſenſione clare luculenterque probavimus; argumento non eſt, Odonem Columnam adverſus Collegas pro Synodi decretis ſletiſſe: ſed contra quae jam Pontifex geſsit, argumento ſunt, eum ab initio aliis Cardinalibus conjunctum quartae & quintae ſeſsionis Decretis repugnaſſe, nec quatuor Nationum conventum pro Synodo Oecumenica habuiſſe; adeoque nihil, jam Pontificem factum non egiſſe, quo illorum Decretorum infringeret auctoritatem. Unde etiam colligere eſt, Caput, *Frequens*, aliave diſciplinae capita, non ex earum ſeſsionum decretis, quorum vim ac robur incidit, valitura, exſequenda putaſſe; ſed quoniam judicio ſuo comprobata, tempori apta & opportuna, atque adeo digna eſſe cenſuit, ut eorum ipſe exſecutionem urgeret.

CAPUT XXXI.

,, An illa formula: *Sacro approbante*
,, *Concilio*: Papam Concilio ſupe-
,, riorem probet?

MAgna, ut ſuperius vidimus, poſt Seſsionem VI. inter Theologos concertatio fuit, an Wiclefi errores ſub hac forma damnandi eſſent: *SS. D. Noſter, ſacro approbante Concilio &c.* an potius ſub illa: *Sacroſanctum Concilium damnat &c.* nulla Pontificis facta mentione. Cardinalis Cameracenſis utramque probabat; poſteriorem tamen magis congruam exiſtimabat. At ex quadraginta Theologis viginti & octo priorem formulam praeferebant, quod a Pontifice velut a capite & fonte Conciliorum auctoritas derivetur. Antequam

(a) Dial. Apolog. pag. 390. Tom. II.

quam novus Pontifex crearetur, poſteriorem formulam Synodus adſcivit. At poſtquam Martinus V. ad Petri Cathedram evectus eſt, & Concilii Praeſidem ſummumque Moderatorem agere coepit, prior uſurpata formula eſt; quamquam inde plures in primaeva illa ſententia, tunc quidem Cameracenſi, Gerſoni aliiſque perquam exoſa, ſed quae ante ſchiſma paſsim apud Theologos obtinuerat, confirmarentur; quod nempe ex Romano Pontifice velut ex capite omnis Conciliorum auctoritas pendeat. Adeo quum certus indubiuſque Pontifex Concilio praeerat, omnia *ipſo auctore*, quemadmodum olim in Chalcedonenſi aliiſque Synodis, agebantur, eoque conſpirabant univerſa, ut Cathedrae Apoſtolicae, ac throno Petri primaevus ſplendor ac majeſtas reſtitueretur.

CAPUT XXXII. &c.

„ Emanuelis Schelſtrati objecta a Co-
„ dicibus Manuſcriptis petita ſol-
„ vuntur circa Seſsionem quar-
„ tam.

IN hoc & quinque ſequentibus hujuſce libri Capitibus primùm id conatu evincere Boſſuetius, ut editis a Schelſtrate ex Vaticanis Codicibus Synodi Conſtantienſis Actis omnem abroget fidem. Secundo, ut quamquam illis in quibusdam Capitibus fides conſtaret, nihil inde elici poſſit, quo Decretorum quartae & quintae ſeſsionis auctoritas labefactetur. Duo ergo & nobis, antequam hanc de Synodo Conſtantienſi diſputationem abſolvamus, praeſtanda ſunt. Primo editis a Schelſtrate Actis fides adſerenda. Secundo luſtrandae ſunt ac ſedulo examinandae conſecutiones, quae ex aliquot eorumdem Actorum Capitibus, ſi vera ſunt, elici jure poſſunt. Quo duo tribus ſequentibus articulis abſolvemus, in quibus eadem opera qua Boſſuetii, Arnaldi quoque circa haec eadem Capita diſputationem expendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Editis a Schelſtrate e Vaticanis Codicibus Conſtantienſis Synodi Actis fides adſeritur, & a Meldenſis Epiſcopi objectis Arnaldique cenſura & cavillis vindicatur.

QUeruntur primo loco Adverſarii, quod quum Emmanuel Schelſtrate nova Concilii Conſtantienſis Acta Catholico orbi communicaret, multa nos latere voluerit, quae noſſe valde eruditos intererat, ut de illis ex probatis Critices regulis judicium ferrent. „ Unde ſint eruti Ma-
„ nuſcripti quos jactat Codices, in-
„ quit Boſſuetius Cap. XXXII. ubi
„ delituerint, quas temporum notas
„ praeferant, quid ſint denique, an
„ ſimplex geſtorum ſeries, an hiſto-
„ riae quibus acta inſerantur; ac ſi
„ hiſtoriae, ut ea quae inde pro-
„ tulit, verba prae ſe ferunt, quo
„ auctore conſcripta ſint, notone
„ an ignoto: horum nulla mentio,
„ omnia praetermiſſa, quae Auctori-
„ bus aut Codicibus fidem adſerant vel
„ detrahant. Haec Boſſuetius, eademque Arnaldus Cap. II. in duobus prioribus Argumentis ſeu probationibus urget.

Mirum profecto, de his ſerio conqueri Adverſarios, quum haſce omnes, quas Schelſtrato movent quaeſtiones, ipſe in priore etiam ſui Operis editione praeoccuparit. Ex Manuſcriptis enim Codicibus, ad quos primum Decretum Seſſionis quartae, ut a Baſileenſibus editum fuerat, reformavit; *Tres* ſcripſerat (a) *continere acta Conſtantienſis Concilii a Notariis ipſius conſcripta*. Deinde alios quatuor *continere geſta indubitata Conſtantienſis Synodi, quorum duo circa ipſius Conſtantienſis Concilii tempus conſcripti ſunt... duos demum continere Regeſtum Actorum Conſtantienſis Concilii, quorum unus circa tempus ipſius Concilii ſcriptus, ſpectavit ad Eminentiſſimum Cardinalem Sirletum, alius antiquo charactere Italico conſcriptus eſt &c.* Quod ſi haec Adverſariis non omnino ſatisfaciebant; quod pertinet ad tres priores Codices, quorum maximum pretium & auctoritas eſt, haec ſtatim occurrebant initio Excerptorum, quae inde laudatus Auctor publica luce donavit: *In nomine Sanctae & Individuae Trinitatis. Hic liber continet Ordinationes, Statuta, Conſtitutiones, Decreta, & alia Acta & Geſta in generali Conſtantienſi Concilio, praeſidente SS. in Chriſto Patre & D. N. D. Johanne divina Providentia Papa XXIII. recollecta, viſa & ordinata per nos Protonotarios, Notarios, & Scribas infraſcriptos, ad id per eumdem D. N. Papam, ipſo approbante Concilio, deputatos ſub annis Domini, Indictione, Pontificatu, menſibus & diebus inferius annotatis*. Eamdem omnino Inſcriptionem praeferunt ejuſdem Synodi Acta, a Protonotariis itidem litteris conſignata, in Codicibus MSS. Brunſuicenſibus, Lipſienſibus, & Gothanis, quemadmodum cernere eſt apud Hermannum Von der Hardt Tom. IV. Par. I. pag. 5. ubi & huic adfinem profert ex nobili, inquit, Epitome Johannis Dorre Presbyteri &c. in Conſtantienſi Concilio praeſentis, in Auguſtiſſima Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi feliciter conſervata. Quae profecto ſuadent, hoſce omnes Codices ex eodem fonte profectos eſſe, nec Vaticanos, qui perinde ac Brunſuicenſes, Lipſienſes, & Gothani, Decretum primum quartae ſeſſionis abſque illa de Reformatione clauſula exhibent, titulum mentiri, qui eam collectionem Protonotariis adſcribat. Habet ergo Boſſuetius, habet & Arnaldus, quas temporum notas praeferant Codices, ex quibus Excerpta ſua Schelſtratus vulgavit. Habent etiam, unde ſint eruti MSS. quos jactat Codices, & ubi delituerint. Nimirum ex Vaticana Bibliotheca, in qua & adhuc ſervantur, propriis a nobis luſtrati oculis & manibus contrectati. Habent denique, quod ſpeciatim ad quartae ſeſſionis Decreta pertinet, quo illa Auctore, ſeu potiu squibus Auctoribus conſcripta ſint, ſcilicet a Protonotariis ad ea colligenda auctoritate publica deſtinatis.

„ Et ille quidem, ſubjungit Boſ„ ſuetius, integros Codices edere „ debuiſſet, ut Lector eruditus pro„ bare vera, convincere falſa, man„ ca ſupplere, dubia elucidare poſ„ ſet.

(a) Diſſert. I. cap. I.

„ ſet. Tot profecto extant Conſtan„ tienſis Synodi nota Monumenta, „ tot de ejus rebus Virorum graviſ„ ſimorum teſtimonia; ut niſi cum „ illis congruant, quae Schelſtratus „ hactenus ignota fuiſſe confitetur, „ falſa ea, & partium ſtudio conſcri„ pta eſſe oporteat.

Age ergo, quando ad haec nos Illuſtriſſimus Adverſarius provocat, non eſt profecto cur ei ſatisfacere vereamur. Quamquam jam illi abunde, ſaltem quod ad graviora pertinet capita, ſatisfactum eſt. Plura enim, quam Galli fortaſſe vellent, habemus hodie Monumenta, & Virorum graviſſimorum de rebus ad Synodum pertinentibus teſtimonia, quae plane cum illis congruunt, quae a Schelſtrato, edita ſunt; ut ſi unum aut alterum demas, nihil ſit ab illo litteris proditum, quod non coaevo teſtimonio firmetur, & de quo cum ipſo recentioribus & accuratiſſimis Hiſtoricis non conveniat. Unde mirari ſubit quod a Jacobo Lenfant in Praefatione ad Hiſtoriam Concilii Conſtantienſis in gratiam Arnaldi animadverſum his verbis eſt [a]: „ Poſt hanc „ Hiſtoriam & Praefationem litteris „ conſignatam, tranſmiſſum eſt ad me „ ex Hollandia Opus Poſthumum ce„ lebris Antonii Arnaldi Sorbonici „ Doctoris, quo priorem Schelſtrati „ diſſertationem qua ſolebat vi & cla„ ritate confutat, quum aliquam „ juſtam & bonam cauſſam propugna„ ret. Pervolvi equidem ſumma ani„ mi voluptate tam inſigne Opus, „ mihique ipſi vehementer ſum „ gratulatus, quod cum tantae exi„ ſtimationis homine, quin opus antea „ legiſſem, in rebus fere omnibus conveniſſem. At ego contra neminem futurum exiſtimo, qui in numerato habens, quibus a ſe invicem Schelſtratus Arnaldusque diſſentiant, ad Hiſtoriam Concilii a Lenfantio concinnatam praejudiciis vacuus accedat, & non ſtatim videat, eum in rerum geſtarum narratione fere in omnibus a Schelſtrati partibus ſtare. *In rerum*, inquam, *geſtarum narrationem*; quoniam haud equidem diffiteor, ipſum in generalibus Theſibus Gallicani potius Cleri quam noſtros de Conſtantienſi Concilio ſenſus amplecti. Ut, Quod quartae ſeſſionis Decreta integra ad nos & incorrupta ex Baſileenſium compilatione pervenerint: Quod primum V. Seſſionis Decretum de Concilii ſupra Pontificem poteſtate, praemiſſo maturo ac ſufficienti examine conditum fuerit: Quod quo tempore Decretum illud vulgatum eſt, Synodus Oecumenica fuerit, & univerſalem repraeſentarit Eccleſiam: Denique quod in eorum Decretorum cenſum venire debeat, quae Martinus V. velut *conciliariter* facta, & ad fidem pertinentia, confirmarit. In his quidem theſibus Lenfantio cum Arnaldo convenit, jactatque ſe in Hiſtoria ſua contrariarum Schelſtrati propoſitio-

tio-

(a) Depuis que j'ai écrit cette Hiſtoire, & même cette Préface, on m'a envoyé de Hollande un Ouvrage poſthume du célèbre Antoine Arnauld, Docteur de Sorbonne, ou il refute la premiere Diſſertation de Schelſtrate avec l'évidence & la force qui lui étoient ordinaires, quand il ſoûtenoit une bonne cauſe. J'ai lû cet Ouvrage avec avidité, & j'ai été ravi de m'être reconcré preſqu'en tout, ſans l'avoir conſulté, avec un uteur de cette diſtinction. *num.* XVI.

tionum futilitatem certiſſimis factis, & quorum conteſtata ſit veritas demonſtraſſe. *J'ai montrè dans cette Hiſtoire la nullitè de toutes ces prètenſions par des faites inconteſtables*, Profecto quum haec ſcriberet, ejuſmodi facta prae oculis non habebat, ac prorſus oblitus fuerat; & quid ex eis conſequens eſſet, non ſatis conſiderabat. Sed de conſecutionibus in ſequenti Articulo. Interim facta ipſa nobis ob oculos reponamus, vel ad memoriam revocemus.

1. Poſt Imperatoris adventum eam viciſſe ſententiam, Gregorium XII. & Benedictum XIII. ad Synodum comiter eſſe invitandos, eorumque Cardinales & Legatos cum omnibus ſuarum dignitatum inſignibus excipiendos, nec velut haereticos aut ſchiſmaticos eſſe habendos: Piſanae Synodo inſiſtendum non eſſe, & Johannis XXIII. perinde ac praedictorum urgendam eſſe ceſſionem; quod quemadmodum ante Piſanam Synodum de duorum, ita poſt illam de trium electione inſuperabiles eſſent *juris & facti* difficultates: hanc, inquam, in Conſtantienſis Synodo obtinuiſſe ſententiam, non modo ex Schelſtratenis Actis compertum eſt, verum & ex aliis Monumentis, quae & in Gallia & in Germania vulgata ſunt, ſuiſque locis in poſterioribus editionibus Concilii Actis inſerta.

2. Cardinales quamquam a Caeſare & a Nationibus invitatos, Gerſonem de Concilii ſupra Pontificem poteſtate dicturum audire conſtanter recuſaſſe, imo nec orationis ejus exemplar ſibi a Caeſare traditum legere voluiſſe: jactaſſe etiam, poſt Johannis XXIII. diſceſſum Synodum eſſe ſolutam, nec retinere Synodi Oecumenicae auctoritatem: indeque ortas Nationes inter & eoſdem Cardinales graviſſimas ſimultates, ut ad communes deliberationes hi nequaquam adſciſcerentur: quos & graviter tuliſſe ademtum ſacro Collegio jus dicendae ſententiae; ex Cerretano, Benedicto Gentiano, Gobelino Perſona, aliiſque Auctoribus, qui de his rebus cum Schelſtrati actis conſentiunt, Hermannus Von der Hardt, Jacobus Lenfant, Fleurii Continuator & alii narrant.

3. Ante quartam ſeſsionem ſuper Capitulis in ea promulgandis acerrime diſceptatum fuiſſe Cardinales inter & Nationes: aegre illos, nec niſi adhibito ex earumdem conſenſu Nationum iiſdem Capitulis aliquo temperamento, ad ſeſsionem acceſsiſſe: Denique Cardinalem Florentinum primum ejuſdem ſeſsionis Decretum clauſula ad reformationem in capite & in membris pertinente multaſſe, non modo ex Vaticanis, verum & ex Germanis Codicibus, ex Benedicto Gentiano, & Gobelino Perſona, iidem recentiores Hiſtorici litteris tradiderunt.

4. Quamquam aperte conſtaret, circa illa de Conciliorum poteſtate Capitula Cardinales pluresque alios Patres ac Theologos a Nationibus diſſentire; petiiſſentque etiam iidem Purpurati Patres, ut vel interim ejuſmodi controverſiae quieſcerent, aut veterum Conciliorum more commune de illis & Synodicum ſeu conciliare inſtitueretur examen: attamen Delecti a Nationibus congregati ſunt non ad diſputandum cum Cardinali Florentino ſuper omiſſis aut decurtatis

capi-

capitulis, ſed ad ejus facinus objurgandum, & poſt levem ac tumultuariam diſputationem ſtatutum eſt, ut in proxima ſeſſione Capitula adhuc in quaeſtione poſita promulgarentur. De his laudati Scriptores Schelſtrato ejuſque Actis nullam intentant litem, ac vero conſona eſſe, ex Benedicto Gentiano confirmant.

4. Decreta V. Seſſionis non a Cardinali Florentino, ſed ab Epiſcopo Poſnanienſi fuiſſe promulgata, de induſtria a Gobelino Perſona adnotatum eſt. Promulgata ea fuiſſe, non ut decreta fidei, ſed ***per modum Synodalium Conſtitutionum***, non modo in Schelſtratenis, verum & in Brunſuicenſi, Lipſienſi, & Gothano Codicibus obſervatum eſt. Cardinales ea nequaquam ſuffragio ſuo & calculo comprobaſſe, apertiſſime prodit ſchedula, ſeſſione ſexta adverſus illos Synodo oblata, cujus meminit Gobelinus Perſona, & quam ex Vindobonenſi Codice edidit Von der Hardt Tom. II. Par. XIII. cap. I. eamque Benedicto Gentiano haud inanibus conjecturis tribuendam exiſtimat Tom. IV. pag. 120.

5. Dubitatum a pluribus adhuc poſt ſextam ſeſſionem, an quatuor Nationum conventui, abſque Collegio Cardinalium, quod Romani Pontificis aut Eccleſiae Romanae nomine ſententiam diceret, Concilii Oecumenici nomen ac dignitas vindicanda eſſet; Cardinalis Cameracenſis teſtatus eſt in ſchedula Collegarum nomine Synodo oblata, qua ſacri Senatus jus defendit, eaſque theſes conſtituit, ex quibus plane conſequens eſt, praecedentibus ſeſſionibus abrogandam eſſe Synodi Oecumenicae auctoritatem, Qua in ſententia perſtabat adhuc poſt Seſſionem XXI. idem Cameracenſis, quum in ipſo Concilio librum ederet de Eccleſiaſtica Poteſtate.

6. Quum de damnatione Articulorum Wiclefi ad fidem reapſe pertinentium ageretur, quaeſtio excitata eſt, Concilii ne an Papae nomine damnandi eſſent; Cardinali Cameracenſi pro Concilii praerogativa decertanti ex quadraginta Theologis ſolum duodecim adhaeſerunt, ceteris illi in faciem viriliter reſiſtentibus, juſque Pontificis defendentibus, quod ab eo velut a Capite Conciliorum generalium poteſtas & auctoritas manet.

De his ergo ut Schelſtrato ejuſque Actis & Codicibus cum antiquis Scriptoribus aliiſque Monumentis: ita Lenfantio aliiſque recentibus Hiſtoricis cum Schelſtrato convenit. An porro ex his, quae re vera certiſſima & extra omnem controverſiam poſita ſunt (*faits inconteſtables*) quatuor ejuſdem Schelſtrati Propoſitionum inanitas demonſtretur, judicent aequi Lectores, & qui ſe ſe praejudicatis opinionibus in tranſverſum abripi non facile patiuntur. Nam quod ad me pertinet, conſtare mihi omnino ex dictis videtur: 1. Clauſulam de reformatione in capite & in membris a primo quartae ſeſſionis Decreto abeſſe debere, ſive Baſileenſium dolo malo, ſive Librariorum incuria vulgaribus editionibus inſerta ſit. 2. De primo & ſecundo Seſsionis V. Decretis non fuiſſe inſtitutum veterum Conciliorum more inter Nationes & Cardinales ab eis diſsidentes commune & Synodicum examen, quo res tanta pro ſua dignitate diſcuteretur, ac

ac ſi fieri poſſet, ut qui Eccleſiam Romanam abſente Pontifice quodammodo repraeſentabat, in unam & eamdem cum ceteris Nationibus ſententiam convenirent. 3. Prioribus illis ſeſsionibus tribuendam non eſſe Oecumenicam auctoritatem, quod quatuor Nationum conventus abſque Romano Pontifice & Cardinalium Collegio, quod Eccleſiae Romanae nomine ſententiam diceret, haud ſufficienter univerſalem repraeſentaret Eccleſiam. Denique Martinum V. & ex Synodi ipſius judicio, quae memorata Decreta *per modum Conſtitutionum Synodalium* lata, *a materiis fidei* caute ac de induſtria ſejunxit; & ex Cardinalis Cameracenſis, totiuſque ſacri Senatus, adeoque & ſua olim ſententia; ea de Conciliorum poteſtate quartae & quintae ſeſſionis capita nequaquam inter ea computaſſe, quae tanquam ad fidem pertinentia, & *conciliariter* facta, auctoritate Apoſtolica confirmavit.

Ea igitur, de quibus jam oſtendimus Schelſtratenis Actis & Codicibus cum aliis Actis & monumentis optime convenire, ſatis ſuperque ſunt, ut de veritate conſtet quatuor harumce Propoſitionum, quas Capiti ſecundo Gallicanae Declarationis olim Schelſtratus objecit. Alia enim, de quibus illi Boſſuetius Arnaldus, Maimburgius & alii litem intendunt, quamquam ſi vera rectaque ſint, ad uberiorem earumdem propoſitionum demonſtrationem facere poſſint, non inde tamen abſolute earum veritas pendet. Demus enim, fabulam eſſe ſecretam illam Cardinalium adverſus Decreta quintae ſeſſionis proteſtationem. Demum, vero conſonum ac ſimile non videri, Francorum Regis Oratores ſe ſe in ea proteſtatione Cardinalibus ſocios adjunxiſſe. Demus ad arbitrium ſtylique exercendi gratia ab aliquo otioſo Monacho eſſe confictam, longiorem illam adverſus Caeſarem & Nationem Germanicam Cardinalium & aliarum Nationum, proteſtationem de novi Pontificis electione reformationis tractatibus praemittenda. Demus, omnem excedere fidem, quod quum de formula Decreti diſceptaretur, quo Pontifex eligendus ad promovendam reformationem obſtringeretur, dictum a Cardinalibus ſit, quod *Papa electus ligari non poterit*. Demus tandem, nec illud facile admittendum, quod Capiti XIII. inter ea, quae pro Eccleſiae Romanae reformatione Natio Germanica obtulerat, quove petebatur, ut tandem declararetur: *Propter quae, & quommodo Papa poſſit corrigi vel deponi*; reſponſum nomine Pontificis ſit: *non videtur, prout nec viſum fuit in pluribus Nationibus, circa hoc aliquod novum ſtatui vel decerni*. Haec, inquam, omnia, de quibus Adverſarii tantopere digladiantur, fabularum inſtar habeantur: An propterea minus erit verum, Cardinali Cameracenſi ſcripto proditum eſſe, adhuc poſt Piſanam Synodum in vero certoque Pontifice deſignando inextricabiles fuiſſe juris & facti difficultates? Cardinales nec lectione nec auditu Gerſonis orationem de Conciliorum ſupra Pontificem poteſtate excipere paſſos eſſe? Cardinales per receſſum Pontificis ſolutam Synodum habuiſſe; ideo neque ad communes deliberationes adſcitos, & jure ſuffragii fuiſſe multatos? Cardi-

dinalem Florentinum ex Collegarum conſenſu decreta quartae ſeſſionis, frementibus Nationibus mutilaſſe? De quintae ſeſſionis Decretis inſtitutum non fuiſſe, veterum Conciliorum more, commune ac publicum examen, in quo diſſidentibus, ac potiſſimum Cardinalibus, fas eſſet ea decreta accuratius expendere, & ad Evangelii traditioniſque normam exigere? Ea de Conciliorum poteſtate decreta ſejuncta fuiſſe *a materiis fidei*, lectaque fuiſſe *per modum Synodalium Conſtitutionum*? Poſt quintam ſeſſionem conqueſtum publice fuiſſe Benedictum Gentianum, Cardinales nondum ſuos errores Synodi auctoritati infeſtos revocaſſe, nec ſeſe ejuſdem judicio Synodi ſubjeciſſe? Quamplures dubitaſſe, Cardinales autem etiam pro certo habuiſſe, quatuor Nationum conventum, abſque Pontifice & Cardinalium Collegio, quod Romanam Eccleſiam repraeſentaret, ejuſque nomine ſententiam diceret, Oecumenicae Synodi nec mereri nomen, nec auctoritate praeditum eſſe? Denique poſt eamdem ſeſſionem, Johannem Antiochenum, & quamplures Theologos in ea fuiſſe ſententia, quod Wiclefi errores, Pontificis non Concilii nomine damnandi eſſent, quod a Pontifice velut a capite Conciliorum auctoritas manet, & Cardinali Cameracenſi contrariam tuenti ſententiam, & Synodi auctoritatem ſupra Pontificiam extollenti, in faciem viriliter reſtitiſſe? Haec, inquam, de quibus Schelſtratenis Actis cum aliis optime convenit, an propterea minus vera, aut dubia vel falſa erunt, ſi de aliis, dubiane an certa, vera vel falſa ſint, haud aeque conſtabit?

Quamquam autem, ut jam diximus, aliis perinde non egeamus, haud tamen ſupervacaneum erit, rationes expendere, quibus ab Adverſariis in dubium ea revocantur; ſolidaene illae & invictae, an merae conjecturae ſint, quibus utique fas non eſt, omnem antiquiſsimis Codicibus fidem abrogari. Nam quod oppoſitionibus & proteſtationibus Cardinalium, & Galliarum Regis Oratorum, adverſus quartae & quintae ſeſsionis decreta, tanto ſtrepitu & apparatu verborum Arnaldus objicit; abſonum omnino eſſe & a veri ſimilitudine quam longiſsime diſtans, Cardinales Florentinum, & Cameracenſem, qui ceteris praelucebant; & Johannem Gerſonem, qui inter Regios Oratores doctrina & pietate ceteris praecellebat, illarum ſeſſionum decretis interceſsiſſe; quod uterque Cardinalis, & Gerſon ſancitam iis decretis doctrinam etiam ſcriptis editis propugnarint; quanti, inquam, hoc Arnaldi & Boſſuetii argumentum ſit habendum, tum ex jam dictis facile colligi poteſt; tum ex his quae mox ſubjungam, haud omnino incredibile, nec ab omni veriſimilitudine alienum eſſe patebit. Nam quod ad Cardinalem Florentinum pertinet, quidquid ille ut privatus Doctor ſcripſerit, certum eſt quod in Synodo ut Cardinalis, ex Collegarum ſententia, quartae & quintae ſeſsionis Decretis adverſatus eſt, neque id jam ullus in controverſiam adducit. Ac fieri ſane optime potuit, eum illam de ſuperiore Conciliorum poteſtate ſententiam velut utcumque probabilem in ſuis ſcriptis tradidiſſe; nec tamen tam certam & exploratam judicaſſe, ut debuerit etiam Synodi generalis De-

cretis & auctoritate firmari. Quod ne gratis & inaniter conjicere videamur, facit exemplum Ludovici Romani, qui quamquam opinionem de ſuperiore Conciliorum poteſtate acerrime propugnaret, nihilominus toto pectore obſtitit, ne a ſchiſmaticis Baſileenſibus tanquam fidei veritas ſanciretur. Quam ob rem quum ei aliquando Amedeus Lugdunenſis Archiepiſcopus inconſtantiae notam inuſſiſſet, *illico*, inquit Aeneas Silvius (*a*), *Ludovicus aſſurgens*; *verum eſt*, *ait*, *illas me apportaſſe veritates: vos tamen eas fidei veritates nuncupatis: quae adjectio mihi ſubdubia eſt*. De Cameracenſi autem haec certa & explorata habemus. 1. Ipſum aegre cum ſuis Collegis tuliſſe, quod ſacrum Cardinalium Collegium neque ad communes deliberationes, neque ad ferendam in publicis ſeſſionibus ſententiam admitteretur. 2. Quatuor Nationum conventum, ſubmoto Cardinalium Collegio, non habuiſſe pro Synodo Oecumenica, nec ejus Decretis ac Seſſionibus tribuiſſe Oecumenicam auctoritatem. 3. Quamvis eſſet Conſtantiae, non tamen quartae & quintae ſeſſioni interfuiſſe, quod ſcilicet eas pro Synodicis & Conciliaribus non agnoſceret. Quod ſane ex eo conſtare videtur, quod neque ſequentibus ſeſſionibus uſque ad undecimam interfuit, in qua primum, ut in editione Baſileenſi, & collectione Barberiniana, & tribus Manuſcriptis Germanicis adnotatum eſt, Cardinalis Oſtienſis pro ſe & ſacro Collegio peculiare ac diſtinctum a Nationibus ſuffragium tulit. Quod vero ad Galliarum Regis Oratores, nihil nos urget credere, quod Gerſonis impetum, & quo ipſe praeceps ferebatur, velut pecudes ſequuti ſint. Nam quae in his duabus & ſequentibus ſeſſionibus conſtituta ſunt, eo omnia pertinebant, ut Johannes XXIII. vel invitus cedere compelleretur, aut Sede dejiceretur. Haec vero mens non erat Galliarum Regis & Principum, ſed tantum ut ad voluntariam ceſſionem per Synodum induceretur. Qua de re tum certiſſime conſtitit, quum Johannis dejectio Regi & Principibus per duos ex Regiis, ac totidem ex Academiae Legatis nuntiata eſt. Nam, ut ex Monacho Sandionyſiano Laborarius in vita Caroli VI. Maimburgius de ſchiſmate Occidentali P. II. pag. 183. Lenfantius lib. II. n. XCIV. & alii referunt (*b*): Rex qui ſolam ceſſionem voluerat, non ſine indignatione accepit, quod Pontificem, quem pro legitimo habuerat, Synodus exauctoraſſet. Delphinus autem ſuam & Regis indignationem tunc magis prodidit, quum ea de cauſſa exaſperatus, ſed aliud tamen obtendens, Academiae Oratorem in carcerem dedit: eumque paullo poſt quum libertate donaret, ejuſdem Academiae Deputatos increpans ait (*c*): Jamdiu

(*a*) Lib. I. Comment. de Geſt. Conc. Baſileenſ.

(*b*) Ils furent mal reçu, & dans l' audience qu' ils eurent du Roi en plein Conſeil, & preſence de toutes les Princes, ou il s rendirent compte du jugement que le Concile avoit rendu; le Roi, qui n' avoit prétendu que la Ceſſion, leur fit repondre qu' il trouvoit fort étrange, qu' on eût entrepris de depoſer de cette ſorte un Pape reconnu pour legitime.

(*c*) Il y a long temps que vous vous

diu eſt, quod plura vobis & graviora, quam veſtra conditio ferat, arrogatis: quod ſane plurimarum in Regno perturbationum cauſſa exſtitit. Quis autem hanc vobis fiduciam & audaciam indidit, ut vel ipſum Pontificem invadere, coronam ejus capiti detrahere, ipſumque Cathedra exturbare minime vereremini? Quemadmodum nuper Conſtantiae vobis etiam agentibus, idque negotii temere urgentibus, factum eſt. Quum igitur a Johannis exauctoratione tam alieno Rex eſſet animo, nil ſane mirum, quod ejus Oratores, qui non aliud in mandatis habebant, quam ut ab eodem Johanne voluntariam abdicationem elicerent, earum ſeſſionum Decretis palam repugnarint, quibus ſibi viam Synodus muniebat ad eum vel invitum exauctorandum? Ut nihil ſane quod abſonum aut incredibile ſit, Schelſtrateni Codices referant, quum una cum Cardinalibus Galliarum quoque Regis Legatos, capitulis in quarta & quinta ſeſſione edendis interceſſiſſe commemorant. Quamquam autem de his capitulis generatim loquantur; *capitula praelibata*, *capitula infraſcripta*, *ipſa capitula*; attamen ex iis quae Cardinalis Florentinus aut mutilavit, aut penitus omiſit, perſpicue colligere eſt, de quibus ſpeciatim capitulis, Cardinalibus Francorumque Regis Legatis adverſus Nationes diſceptatio eſſet.

ARTICULUS SECUNDUS.

De eodem argumento diſſeritur, ac ſpeciatim longior illa in Schelſtratenis Actis Cardinalium ac trium Nationum adverſus Imperatorem & Nationem Germanicam & Anglicam, de praemittenda Reformationis tractatibus novi Pontificis electione, Proteſtatio, necnon & eorum quae poſtea ſequuta ſunt, narratio, ab Arnaldi Criticis adverſus eas obſervationibus vindicantur.

JAcobus Lenfant, uti ſuperius oſtendimus, hoc ſibi in Hiſtoriae ſuae Praefatione laudi vertit, quod ſecum Arnaldus, cujus Opus antea non viderat, fere in omnibus conveniſſet. Quumque laudatus Arnaldus haud integram Concilii Conſtantienſis Hiſtoriam litteris conſignarit, ſed ea tantum illius capita attigerit, quae Schelſtratus e Codicibus in Vaticana Bibliotheca deliteſcentibus in lucem eduxerat; ex illis Lenfantii verbis haud aliud colligi poteſt, quam ſibi in hiſce capitibus de quibus Arnaldum inter & Schelſtratum acerrime diſceptabatur, unam & eamdem fuiſſe cum illo ſententiam. Quam falſo id immeritoque de pluribus capitibus jactatum ſit, ex jam dictis intelligere eſt. Jam de reliquis videamus.

us en faites un peu trop accroire, en vous donnant la liberté d'entreprendre des choſes qui ſont au deſſus de votre condition, ce qui a causé bien de deſordre dans l'Etat. Mais qui vous a fait ſi hardi que d'avoir osè attaquer le Pape, & lui enlever la tiare, en le depouillant de ſa dignité, comme vous avez fait à Conſtance?

Inter Monumenta, quae Schelſtratus edidit, inſigni loco habenda eſt prolixior illa Cardinalium ac trium Nationum adverſus Caeſarem & Nationem Germanicam Proteſtatio, quae incipit: *Audite haec omnes gentes &c.* & eorum quae poſtea ſequuta ſunt narratio: quae quindecim paginas implent, pluraque continent ſcitu digniſſima, quae tamen quum ad Arnaldi ſalivam non ſaperent; conſequens erat, ut is ea veluti ſuppoſititia & adulterina rejiceret, atque omnes eloquentiae ſuae vires intenderet, quo notas & argumenta ſuppoſitionis efferret, & hanc ſuam opinionem Lectoribus adprobaret. Proteſtationis autem illius ſcopus & argumentum erat, Caeſarem & Germanicam Nationem inflectere ad novi Pontificis electionem, antequam reformationis negotio ſuprema manus admoveretur. Quamvis ergo, ut ipſe praefatur (*a*), ſimpliciter Arnaldus negare nolit, fieri potuiſſe, ut de hac re aliqua in Synodo Conſtantienſi eſſet diſceptatio; duo tamen ſibi propugnanda proponit: *Je ſoutiens deux choſes*. 1. De hoc ſaltem jure ac merito dubitari; quod nulla hujuſce rei mentio habeatur neque in ampliſſimis Concilii Actis, quorum ſine ulla comparatione major ſit quam Schelſtratenorum auctoritas; neque in coaevis Hiſtoriis, cujuſmodi ſunt illae Theodorici Niemi & Monachi Sandionyſiani. Sed nihil eſt opus, inquit, quod addamus his, quae de hoc argumento in capite ſecundo hujus Operis dicta ſunt, ad quae Lectorem remittit.

Alterum eſt, quod quamquam haec hiſtoria, quod ad ſubſtantiam pertinet, vera eſſet, fieri tamen non poteſt, quin Lector judicet falſas eſſe plures ex ejus circumſtantiis; ac potiſsimum proteſtationem Cardinalium ac trium Nationum, veram non eſſe proteſtationem, ſed ridiculam declarationem ab otioſo Monacho ſtyli exercendi gratia confictam, & ex earum genere, quae χρεία a Rhetoricis appellantur, in quibus veris fictiſve perſonis ea praeſtantur verba, quae quiſque ab illis prolata eſſe, aut proferri debuiſſe, ſibi ad arbitrium confingit. En porro aliquot argumenta, quae me, inquit, in hanc cogitationem impellunt. Primum & alterum petitur ex ſtyli diverſitate, quae hanc inter & duas alias ſinceras & legittimas proteſtationes, quae in authenticis Concilii Actis leguntur, cujuſmodi ſunt Card. Florentini in Seſsione III. & Polonorum in ſeſsione ultima, intercedit. Tertium petitur ex narratiunculis, quae Proteſtantibus ſuggeruntur, quas falſas eſſe, ex omnibus illorum temporum Hiſtoriis compertum eſt; videlicet *quod Clerus & Populus nonnullorum Regnorum & Provinciarum nondum ſolide & clare ſacro Concilio adhaeſerant*. Quartum ex eo quod Germanicae Nationi tribuitur, eam XIV. Seſſionis Decreto nixam impedire voluiſſe, ne prius in electionem Pontificis, quam in reformationis negotium incumberetur; quod ne veri quidem ſimilitudinem praefert. Quinto, longe etiam abſurdius eſt, quod Nationi Hiſpanicae adver-

(*a*) Cap. XXIII.

adverſus ejuſdem ſeſſionis Decreta, ſpeciatim tribuitur: *Quibus Decretis*, inquiunt, *nos Hiſpanica Natio, etiamſi alias valida exſiſterent, non ligamur*. Quae verba triplicem, Arnaldi opinione, abſurditatem continent. Sextum argumentum deſumitur ex indignis modis & contumelia plenis, quibus in hac proteſtatione a Cardinalibus ac tribus Nationibus excipitur Imperator, cui tantum a Synodo ob officia ipſi praeſtita debebatur.

Haec ſumma eſt argumentorum, quae adverſus Proteſtationem laudatus Auctor intorquet. Sed adverſus ea, quae poſtmodum accidiſſe referuntur; Quod nimirum Imperator aliquot Cardinales aut carceri mancipare, aut in exſilium extrudere cogitabat: Cardinales autem intrepidos ſtetiſſe, & in ſignum animi ad mortem oppetendam, ſi pro Eccleſiae unione foret opus & ad *Martyrium* parati, pileis rubeis capite protecto per hos dies inceſſiſſe; adverſus haec, inquam, Arnaldus excipit (*a*), quod ſi hinc obſervetur, nullam unquam fuiſſe Synodum, cui major fuerit libertas, & cujus res omnes melius compoſitae fuerint & ordinatae; hinc vero nullum unquam Imperatorem aut melius erga Synodum animatum fuiſſe quam Sigiſmundum, aut a vi aliqua inferenda magis alienum; ea quiſquis facile judicabit velut male compactas fabulas eſſe habenda.

Denique, quod etiam in eiſdem Actis narratur; quod Imperatori ac Germanis omni ope contendentibus, ut Synodi decreto Pontifex eligendus ſtatim poſt ſuam electionem ad Eccleſiae reformationem curas omnes animumque conferret, compelleretur; reſponſum a Cardinalibus ſit: *quod Papa electus ligari non poterat*; id etiam eidem Arnaldo fabula eſt (*b*); quoniam hujuſce rei, ſi vera eſſet, & Johannes Gerſon, & Eugenius IV. utique meminiſſent.

En itaque plura, imo bona pars earum rerum, de quibus a Schelſtrato Arnaldus diſſentit. Quid vero Lenfantius? Schelſtratine an Arnaldi partes tuetur? Lectorem ad ejus quintum librum remitto, ubi a num. LIII. harumce controverſiarum narrationem aggreditur, planeque illi in omnibus cum Schelſtrato convenit, & ſcrupulorum, quos Arnaldus injecerat, ne meminit quidem, ejuſque adeo diſputationem & argumenta indigna judicavit quae ſerio confutarentur. Poſt haec vero nos credere jubet, ſe in his controverſiis Arnaldo adverſus Schelſtratum fere in omnibus adhaeſiſſe.

Quam porro jure meritoque Lenfantius totam illam Arnaldi diſputationem ejuſque argumenta contemſerit aut neglexerit, facile intelliget, quiſquis in ea quae ſequuntur, non dicam mentis, ſed tantum oculorum aciem intendet. Protulit Hermannus Von der Hardt (*c*) ex *praeclaro*, ut ait, & *antiquo* MS. Codice Berolinenſi Nationis Germanicae Proteſtatio-

(*a*) Cap. II.
(*b*) Cap. XXII.
(*c*) Tom. IV. Par. XI. pag. 1419. & ſeqq.

tionem contra electionem Papae reformationi Eccleſiae praemittendam, tum aliis aliarum Nationum & Cardinalium ſcriptis, tum maxime Proteſtationi oppoſitam, de qua nunc agimus, & quae ſola ex ejus initio ac ſpeciatim deſignatur. *Quamvis autem*, inquit in ea Proteſtatione Germanica Natio, *praemiſſa aliqualiter reſponſa videantur praetenſis quibuſdam monitionibus requiſitionibus atque Proteſtationibus in quadam ſchedula, quae incipit*, Audite &c. *contentis*, *& nonnullis aliis per Reverendiſſimos Patres die Sabbati praeterita lectis & propoſitis*; qua die, illo anno XI. Septembris, ea Proteſtatio in Schelſtratenis Actis lecta perhibetur: *Quae tamen non decuit, nec oportuit ita fieri &c.* Quo teſtimonio nullum locupletius deſiderari poteſt. Arnaldique conjecturis & argumentis confutandis ſuperſedere poteram, poſtquam ſemel conſtitit, Vaticanis Codicibus optime de hac re cum Berolinenſibus convenire. Verum ut Arnaldinae diſputationis & argumentorum ejus inanitas luculentius demonſtretur, age ea ſingulatim expendamus.

Primùm itaque non negat, ut vidimus, *ſimpliciter* Arnaldus, quin fieri potuerit, aliquam de hac re interceſſiſſe in Synodo diſceptationem; *qu'il puiſſe y avoir eu quelque different ſur cela*; propugnat tamen valde id eſſe dubium, quod neque in aliis actis, neque in coaevis Hiſtoricis nulla hujuſce diſceptationis occurrat mentio. Sic temere ejuſmodi Auctores nulla eſſe pronuntiant quae ab illis nec lecta nec viſa ſunt. Et ad Acta quidem quod pertinet, toleranda utcunque ea temeritas eſſet; quod vero ad Hiſtoricos, ferri ea nulla ratione poteſt, quod cum temeritate conjuncta aut ſumma indiligentia ſit, aut mala fides. Qua enim inſcitia vel fronte dicitur, quod hujus controverſiae nulli coaevi Hiſtorici meminerunt?

Annon coaevus Hiſtoricus Gobelinus Perſona, Schelſtrato in Compendio Chronologico laudatus? ex quo haec verba refert, quae profecto manifeſte produnt haud leviculam eam fuiſſe diſceptationem; *quelque different*; ſed graviſſimam controverſiam (a): *Orta eſt* SEDITIO *inter Regem & Nationem Germaniae parte ex una, & ceteras Nationes parte ex altera; Rege cum ſuis volente, quod priuſquam ad electionem Summi Pontificis procederetur, fieret reformatio Eccleſiae tam in capite quam in membris: ceteris contendentibus ex adverſo quod prius procederetur ad electionem Papae, per quem reformatio Eccleſiae eſſet deducenda ad effectum.* Vox, *ſeditio*, plus certe ſignificat, quam levem & amicam litem, *quelque different*; quae nullo aut parvo negotio ſtatim compoſita ſit.

Annon coaevus Hiſtoricus Theodoricus Urie? ex cujus Hiſtoria inter Gerſonis Opera olim edita, haec verba deſcribit Hermannus Von der Hardt in Praefatione ad Par. XI. Tom. I. pag. 922. *Invidia devoravit caritatem, pacemque foedavit diſcordia..... Hic* (Satan) *veriſſime in Congregatione Conſtantienſi cognoſcitur guerras & rixas concitare, ne inter*

(a) In Coſmodrom. Aet. VI. cap. XCVI.

inter ſe concordare valeant, ad quos ſanctae reformationis onus & opus ſpectare videtur. Sunt enim alterius contra alterum clamores, jurgia, contumeliae, & hujuſmodi, quae ſine Diaboli inſtinctu eſſe nequaquam poſſent. Per quae tantum reformationis negotium in capite & membris ſummopere tardatur.

Annon coaevus Hiſtoricus Poggius? qui illius diei, qua Proteſtatio vulgata eſt, tumultus & fata graviter eleganterque deſcribit in Oratione, qua Zabarellae ex morbo inde contracto defuncti laudes proſequutus eſt: *Quid ille*, inquit, *paullo ante vobis inſpectantibus fecit? Mementote illius turbulentiſſimi diei P. C., & eum ponite ante oculos veſtros illius temporis ut vere dicam tumultum, quum frequentes omnium aetatum, Ordinum, Nationum, homines in illam concionem conveniſſent. Revocate animis veſtris gravitatem rei (de ſuprema enim ſalute agebatur) diſſenſiones, & varias multorum ſententias, ac nonnullorum trepidationem. Quis enim fuit vultus? Quanta ſignificatio animi & conſtantia? Qualis illa oratio? quam plena dignitatis & prudentiae? Quum nunc moneret, nunc hortaretur, nunc acriter objurgaret eos, quorum opera hi diſcordiarum fluctus excitabantur. Stupebant omnes, admirabantur tantam vim dicendi fuiſſe in eo, quem propter adverſam valetudinem vix loqui poſſe credebant. Cygnea vox illa fuit, & futurae mortis praeſagium. Nam dixit luculentius, quam antea unquam. Et poſtremis verbis clamans inquit, eam orationem ſuum fuiſſe teſtamentum, quum ſeſe ita comparaſſet, ut in unitate Eccleſiae vellet animam profundere.*

Annon coaevus Hiſtoricus Dacherius? qui apud Hermannum Von der Hardt (*a*), eoque teſte, ea in Hiſtoria Concilii MS. refert, quae ſuperius adlatis ex Gobelino verbis conſona ſunt.

Annon coaevus Hiſtoricus Theodoricus Niemus? qui non omnino, ut Arnaldus putavit, de hac controverſia ſiluit. Huc enim ſpeciatim referenda eſſe judicavit haec ejus verba mox laudatus Actorum Concilii in Germania Editor (*b*): *Multi de Italia hic exiſtentes in Concilio, murmurabant inter ſe dicentes, quod ipſe Rex Romanorum ficte ageret, necnon Papam ad ejus voluntatem eligi vellet, ad hoc ut ſic ejus conditionem faceret meliorem. Et ſuper hoc ſcriptis eorum ad diverſa loca directis nequiter eum diffamarunt. Quod aliquando ipſum D. Regem Romanorum non latebat &c.* Haec enim hoc ſpeciatim tempore de Romanorum Rege jactata eſſe, non modo ex Schelſtratenis Actis habemus; *Cauſſa autem odii Regis in eos* (Cardinales) *dicebatur, quod Rex volebat habere Papam ad voluntatem ſuam, & illis ſtantibus non poterat*: verum etiam ex diſputatione, quae per eos dies adverſum Nationem Germanicam vulgata eſt, in qua de Germanis ſub finem dicitur: *Et forte intendunt ſic expendere tempus & at-*

(*a*) Tom. IV. Par. XI. pag. 1397.
(*b*) Tom. I. Par. XX. pag. 927.

& attaediare Concilium, ut ſic tandem paucis remanentibus eligant Papam ad ſua vota.

Quod ſi haec Arnaldo non ſufficiant; annon denique inter coaeva Monumenta numerari debent, imo & ad ipſa Synodi Acta non pertinent & Cardinalis Cameracenſis Oratio habita Conſtantiae in Feſto S. Ludovici Epiſcopi Toloſani; & ea quam mox citavimus diſputatio adverſus illos, qui Reformationem Curiae Romanae electioni Pontificis praemitti volebant; & illa, quam etiam ſupra laudavimus, Nationis Germanicae proteſtatio? quae omnia ex antiquis Codicibus MSS. inter Concilii Acta in Germania vulgata ſunt, & ex quibus infra teſtimonia, quae huc egregie faciant, adferemus. Ut nihil ſit in Concilii Actis & coaevis Scriptoribus exploratius, quam quod Romani Codices produnt, gravem hinc inter Cardinales ac tres Nationes, inde vero Caeſarem & Nationem Germanicam interceſſiſſe controverſiam, ob reformationem Pontificis electioni praeferendam aut poſtponendam.

At plures, inquit Arnaldus, hujus negotii circumſtantiae, quos ex Vaticanis Codicibus Schelſtratus in lucem eduxit, ac potiſſimum prolixa illa Cardinalium ac trium Nationum Proteſtatio, oppido falſae ſunt. Quod ſane & ſtylus ridiculus & ineptus, & ab aliarum Proteſtationum formis abhorrens, & falſae narrationes aut incredibiles apertiſſime produnt.

Quamquam haec contemni a nobis jure ac merito poſſent, poſtquam locupletiſſimo teſtimonio probavimus hujuſce Monumenti τὴν γνησιότητα; haud abs re tamen erit ſingulatim demonſtrare, quam cetera illius aevi monumenta cum hoc mirifice concinant in iis ipſis capitibus, quae Arnaldus velut inepta, aut certo falſa, aut incredibilia ſugillat.

Nam primo quod ad ſtylum & formam attinet ab aliarum Proteſtationum ſtylo formaque diverſum, & qui declamatorem ſapiat, ut in ipſo ſtatim initio animadvertere eſt: *Audite haec omnes gentes, & attendat univerſa fidelium Eccleſia &c.* ac rurſum: *Proteſtantur tres Nationes & Cardinales praedicti Deum Patrem Omnipotentem, Filium & Spiritum Sanctum, omnes Sanctos ac Virtutes caelorum, invocantes ſuper vos caelum & terram &c.* Quod, inquam, ad has formulas attinet, eas reapſe in ſua Proteſtatione adhibuiſſe Cardinales ac tres Nationes, haud obſcure colligitur ex contraria Proteſtatione Germanicae Nationis, quae paria reddere voluiſſe videtur; *Inſuper quoque proteſtatur haec dicta Natio Germanica coram Deo, tota Curia caeleſti, univerſali Eccleſia, & vobis &c.* Et rurſum: *Intendit & ſingula praemiſſa omnibus Regibus, Praelatis, Principibus, & univerſis Chriſticolis demandare & ſcribere &c.*

Deinde ex omnibus illorum temporum Hiſtoriis conſtare exiſtimat Arnaldus horumce verborum in eadem Proteſtatione falſitatem: *Quod Clerus & populus nonnullorum Regnorum & Provinciarum nondum ſolide & clare huic ſacro Concilio adhaeſerint.* Nobis autem id vero per quam ſimile videtur, ob id quod ſtatim ſubjungitur, ac de induſtria Arnaldus omiſit: *Sed ut communiter fertur, exſpectant fiendae electionis Summi Pontificis eventum,*

tum, ut ſi electus fuerit canonice, illi obediant, alias non. Quid enim magis credibile, quam qui ejectos Pontifices aegre deſeruerant, exſpectaſſe Synodi exitum ac novi Pontificis electionem, ut ei firmiter adhaererent? Comes Armeniacus, qui maxima in Galliis auctoritate pollebat, Regnique negotia ſummo Imperio ac poteſtate tractabat, Legatos ad Synodum non miſerat. Unde conjicit Jacobus Lenfant (a), non defuiſſe etiam in Galliis, ubi, ut ſuperius oſtendimus, aegre & cum indignatione excepta fuerat Johannis XXIII. exauctoratio; non defuiſſe, inquam, qui aut ipſius aut Benedicti partes adhuc ſecreto foverent. Aretinus autem adhuc poſt Martini V. electionem *multos* fuiſſe refert, qui ob vim Johanni XXIII. per Concilium adhibitam dubitabant; qui proinde nondum ſolide & clare Conſtantienſi Synodo adhaerebant.

Quod etiam quarto loco Arnaldus objicit, nemo non omnino contemnendum intelliget, ſtatim atque Proteſtationis locum, unde objectio conflata eſt, ſibi ad animum revocabit. Queruntur enim Cardinales, ac tres Nationes de Germanica, quod una cum eis deliberare noluerit *ſuper modo futurae electionis*; ac ſubjungunt: *Licet aſſeratis, ſine veſtro conſenſu, & ordinatione Concilii, ſuper modo, forma, loco, tempore, & materia, ad dictam electionem non poſſe procedi, obſtantibus quibuſdam hujus Concilii, Decretis &c.* quae ſunt Decreta Seſſionis XIV. Arnaldus, ut ex hoc loco occaſionem haberet Proteſtationem vellicandi, ita rem exhibet. „ Germanicae Nationi tri- „ buitur, quod reformationem Ponti- „ ficis electioni praemitti volens, „ XIV. Seſſionis Decreto nitebatur, „ quo nihil aliud ſtatutum eſt, quam „ quod electio Pontificis non fieret „ extra Concilium, & ad eam for- „ mam, quam Synodus ſtatuiſſet. „ Quare nullam omnino veriſimilitu- „ dinem habet, id a Natione Ger- „ manica adferri potuiſſe, ut alios „ ab eligendi Pontificis cogitatione „ averterent, antequam reformatio- „ nis negotio ſumma manus admota „ eſſet, quum nihil in eo Decreto ea „ de re ſtatuatur. Conferat prudens Lector haec Arnaldi & paullo ante deſcripta Proteſtationis verba, tum vero de hujus Auctoris in his proponendis objectis vel fide, vel judicio ſtatuat.

Ne quis porro ſuſpicetur, Arnaldum ad alium locum reſpicere potuiſſe; praeter quam quod alius in tota illa Proteſtatione ejuſmodi locus non occurrit; quod quinto loco objicit, omnem hac de re ſuſpicionem amolitur. Statim enim poſt verba ſuperius laudata in eadem Proteſtatione ſubjungitur: *Quibus* (Decretis) *nos Hiſpanica Natio, etiamſi alias valida exſiſterent, non ligamur*. In quibus verbis Arnaldus triplex obſervat paradoxum. Primum eſt, quod de his Decretis ſermo habetur, quae nihil ad Germanicae Nationis negotium pertinebant. Secundum eſt, quod Hiſpani in dubium revocant, an eadem Decreta, propter eorum abſentiam a Seſſione XIV. validane an invali-

(a) Lib. V. num. XL.

da eſſent. Tertium, quod quamvis valida exſiſterent, ad ea tamen nequaquam obſtringerentur. Quae duo poſtrema mirum eſt Arnaldo tam abſurda videri potuiſſe. Talia profecto Nat. Alex. viſa non ſunt, ſed omnem ab eis abſurdae opinionis ſuſpicionem ſequentibus verbis amolitur (*a*): „ Natio quidem Hiſpanica dixit, ſe his Decretis modum electionis Summi Pontificis proxime faciendae ſpectantibus *non ligari, etiamſi valida exſiſterent*, quia in ea opinione erat, Decreta diſciplinam ſpectantia non obligare abſque acceptatione, cum exceptiones ſtatuunt a jure communi, quale erat Decretum illud Synodi Conſtantienſis, *Omnia Jura poſitiva in Conciliis generalibus edita, & ipſorum ſtatuta, Ordinationes, conſuetudines & privilegia, quibuſcumque conceſſa*, ſuſpendens, in quantum ejuſdem Decreti effectum poſſent impedire. Quam, Natali Alex. interprete, Hiſpanicae Nationis opinionem, mirum, inquam, eſt Arnaldo tam abſurdam videri potuiſſe: quum non aliam fere etiamnum Galli Theologi tueantur. Sed de duobus prioribus paradoxis videnda ſunt, & quae in ſuperioribus articulis, & quae paullo ante diſſerebamus.

Sexto, durum & abſonum Arnaldo videtur, quod Cardinales & tres Nationes officio erga Imperatorem deſint; & abruptius de illo ac ſine debita veneratione loquantur. Certum tamen eſt, atque ex aliis Monumentis apertiſſime liquet, Cardinales ac tres Nationes non modo in ea Proteſtatione, verum & in aliis Scriptis, quae hujus occaſione diſputationis edita ſunt, aſperius eſſe loquutas, ac Nationem Germanicam pene Huſſiticae & Wicleſianae haereſeos inſimulaſſe. Quod non obiter dicitur in ea diſputatione, quae Conſtantiae edita eſt contra illos, qui reformationem Curiae Romanae electioni Pontificis praemitti volebant; ſed hoc illius diſputationis argumentum eſt: dataque opera in ea probatur, quod Germanorum ſententia & agendi ratio *ſapiebat haereſim Johannis Hus*; *quod* inquiunt illius diſputationis Auctores, *tam jure divino quam humano poteſt multipliciter ſtabiliri*. Quo propterea digitum intendiſſe videtur Cardinalis Cameracenſis, quum in Sermone in Feſto S. Ludovici Epiſcopi Toloſani, hoc idem argumentum verſans aiebat: *Quidam egregii Doctores tam Divino quam humano jure* CORAM JUDICIBUS IN CAUSIS FIDEI *declarare proponunt*; prius in Pontificis electionem, quam in Eccleſiae reformationem eſſe incumbendum. Quod quum proponere vellent coram Judicibus in cauſſis fidei, id utique argumento eſt, eos hanc diſceptationem ad fidei cauſſas revocaſſe. Denique, ipſamet Germanica Natio in ſua Proteſtatione conqueritur, ſe ſe traductam fuiſſe velut *Eccleſiaſticae unionis impeditricem. Imo, ſicut quorundam ſcripta videntur innuere, fautoria haereſis quondam Johannis Wiclef & Johannis Huſs maculatam*. Quas tamen *injurias & contumelias* aequo animo pacis gratia a ſe tolerari ſubjungit. Poſt haec vero mirabitur Arnaldus ſi aliquid aſperum

ac

(*a*) Diſſert. IV. in Hiſt. Eccleſ. Saec. XIV. & XV. art. I. §. VIII. n. 72.

ac minus officioſum de Imperatore & Natione Germanica Cardinales ac tres Nationes in ea Proteſtatione protulerunt? Videantur etiam quae ſupra ex Poggio, Gobelino Perſona, & Theodorico Urie produximus teſtimonia.

His porro teſtimoniis ea etiam, quae poſtmodum ſequuta eſſe in Schelſtratenis Actis referuntur; & quibus Arnaldus perfectam Concilii libertatem, & Imperatoris animum a vi Synodo inferenda alienum opponit; egregie confirmantur. Nam *ſeditio*, *guerrae*, *rixae*, *clamores*, *jurgia*, *contumeliae*, *inter Regem & Nationem Germaniae*, *parte ex una*, *& ceteras Nationes parte ex altera*, vix intelligi poſſunt ſine indignatione ac minis Nationis Germanicae, quae ob Imperatoris ac potentiſſimorum Principum praeſentiam ceteris dominari videbatur; nec ſine aliarum Nationum ac potiſſimum Cardinalium partim metu ac trepidatione, partim vero in propoſito retinendo ac perſequendo conſtantia. Hinc recentiores Hiſtorici Hermannus Von der Hardt & Jacobus Lenfant quae in Actis a Schelſtrate vulgatis his de rebus narrantur, ſuis Hiſtoriis inſeruerunt, & aliqua etiam Eberardi Dacherii, qui Synodo interfuit, teſtimonio confirmarunt. Nam & hic Auctor, perinde ac Vaticana Monumenta, refert, tum Legatos Regis Caſtellæ harum occaſione litium Conſtantia emigraſſe, at retentos in itinere ab Imperatore fuiſſe & ad Synodum revocatos; tum Caeſaris potentiam reveritos Cardinales abitum e Concilio molitos eſſe, ſeſeque ad diſceſſum comparaſſe; tum Caeſaris juſſu Cardinalibus fuiſſe interdictum, ne vel in templo Cathedrali, ut erant ſoliti, vel in Epiſcopali Palatio coirent, ut itidem conſueverant, de rebus Concilii conſultaturi; tum denique & eos alio in loco vicino coiviſſe, ac de rebus ſuis conſultaſſe: unde ad Fridericum Electorem Brandeburgenſem Senatumque Conſtantienſem Amicos miſerint, a quibus *ſalvum* peterent *conductum* eundi ac commeandi quocumque vellent, & in quacumque Urbe degere conſtituiſſent. Sed Friderici Electoris aliorumque Epiſcoporum prudentia atque opera factum, ut poſt multa colloquia cum Cardinalibus habita, ii in Concilio retinerentur. Haec ex Dacherio Hermannus Von der Hardt, ex hoc vero Jacobus Lenfant, qui ex laudato Germanico Scriptore & Vaticanis Actis harumce rerum narrationem contexunt. Quibus adjungi poteſt, ex diſputatione per hos dies in Concilio edita ſatis aperte conſtare, non defuiſſe, qui Imperatorem & ſaeculares Poteſtates in Cardinales incenderent, & ad vim adhibendam hortarentur, ut quod ſuaſionibus non poterant, minis tandem ac terroribus extorquerent. Quo enim alio illae queſtiones pertinere poſſunt? *Utrum inducere Potentiam ſaecularem ad prohibendum ſeu de facto impediendum, ne ſuper dicta oblatione* (facta per Cardinales) *deliberarent, aut reſponderent aliae Nationes, ſit libertatis Concilii turbativum, aut impreſſivum metus, aut Eccleſiaſticae unionis impeditivum?* Et rurſum: *Utrum conſulere & inducere potentiam ſaecularem, quod exerceat viam facti,*

vel brachium ſaeculare adverſus Perſonas Eccleſiaſticas hujus ſacri Concilii . . . . . ſub praetenſo colore , quod iſti vel illi ſint turbatores Concilii , reddat ſic conſulentes & inducentes reos poenarum Juris , ſtatutarum contra violatores Eccleſiaſticae libertatis ? Erant ergo qui haec violenta conſilia Imperatori ſuggerebant ; ut mirum non ſit , hinc trepidaſſe Cardinales , hinc vero ne metu frangi viderentur , animum prae ſe tuliſſe ad quaelibet ſuſtinenda paratum .

ARTICULUS TERTIUS.

Ob quam potiſſimum rationem Cardinales ac tres Nationes tantopere vellent inſiſterentque , ut electio Pontificis Eccleſiae Reformationi praemitteretur . Quae inde adverſus priorum Seſſionum Decreta conſecutiones eliciantur ?

AD urgendam Romani Pontificis electionem , eamque reformationi Eccleſiae praemittendam , Cardinales ac tres Nationes in ea , de qua in Articulo ſuperiori loquuti ſumus , Proteſtatione hac potiſſimum ratione nitebantur (*a*), quod Synodus primum convocata eſſet ad Eccleſiae corpus redintegrandum ejuſque unionem perficiendam , deinde vero ad eamdem Eccleſiam reformandam . Porro nec Eccleſiae corpus redintegrari poſſe , nec ejus unionem perfici , niſi ei unicus & indubitatus Pontifex praeficiatur . Hic enim Eccleſiae & Sponſus & Caput eſt : Corpus autem acephalum integrum & perfectum non eſt : Quumque duplex in Eccleſia unio ſpectanda ac ſuſpicienda ſit , altera membrorum inter ſe , altera eorum cum capite ; Eccleſiae unio integra & perfecta eſſe non poteſt , niſi membra invicem unita capiti copulentur , Addebant , quod ſi ab Eccleſiae corpore per reformationem tollendae deformitates erant ; nulla major concipi deformitas poterat , quam Eccleſiam ſine capite & acephalam eſſe . Inde ergo auſpicandam eſſe reformationem ; & eos qui contrariam ſententiam teneant , haud tuto in loco pedem figere , nec ſchiſmaticae vel haereticae pravitatis opinione carere .

Haec quidem Arnaldo ſtomachum commovent , (*b*) ſummaque gravitate

---

(*a*) Jam ſublata capitum pluralitate monſtruoſa , membriſque corporis Eccleſiae jam in unum redactis , corpus ipſum Eccleſiae per unius capitis aſſumptionem , unici videlicet Paſtoris & Vicarii Jeſu Chriſti perfecte reintegrari ſperet &c.

Quae unio nec eſt nec dici poteſt perfecta , niſi Eccleſia unum caput miniſteriale habeat , cui corpus Eccleſiae uniatur . Duplex enim ſecundum ſacros Doctores eſt unio Eccleſiae : una membrorum invicem , quae jam creditur eſſe facta ; altera membrorum ad caput , ut conſtituatur corpus integrum & perfectum , & iſta non eſt facta ; igitur primo loco fienda .

Praeterea, ſi reformatio fienda eſt de deformatis ; quae major eſt , & eſſe poteſt in corpore deformitas quam carere capite & acephalum eſſe ? Illa igitur prior tanquam magis neceſſaria debet eſſe reformatio, quae corpus ipſum ad caput reformet & informet : & contrarium aſſerere vel facere , non videtur eſſe ſecurum .

(*b*) On ne devroit pas ſouffrir que l'on parlât dans l' Egliſe d' une maniere ſi injurieuſe à l' Epouſe de Jeſus-Criſt &c. *Eclairciſ.* capite XXIV. §. IV. *Vid.* & *cap.* XXIII.

tate pronuntiat, tolerandum in Eccleſia non eſſe, quod quis de Chriſti ſponſa tam abjecte ſentiat, & ejuſmodi in eam contumelias expuat. Eccleſia enim univerſalis a ſuo vero & *eſſentiali* Capite Chriſto nunquam ſejungitur, ejuſque Divino Spiritu ſemper dirigitur, cum eaque ſeſe futurum uſque ad ſaeculorum conſummationem Chriſtus promiſit, nec adverſus eam unquam inferi portas pręvalituras. Numquid Eccleſia poſt Pontificis mortem, aut dum Romae Sedes vacat, aut, quum ſchiſmate prohibemur verum agnoſcere Pontificem, amplius Eccleſia non eſt?

Ne tamen Arnaldus judicet, vel hinc ſe ſe in controverſiam vocare poſſe ſaepius laudatae Proteſtationis γνησιότητα, iiſque invidiam conflare, qui Eccleſiae corpus ſine Romano Pontifice mancum, & imperfectum & acephalum vocant; alia in medium adferam ex Conſtantienſis Concilii Actis Patrum ac Theologorum Monumenta in quibus ad electionem Pontificis maturandam eaedem atque in laudata Proteſtatione rationes adhibentur. Huc enim imprimis fere tota revocatur aut revocari poteſt, quam ſuperiore Articulo ſaepius laudavi, diſputatio Conſtantiae in Concilio edita contra illos, qui reformationem Curiae Romanae electioni Pontificis praemitti volebant. Notanda vero potiſſimum iſthaec quaeſtio, „ quae ſub num. VIII. excitatur: „ Utrum Canonica proviſio ſuper futura electione ſit prima & principalis reformatio Eccleſiae, prae ceteris neceſſaria, & debito ordine praeferenda, aut ſaltem non poſtponenda? Et an contrarium dicere ſit erroneum, & debiti ordinis reformationis ſit turbativum? „ An haec deformitas, ſcilicet quod Eccleſia, ut praemittitur, MANEAT ACEPHALA, ſit periculoſiſſima, „ & per conſequens hujus deformitatis reformatio ſit prae ceteris neceſſaria? Antequam his aliiſque ejuſmodi quaeſtionibus in eo ſcripto reſpondeatur, haec imprimis fundamenti loco ſtatuuntur: *Quod ex inſtitutione Chriſti, qui eſt principale Caput Eccleſiae, uſque ad conſummationem ſaeculi debet ſuccedere aliquod Caput miniſteriale Chriſto ſubordinatum, quale caput Papam vel ſummum Pontificem appellamus. Et ſecundum Canonicas ſanctiones valde periculoſum eſt, quod Sede vacante diu differatur electio talis capitis ſive Pontificis... Quoniam aliter Eccleſia exponitur diſcrimini ut remaneat acephala a tali capite: quae eſt maxima deformatio Eccleſiae, cujus deformitatis reformatio prae ceteris eſt neceſſaria.* Qui ſecus ſentirent, errorum Wiclef & Johannis Hus invidia adſperguntur, ac velut Concilii turbatores & fautores ſchiſmatis traducuntur. Et ſtatim ſubjungitur, quod *hoc fundamentum*; ſcilicet Eccleſiam ſine capite vel acephalam diu conſiſtere non debere, atque hanc primam eſſe deformitatem, quae ab Eccleſiae corpore tollenda ſit; *tam jure divino quam humano poteſt multipliciter ſtabiliri*.

Non minus luculenter de eodem argumento diſſeruit Cardinalis Cameracenſis Serm. in Feſto S. Ludovici Epiſcopi Toloſani; ubi in eos, qui Eccleſiae reformationem prius urgeri volebant quam Pontifex eligere-

re.

retur, his inter alia verbis invehitur: *O monſtruoſa deformitas, & deformis reſomratio! Ecce jam, proh pudor! ab Eccleſia caput ſubtrahitur, jam* ACEPHALA *derelinquitur: ut membrorum reformatione poſtpoſita, capitis reformatio praeferatur. Quum tamen canonica proviſio ſuper fotura electione ſit prima & principalis reformatio Eccleſiae, prae ceteris neceſſaria, ac debito ordine nullatenus poſtponenda: Quia haec deformitas, ſcilicet quod Eccleſia maneat* ACEPHALA, *eſt periculoſiſſima: Et per conſequens hujus deformitatis reformatio eſt prae ceteris neceſſaria. Ut quidam egregii Doctores tam Divino quam humano jure coram Judicibus in cauſis fidei declarare proponunt.*

His adjungi poteſt & Stephanus de Praga, qui quamquam in Oratione ad Synodum habita magis Eccleſiae reformationem, quam Pontificis electionem urgeret; fatebatur tamen quod *Eccleſia quoties ſuo capite Vicari fuerit viduata*, incumbere debet ad novi Pontificis electionem, *ne* ACEPHALA *& ſine viſibili capite maneat hîc in terris*. Subjungit, quod quamvis Eccleſiae unio cum Chriſto, qui eſt ejus caput principale, permanens & invariabile, ſit maxime neceſſaria; non tamen ſufficit, niſi & alteram procuremus unionem cum viſibili capite, quod illius vices in terris gerat, & *in quo reſideat*, inquit, *fontalis & capitalis ..... totalis & univerſalis plenitudo Eccleſiaſticae poteſtatis*. Unde velut ex capite & fonte quaecumque alia particularis poteſtas proficiſcatur: *Et illa*, inquit, *ſpecifica & magna* (Romani Pontificis) *poteſtas eſt per ſe principium & per ſe finis omnium particularium poteſtatum*.

Quam male illa cohaereant cum priorum ſeſſionum Decretis, aut quae inde adverſus illa elici poſſint aut ſponte manent conſecutiones, nemo non facile intelligit. Nam ſi Eccleſia ſine Romano Pontifice corpus imperfectum eſt & acephalum; ergo & Concilium, cui Romanus Pontifex deſit, vel a quo ipſe receſſerit, mancum & imperfectum, & acephalum erit, nec dici poterit niſi abſurde, quod *in ſua permaneat integritate*; quemadmodum in ſecundo Decreto ſeſſionis tertiae ſancitum eſt. Quomodo etiam Synodus (quod & in eodem Decreto additum eſt) in ſua permanebit auctoritate, ſi in Romano Pontifice reſidet *fontalis & capitalis, totalis & univerſalis plenitudo Eccleſiaſticae poteſtatis*? Profecto Synodo, quae Catholicam repraeſentet Eccleſiam, major vis ineſſe non poteſt, quam ipſi Eccleſiae, quae per ejuſmodi Synodum repraeſentetur. At Eccleſia Catholica, quum ab ea Romanus Pontifex abeſt, debita caret integritate & perfectione. Ergo integram & perfectam Eccleſiam repraeſentare non poteſt. Nec proinde neceſſe eſt, ut omnia promiſſa, quae a Chriſto Eccleſiae ſuae facta ſunt, Eccleſiae, adeoque & Synodo acephalis, & a quibus abſit Romanus Pontifex, qui eas ut caput perficiat & dirigat, facta eſſe intelligamus. Eſt enim Eccleſia Regnum, & Monarchicum regimen in ea Chriſtus inſtituit tanquam omnium regiminum perfectiſſimum, quemadmodum laudatus Stephanus de Pra-

ga

ga in eadem ad Synodum Oratione optime animadvertit (a). Quis porro promiſſa, quae Regno ſint facta, nihil ad Regem pertinere exiſtimet, aut Regno ſine Rege facta eſſe intelligat? Quum potius ea primum ad Regem velut ad caput & fontem referenda eſſe nemo non ſibi facile perſuadeat. Nam ſi promiſſa ſint Regno victoria, pax, tranquillitas, divitiae, rerum omnium ubertas & copia; quis non animum inducat, haec ipſi bona per Reges fortes, pacificos, providos, ſapientes, induſtrios &c. eſſe procuranda? Ut quid ergo Arnaldus, ut quid ceteri Adverſarii toties nobis objiciunt illos Evangelicos textus, in quibus Eccleſiae Chriſtus promiſit ſeſe cum illa futurum uſque ad ſaeculorum conſummationem, eam per Spiritum Sanctum perductum iri in omnem veritatem, denique adverſus eam nunquam inferi portas praevalituras; ut quid, inquam, hos nobis textus objiciunt, ut Eccleſiam ſupra Pontificem evehant, eique etiam ſine Pontifice congregatae haec omnia promiſſa vindicent? perinde atque haec nihil ad caput, nihil ad Regem pertineant; quum potius & ratio ipſa ſeu conſtitutio Regni, & ipſe Evangelicus textus, ac denique tot ſaeculorum experimentum ſuadeant haec illi bona per ſapientiſſimos, fortiſſimos, ſanctiſſimoſque Pontifices fuiſſe atque eſſe adminiſtranda. Quum enim Chriſtus Eccleſiae promiſit, nunquam inferi portas adverſus eam praevalituras, hoc promiſit Eccleſiae, quae ſupra Petrum velut firmiſſimam petram, cui & claves Regni Caelorum promiſerat, erat aedificanda: Ipſeque Boſſuetius alibi nobis laudatus obſervat, quod quum Chriſtus ait: *Ecce ego vobiſcum ſum &c.* Et: *Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem*; Petrus a ceteris Diſcipulis ſejunctus non erat, ſed erat in eorum conſortio tanquam ab ipſo Chriſto deſignatus eorum caput & Princeps, & Eccleſiae immobile fundamentum. Nulla ergo nos ratio cogit, ut quaecunque promiſſa Eccleſiae ſunt, quum ei Petrus adeſt, ſuumque in ea paſcendi, ſuſtinendi & confirmandi munus exercet, ea ad Eccleſiam transferamus, quum ab illa Petrus abeſt, aut Petro Succeſſor datus non eſt.

Multo autem minus exiſtimare debemus Synodum acephalam, aut quae Eccleſiam ſine certo capite repraeſentet, in certos legitimoſque Pontifices ſumma pollere auctoritate. Huic enim proprie & ſimpliciter haec una poteſtas convenit, ſeſe in tradita ſemel fide conſervandi, morum ac diſciplinae praecepta ſarta tectaque tuendi, ſibique certum & indubium Caput ac Pontificem praeficiendi: ut recte Stephanus

(a) Cum Regnum & Principatum oporteat ab aliquo vel aliquibus regi: Et non eſt bona pluralitas Principum: unus ergo Princeps. Et quia Regnum Caelorum in terris, quod eſt praeſens Eccleſia, eſt Regnum perfectiſſimum & regulatiſſimum; neceſſe eſt ut in eo unus principetur. Optima & decentiſſima Politiarum eſt, ubi unus Monarcha praeſidet, etiam ratione naturali hoc dictante.

nus Pragenſis in eadem Oratione docuit (*a*). At nova fidei dogmata declarare, & diſciplinae praecepta condere, quae in arcem auctoritatis evadant ſine Romani Pontificis adprobatione, id vero juris Eccleſiae non eſt. Quae certe Cardinalibus ſententia haerebat, quum adverſus Decreta Seſſionis XIV. circa novi Pontificis electionem proteſtati ſunt (*): *Licet dicti Cardinales non reputarent illa Decreta valere propter opiniones Doctorum ita dicentium; noluerunt tamen illa publice impugnare &c.* Cur enim ea Decreta irrita vel invalida judicarent, magis perſpicue declaravit Cardinalis S. Marci, quum adverſus quoſdam, qui Cardinalium Collegium a novi Pontificis electione repellendum exiſtimabant, diſſerens ait, id ad ſacrum Collegium ex vetere jure pertinere: *Et multi*, inquit, *tenent*, *quod Concilium* SINE PAPA *non poteſt illa Jura mutare*: *multaeque Nationes non reputarent ſic electum pro Papa*. Quae Cardinalis verba Synodus non negligenda putavit, adeo ut die XXV. Octobris *nihil factum ſit niſi diſputare*; *maxime utrum Concilium potuit* (ſine Papa) *derogare juribus editis ſuper electione Papae*, *vel illa tollere*. Ut ex Vaticanis Codicibus Schelſtratus, ex hoc vero Hermannus Von der Hardt & Jacobus Lenfantius referunt.

Quae quum ita ſint, ii profecto recte ſentiebant, qui Eccleſiae reformationi Pontificis electionem praemittendam exiſtimabant. Nam & diuturno experimento compertum & perſuaſum habebant, inter plurimorum varias diſcrepanteſque ſententias vix fieri poſſe, ut niſi unius auctoritate de aliquo reformationis articulo conveniretur. Atque illud eorum mentibus infixum erat, quod jam pridem Avito Viennenſi fuerat animadverſum (*b*), Gregis non eſſe Paſtoris vitia corrigere ac reformare, ſed ſummi Eccleſię Paſtoris in generalem totius Ovilis ac reformationem incumbere. Quae ne gratis & ad arbitrium de illorum mente ſtatuere videamur; aliquot hîc nobis ex Synodi Actis teſtimonia proferenda ſunt, quae hanc eorum ſententiam Lectoribus ob oculos ponent. Nam quod ad primum attinet, qui prius in electionem Pontificis, quam in Eccleſiae reformationem incumbendum exiſtimabant, ad id vehementer impellebantur *propter diffidentiam*, *quae*, ut inquiebant

(*a*) Sicut Eccleſia duratura eſt in integritate membrorum uſque ad finem ſaeculi: ſic eidem Chriſtus contulit vivificam ſemetipſam uniendi, ſeu in unione conſervandi, facultatem & virtutem. Quam toties practicare tenetur, quoties ipſa Eccleſia ſuo capite Vicario fuerit viduata, ne acephala & ſine viſibili Capite maneat hîc in terris.

(*) Boſſuetius cap. 36. Schelſtratum arguit, quod ſua ipſe Acta corruperit, falſoque adfirmarit, Cardinales proteſtatos eſſe, quod Decretum illud Seſſionis XIV. haberent pro invalido. Id enim, inquit, nullo loco in ea, quam Schelſtratus edidit, proteſtatione legitur. Duas Schelſtratus edidit Cardinalium Proteſtationes. Quarum altera ſtatim poſt ejectionem Petri de Luna a ſolis Cardinalibus per ſingulas Nationes facta eſt; altera vero nona & undecima Septembris ab iiſdem Cardinalibus una cum tribus Nationibus adverſus Imperatorem & Nationem Germanicam emiſſa eſt. Quod ergo in hac ſecunda Proteſtatione Boſſuetius non legit, in priore ſtatim offendiſſet.

(*b*) Epiſt. ad Senatores Urbis, Tom. V. Concilior.

bant (*a*), *habetur de aliqua bona reformatione obtinenda in hoc Concilio; viſo, quod per duos annos, licet major pax & dilectio & concordia tunc eſſet inter Nationes, non potuit plene & perfecte concordari unum ſolum capitulum de ſupradicta reformatione, de qua tractatur, videlicet de ſtatu Papae & Collegii Dominorum Cardinalium*. Concinunt & Acta Vaticana, ex quibus Schelſtratus prodit: *Semper agebatur per Deputatos Cardinalium & Nationum omnium de concordando articulos reformationis: ſed pauci & vix poterant concordari. Una Natio volebat uno modo, alia alio: & diu fuit laboratum, & parum actum*. Idemque haud obſcure indicat Gobelinus, qui ſtatim atque dejectus eſt Petrus de Luna, ſcribit (*b*), electos fuiſſe Viros litteratiſſimos ex omnibus Nationibus, *qui*, inquit, *nomine totius Eccleſiae reformationem ſtatus Eccleſiaſtici ordinarent ac conſcriberent*. Ac ſubjungit: quod *illis moram in hoc facientibus, orta eſt ſeditio inter Nationem Germaniae parte ex una, & ceteras Nationes parte ex altera*. Nec mirum ſane, nam fieri vix poteſt ut multorum opiniones ad unitatem revocentur niſi per unum, qui cum poteſtate & auctoritate multitudini praeſit, & ſeditiones compeſcat, quae in multitudine ſine certo capite facile excitantur.

Hujus ergo eſſe, tanquam Paſtoris & Capitis, ipſius multitudinis veluti gregis & corporis ſui vitia corrigere & reformare, non contra; non modo ratio ſuadet, verum & eos intellexiſſe, qui Pontificis electionem urgebant, ex eiſdem Actis facile demonſtratur. Ita enim Cardinalis Cameracenſis Serm. haud ſemel laudato in Feſto S. Ludovici Epiſcopi Toloſani: *Manifeſtum*, inquit, *quod longo jam tempore Eccleſia fuit multipliciter deformata, indiguitque, & nunc maxime indiget, ut in fide* * *& moribus reformetur. Sed nunc membris Eccleſiae ſeparatis a Capite, & Apoſtolico diſpenſatore & directore carentibus, haec reformatio nequaquam bene fieri poſſe ſperatur*. Ita & Gobelinus, qui poſt verba paullo ante adlata ſubiungit, voluiſſe Imperatorem cum ſuis, quod priuſquam ad electionem Pontificis procederetur, fieret reformatio Eccleſiae tam in capite quam in membris; *ceteris*, inquit, *contendentibus ex adverſo, quod prius procederetur ad electionem Papae, per quem reformatio Eccleſiae eſſet deducenda ad effectum. Tandem reformatione concepta, ipſa tamen nondum publicata, proceſſum eſt ad electionem Summi Pontificis*.

(*a*) Ap. Von der Hardt Tom. I. Par. XX. pag. 922.

(*b*) Coſmodrom. Aet. VI. capite XVI.

* Quid ſit apud Synodum, & hujus aevi Scriptores, in Eccleſia reformari fidem omnes facile intelligunt. Non hoc eſt reſtitui collapſam, quum nunquam Eccleſiae collabatur fides, ſed ea firma & integra, damnari haereſes, haereticos Eccleſia ejici, quod clariore luce fides eluceſcat..... Atque hoc obiter dictum oportuit, ne quis in ambigua reformatae fidei voce falleretur. *Boſſuetius ſup. cap. XIII.*

Voluerat quidem Natio Germanica, atque omni ope contenderat, ut *per Decretum irritans*, qui eligeretur Pontifex, antequam Pontificiam Coronam & Eccleſiae adminiſtrationem ſuſciperet, ad perficiendam reformationem obſtringeretur. Sed quum variae hujuſce Decreti formulae propoſitae ac diſcuſſae fuiſſent, nullaque arrideret, *tandem dictum fuit, quod Papa electus ligari non poterat*. Varias Adverſarii horumce verborum expoſitiones comminiſcuntur, ne quis *generatim* exiſtimet, Pontificem Synodi generalis auctoritate, aut poenalibus legibus ab ea ligari non poſſe. Attamen ex his quae poſtmodum acciderunt, apertiſſime conſtitit Pontificem ſemel electum non eſſe in Synodi poteſtate; ſed contra, Synodum ipſam ejus judicio dirigi, & ab illius auctoritate pendere. Nam primo, loco illius *Decreti irritantis*, quod Natio Germanica exigebat, factum eſt, & Seſſione XL publicatum Decretum, quo totum hoc reformationis negotium in unius fere proxime eligendi Pontificis voluntate & arbitrio poſitum eſt. Nam ſtatutum eſt, ut *futurus Summus Pontifex cum Concilio, vel deputandis per ſingulas Nationes debeat reformare Eccleſiam in Capite & Curia Romana, ſecundum aequitatem & bonum regimen Eccleſiae, antequam hoc ſacrum Concilium diſſolvatur*, ſuper quibuſdam articulis, quorum hîc tituli inſeruntur. Adjiturque, *quod facta per Nationes deputatione praedicta, liceat aliis de licentia Papae libere ad propria remeare*. Non placuiſſe hoc Decretum Imperatori, & hac de cauſſa Seſſioni intereſſe noluiſſe, Lenfantii conjectura eſt [a], qui plura ex Richerio in illud obſervat, eo, quod jam diximus, pertinentia; nempe, hoc Decreto totum reformationis negotium fere ad unius Pontificis arbitrium revocatum.

Inter XVIII. Articulos reformationi propoſitos, & de quibus erat a novo Pontifice ſtatuendum, celeberrimus erat artic. XIII. quo petebatur per Pontificem & Synodum declarari: *Propter quae, & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi*. Unde poſt Thomam de Corcellis, de quo quum de Baſileenſi Synodo diſſeremus, identidem mentio redibit, Arnaldus colligit (b), perſuaſum fuiſſe Nationibus & pro certo habitum, Pontificem per Synodum corrigi poſſe ac deponi. Non enim id in controverſiam vocatur; ſed quaeritur, *propter quae, & quomodo* Synodus generalis ſuam hanc in Pontificem exerere debeat poteſtatem? Et profecto, inquit Arnaldus, nemo in Regno quaereret aut in Regni Comitiis, Propter quae & quomodo Rex poſſit corrigi & deponi. Quî ergo id de Romano Pontifice Nationes quaeſiſſent, ſi Pontificiam poteſtatem Regiae ſimilem exiſtimaſſent?

Per Synodum Papam haereticum poſſe corrigi ac deponi, nemo utique dubitabat. Quaerebatur ergo, An etiam propter alia crimina, quam haereſis, legitimus Pontifex Synodi generalis correctioni & judicio ſubjace-

(a) Lib. V. num. LXXVI.
(b) Cap XIX. §. XI.

jaceret. Conſulat Lector utrumque *Reformatorium*, ſeu Reformationis Decreta ex duplici Codice a Germanico Collectore vulgata (*a*); quemadmodum & Germanicae Nationis Articulos de eodem argumento ab eodem editos (*b*); clareque perſpiciet, id unum pro certo Nationes habuiſſe. Pontificem propter haereſim corrigi a Synodo ac deponi poſſe; quaeſiiſſe autem, an etiam ob ſimoniam, & quodlibet aliud grave ac notorium crimen, quod univerſae Eccleſiae ſcandalo ſit, *per generale Concilium puniri valeat, ac deponi etiam de Papatu*. Unde infringitur argumentum, quod ex Thoma de Corcellis magno apparatu verborum Arnaldus urget: *Supponebatur*, inquiunt, & pro certo habebatur, Pontificem corrigi ac deponi poſſe. Ob haereſim, concedimus; ob alia crimina pernegamus. Id enim in quaeſtionem veniebat. Et Nationes quidem in ſuis privatis conventibus, longe antequam de Pontificis electione ageretur, Decretum hac de re condiderant ſub hac forma: *Hoc Decreto perpetuo declaramus ac definimus: Quod ſummus Pontifex non ſolum de haereſi, ſed & de ſimonia, & quocunque alio crimine Eccleſiam Dei notorie ſcandalizante, de quo ſolenniter monitus, ſaltem per annum poſt monitionem incorrigibilis appareat, poſſit per generale Concilium puniri, etiam per depoſitionem a Papatu*. Sed ejuſmodi Decretum in publica ſeſſione promulgare auſae non ſunt. Res ergo futuro Pontifici integra ſervata eſt: qui jam electus ceteris Nationibus, praeter unam Germanicam, auctor exſtitiſſe videtur, ut ab hujus negotii proſecutione diſcederent. Quum enim illud ſpeciatim Natio Germanica urgeret, reſponſum a Pontifice eſt: *Non videtur, prout nec viſum fuit in pluribus Nationibus, circa hoc aliquod novum ſtatui vel decerni*. Qua modeſta reſponſione uti voluit, ne praepotentem Nationem, & Imperatoris aliorumque Principum praeſentia ferocientem, irritaret. Jure enim ſuo ut ſummus Eccleſiae Monarcha, non ſecus ac quilibet alius Rex, temerarias ejuſmodi quaeſtiones damnare Pontifex potuiſſet. Quamquam, ut id etiam obiter Arnaldo dicamus, quod alibi data opera demonſtrabimus, harumce quaeſtionum in Conſtantienſi Synodo Auctores haud longe aberant a ſimilibus quaeſtionibus circa Reges excitandis.

Verum quod minus verbis, rebus tamen ſub finem Synodi geſtis Martinus V. ſatis oſtendit ac declaravit, quis ſibi de ſuae poteſtatis amplitudine ſenſus ineſſet. Qui enim interjectas a Romanorum Pontificum judiciis ad Synodos Oecumenicas appellationes damnavit, & Regni Poloniae Oratores appellare volentes indicta excommunicationis poena repreſſit, idque ſpectante Synodo nec reclamante: Qui denique Conſtantienſis Concilii adverſus haereſes ac de fide decreta firmavit, ac defectus omnes, qui in eis interveniſſent, Apoſtolica auctoritate ſupplevit, roburque illis ineluctabile contulit & ir-

(*a*) Tom. I. Par. X. cap. VI. & Par. XI. cap. VI.
(*b*) Ibid. Par. XXII. artic. XIII.

irretractabilem firmitatem ; is certe non ſe Concilio generali ſubjectum, ejuſque judiciis obnoxium ; ſed illo ſuperiorem, eique velut Caput corpori, & Paſtorem gregi, & Patrem familiae præſidentem, apertiſſime demonſtravit. Quare poſt varias & acerrimas, & in ſummo diſcrimine poſitas de hoc argumento diſputationes, tandem Divina Providentia factum eſt, ut Petri Navicula ex tot fluctibus, quibus tamdiu agitata & conflictata fuerat, victrix evaderet; iiſque interim compoſitis & compreſſis, diriores paullo poſt per Baſileenſem Synodum expertura procellas, ad breve tempus quieſceret.

F I N I S.

INDEX

INDEX ALPHABETICUS

NOMINUM, AC RERUM PRAECIPUARUM, QUAE IN HUJUS OPERIS TOMO III. PARTE I. CONTINENTUR

Numerus prior paginam, poſterior cum littera c. *columnam primam, vel ſecundam paginarum notat.*

A

Acephalae Synodi nulla auctoritas. 175. c. 2. *& ſeq.*
Acta Vaticana Conſtantienſia defenduntur contra Boſſuetium. 155 — 161.
Adverſariorum, inprimis Arnaldi, objecta rejiciuntur. 161. c. 2. 162. & 163.
Adverſariorum teſtimonia de novitate doctrinae Gallicanae poſt Conſtantienſe Concilium. 26. c. 1.
Agathonis Papae decretum. 9. c. 2.
Alexander V. an OEcumenicum Concilium convocare potuerit? 104. c. 1. *& ſeqq.* Ejus electio difficultatibus obnoxia. 106. c. 1.
Alexandri (Natalis) argumentum nihil evincit. 31. Idem Alexander improbatur etiam a Lenfantio. 89. c. 1. Ex eo probatur, duorum Pontificum ſectatores nec ſchiſmaticos, nec haereticos. 113 — 119.
Alliaco (Petrus de) ab Eccleſiae Gallicanae concluſionibus diſſentit. 66. c. 2.
Almainus citatus. 45. c. 1.
Anglicanae Eccleſiae ſaeculo XIII. appellatio. 77. c. 1.
S. Antoninus laudatus. 92. c. 1.
Appellatio Anglicanae Eccleſiae ſaeculo XIII. 77. c. 1.
Appellatio Regni Galliae a Bonifacio VIII., quem illegitimum, & haereticum putabat, ad Concilium. 74. c. 1. & 2.
Armeniae Praeſulum de Pontifice Max. teſtimonium. 44. c. 1.
Arnaldi (Antonii) Diſſertatio XVII. In ea eloquentia ſumma, non Veritas. XVIII.
— Confutatus. 99 — 106. 120. 121.
Ei reſpondit Cameracenſis Epiſcopus in Concil. Conſtant. 104. c. 2.
— Vaticani Codicis fidem fruſtra vellicat. 139. c. 2. Rejicitur. 161. — 163. A Lenfantio rejicitur. 165. Confutatus. 172 — 176.
Arnaldus de Corbeja citatus. 64. c. 1.
Auctoris opinio circa omiſſionem II. Decreti IV. Seſſionis Conſtantienſis. 29. c. 1.
Auctoritas Eccleſiae, & Conciliorum Generalium extra ſchiſma, & haereſim, utrum ſit ſumma? 82. c. 1.

B

Baſileenſes Textus IV. Seſſionis Conſtantienſis Concilii corruptores, juxta Scheleſtratum. 11. A quo falſi arguuntur. 30. De falſitate ſuſpecti. 31. c. 1. Qua via purgari poſſint? 32. c. 2. *& ſeq.*
Bellarmino Papa dubius Papa nullus. 82. c. 2. Hoc effatum a Boſſuetio non intellectum defenditur. 83. c. 2. Qui Papa dubius ſit dicendus? *ibid.* Idem a Boſſuetio inſectatus. 97. c. 1. Defenditur. 67. c. 2.
Benedicti XIII. Pſeudo Pontif. pertinacia. 59. c. 2. De eo Simonis Cramandi opinio. 60. c. 2. Et Petri Regis. *ibid.*
S. Bernardus laudatus. 108. c. 1.
Bertrandi (Petri) Elogium; Ejus dogmata cum Gerſonianis decretis pugnant. 45. c. 2.

Bonifacius VIII. diſſidet cum Philippo Pulcro. 38. c. 2. Ejus accuſatorum doctrina. 40. Illorum luculentum teſtimonium. 42. c. 2. Aliud luculentius. 43. c. 1.
Boſſuetius paſſim citatus, & confutatus. Ejus nugae de Concilio Piſano. 68. c. 1. & 2. & ſeqq. Urgetur. 77. c. 1.
— Non bene intelligit Bellarmini effatum. 83. c. 1. Ejus argumenta in ipſum retorquentur. 84 - 86. Quod ait de VI. Synodo, dicendum fortiùs de Piſana. 81. c. 2.
— Turrecrematam, & Bellarminum inſectatur. 97. c. 1. Ejus inanis reſponſio. 129 - 133. Confutatur. 137. c. 2.

C

CAmpis (AEgidii de) de Pontificis independentia teſtimonium. 61. c. 1. Citatus. 64. c. 1. 66. c. 2.
Canus (Melchior) laudatus. 133. c. 1. & 167. c. 2.
Capitula trium Nationum, obſtantibus Cardinalibus. 23.
Cardinalis Mediolanenſis Oratio in Concilio Piſano. 78. c. 1. A tota Synodo probata. 78. c. 2.
Cardinalis Cameracenſis teſtimonium. 168. c. 1.
Cardinales in Synodo Conſtantienſi non auditi, quum Wicleffus, & Huſſus auditi fuerint. 128. c. 2.
Ceſſio Pontificum de Pontificatu diſceptantium. 63. c. 2.
Chalcedonenſis Concilii de Primatu, & Superioritate Papae teſtimonium. 48.
Claves Petro ne pleniùs, an Eccleſiae traditae? 7.
Clemens VI. a Petrarcha literatiſſimus appellatur. 44. c. 1. Ejus elogium. 43. c. 2. Quid Armenis credendum proponat? 43. c. 2. & ſeq. Quod proponit, non convenit cum Conſtantienſium Patrum doctrina. 45. c. 1.
Cleri Gallicani doctrina. 9. c. 2.
Codices Concilii Conſtantienſis quare inter ſe diſcrepent? 26. & ſeq.
Coeleſtinus V. juxta Theologos Pariſienſes nec renunciare Pontificatui potuit, nec exauctorari. 39. c. 2. & ſeqq. Neque etiam a Concilio OEcumenico. 41. c. 1. 2. & 42. c. 1.
Conciliorum VI. & VIII. de Superioritate Papae teſtimonium. 49.
Concilium ab Alexandro V. indictum an OEcumenicum? 104. c. 1. & ſeqq.
Concilium OEcumenicum a quo indicendum, juxta Henricum ab Haſſia? 54. c. 2. Cujuſnam auctoritate firmandum? 55. c. 1. & 2. Quid tempore Schiſmatis dicendum? 56. c. 1.
— Ad extinguendum Schiſma ob maximas difficultates rejectum. 62.
Conc. Conſtan.) Ejus nova Convocatio infringit primas ejuſdem Seſſiones. 112. c. 1. Nam Gregoriani, & Benedictini nec ſchiſmatici, nec haeretici. 112. c. 2. Probatur ex Natali Alexandro. 113 - 119. Confirmatur retorquendo exceptiones Adverſariorum in ipſos. 119. Quae decreta a Martino V. confirmata? 123. c. 2. & 124.
hoc Concilium in principio haud OEcumenicum. 93. Ejus auctoritas in primis V. Seſſionibus. 94. Pendet a Synodi Piſanae auctoritate. 95.
Concilium Piſanum quo jure a Cardinalibus convocatum? 77. c. 2. Iis nempe id ſpectat tempore ſchiſmatis, & dubios Pontiff. judicare. 78. c. 1. Probatur ex ejus Actibus. 78. c. 2. Eorum epilogus. *ibid.*
Concluſiones Eccleſiae Gallicanae circa ſeceſſionem a Gregorio XII., & Benedicto XIII. 66. c. 2.
Cramandi (Simonis) de Benedicto XIII. judicium. 60. c. 2. Citatus. 66. c. 2.

D

DAmaſus a nemine judicatus. 51. c. 1.
Declarationis Gallicanae Caput ſecundum.

dum. 1. c. 1. Ejus verba. 6.
Decreta Conſtantienſia tanquam inconcuſſa ab adverſariis adducta. xv. & ſeqq. Multis obnoxia difficultatibus. 1. & ſeq. Decreta IV. & V. Seſſion. vel ex ſe ſuſpecta, vel talia reddita a PP. Baſileenſibus. 2. c. 2. Quod fusè probatur. 3. & ſeqq. Quomodo ab adverſariis intellecta. 7. & ſeqq. A Nationibus, excluſis Cardinalibus, conficiuntur. 20. c. 1. Decretum ſecundum ex conſenſu Nationum omiſſum. 27. c. 2. Auctoris opinio. 29. c. 1.
Decreta controverſa in Synodo Conſtant. non fuerunt deliberata. 126. c. 1. A Joanne XXIII. reprobata. 133. c. 2. & 134.
—— Iis nec Cardinales, nec plures Epiſcopi & Doctores conſenſerunt. 138. c. 2. Probatur. 139 - 143. Non propoſita ut fidei regula. 143. c. 2. Probatur ex Melch. Cano. ibid. Poſt emiſſa ea Decreta inter Theologos controverſum etiam eſt. 145. c. 1. & 2. Ineluctabile argumentum contra ea ex ipſomet Concilio. 147. c. 1.
Decreta Synodalia a quo robur repetant. 9. c. 2.
Diſſenſiones inter Cardinales, & Nationes in Concil. Conſtant. circa quaedam verba I. Decreti. 18. & ſeq. Non circa Capitula contra Joannem XXIII. ibid. Aliae Diſſenſiones. 21. c. 2.
Diſſidium inter Bonifacium VIII., & Philippum Pulcrum. 38. c. 1.
Donatiſtae Eccleſiam perturbant. 107. c. 2.

E

Eccleſia num tempore Schiſmatis ex ſe congregari poſſit? 100. Haec quaeſtio in caſu noſtro non habet locum. 101. c. 1. Num renuentibus Benedicto XIII., & Gregorio XII. coire potuerit? 101. c. 2. Reſpondetur negativè. ibid.
Eccleſiae Gallicanae Concluſiones circa ſeceſſionem a duobus Pontificibus. 66. c. 2.
Ennodii teſtimonia de praerogativis Rom. Pontificis a Thomaſſino laudata. 51. c. 1. 2.

F

Florentinae Synodi auctoritas. xxi.
Formula SS. D. Noſter, ſacro approbante Concilio, & alia Sacroſanctum Concilium, quid importent? 154. c. 2. 155. c. 1.

G

Gelaſii I. teſtimonium. 52. c. 1.
Gerſonii (Joannis) Oratio de Concil. & Pontif. poteſtate, Cardinalibus abſentibus. 19. c. 2. De ea Pontifex queritur. 20. Teſtimonia a Boſſuetio adducta. 36. c. 1. Ad trutinam revocantur. 36. c. 2. Teſtimonium de novitate doctrinae Gallicanae. 46. c. 2. Ejus nova opinio nimis abſurda. 47. c. 2. Luculentum teſtimonium de prioribus ejus ſenſibus. 62. c. 2. Ab Eccleſiae Gallicanae Concluſionibus diſſentit. 66. c. 2.
—— Ejus Oratio in Synodo a Cardinalibus non audita. 127. c. 1. Nec omnibus probata. 128. c. 1. Ejus teſtimonium in Adverſarios. 147. c. 2.
Gobelini Perſonae egregium teſtimonium. 25. c. 2. Anno I. Martini V. ſuum Opus abſolvit. ibid. Ejus teſtimonium 166. c. 2.
Gregorii XII. Cardinales quomodo ad Concilium appellaverint? 73. c. 2.

H

Hadriani II. decretum. 49. c. 2.
Henrici ab Haſſia doctrina. 54. c. 2.
Honorius quare anathemate perculſus? 49. c. 2.

J

JAnſeniſtarum de Decretis Conſtantienſibus opinio. xvi.
Joannis XXIII. obedientia in tertia parte Eccleſiae. 97. c. 1. Ei vis illata a Synodo Conſtant. 106. c. 2. Probatur. 106. — 111.
— Literae Apologeticae. 136. c. 1. & 2. Quae captivus fecit, nihil probant. 138. c. 1.
Joannes Major citatus. 46. c. 1.
Joannis de Varennis Epiſtola ad Benedictum XIII. 64. c. 2.

L

LAteranenſe II. Concilium ad extinguendum Schiſma. 107. c. 2.
III. eadem de cauſa. *ibid.*
Lenfantius (Jacobus) Hiſtoricus Concilii Conſtantienſis in multis pro nobis facit. xix. Natalem Alexandrum improbat. 89. c. 1. ſecum pugnat. 95. c. 2. & 96.
S. Leo Magnus Literam ſuam ad Flavianum ſubſcribendam Chalcedonenſibus PP. mittit. 48. c. 2.
Leo III. a nemine judicatus. 51. c. 1.

M

MAimburgus confutatus. 28.
De Marca (Petri) teſtimonium. 75. c. 2. & 76.
Marcellinus a nemine judicatus. 51. c. 1.
Martinus V. quae Decreta Concilii Conſtant. confirmaverit? 123. c. 2. & 124. V. Seſſionis Conſtantienſis Decreta, ut Conciliaria, & ad fidem ſpectantia haud confirmavit. 148 — 150. Ejus Bulla *In Eminenti*. 150. c. 1. S. Birgittam rurſus canonizavit. 151. c. 1. Adverſariorum objectiones refelluntur. 151. 154. Ejus Bulla a Gerſone citata. 153. c. 1. Quid ſenſerit de ſua auctoritate? 179. c. 2.
Matthaeus Paris citatus. 77. c. 1.

N

S. NIcolai I. teſtimonium. 50. c. 2.
De Niem (Theodoricus) citatus. 135. c. 1.

O

OEcumenici titulus an Concilio Conſtantienſi competat? Quid Arnaldus? 99. c. 2.
Oratio Cardinalis Mediolanenſis in Synodo Piſana. 78. c. 1. A tota Synodo probata. 78. c. 2.
Ordo hujuſce Operis. 10.
Oxonienſis Univerſitatis doctrina circa Concilia. 58. c. 1.

P

PApa dubius qui? 83. c. 1. & 2.
Papienſe Concilium ſub Alexandro III. 108. c. 2.
Pariſienſium Theologorum de Conciliorum Generalium auctoritate doctrina exponitur. 7. Quae fuerit ſaeculo xiv.? 38. *& pluribus ſequentibus.* Eorum avita traditio. 52. c. 1.
Piſana Synodus an definiverit Conciliorum Generalium poteſtatem? 36. Ejus Synodi auctoritas. 87. c. 2. Nec haeretici, nec ſchiſmatici, nec temerarii qui legitimam eam non agnoſcunt. 88. c. 2. Inter Piſanam, & VI. Synodum multum diſcrimen. 90. c. 1. & 2. Piſana Synodus non OEcumenica. 91. c. 2. *& ſeqq.* Num duos Pontifices exauctorare potuerit? 102. c. 1. An hi acquieſcere debuerint? 102. c. 2.
Plaoul (Magiſter Petrus) citatus. 64. c. 1. Ejus Oratio in Synodo Piſana. 86. c. 2. Ejus mens explicata. 87. c. 1.
Poggii teſtimonium. 167. c. 1. Ejus Oratio. *ibid.*
Pontifex Romanus an Caput eſſentiale Eccleſiae? 8. Ejus confirmatio an robur Conciliorum Decretis addat? *ibid.*

Pontifex ut talis non poteſt haereticus eſſe, ſed ut privata perſona, juxta Bonifacii VIII. accuſatores. 42. c. 2.

Pontificis ſuperioritas num ſolis gloſſis innitatur, an potius Conciliorum General. & Romanor. Pontiff. decretis? 47. c. 2. Nempe Concilii Chalcedonenſis. 48. c. 1. 2. VI. & VIII. Conciliorum. 48. c. 1. Agathonis decreto. 49. c. 2. necnon Hadriani II. & S. Leonis Magni. *ibid.*

Pontificis electionem quare Reformationi praemittendam Cardinales & Nationes ducunt? 172.

Pontificis ut Capitis eſt membra Eccleſiae reformare. 177. c. 2. Luculentum ipſius Conſt. Concilii teſtimonium. 178. c. 1.

Pontifices Marcellinum, Damaſum, Xyſtum III. Symmachum, Leonem III. nemo auſus eſt judicare. 51. c. 1.

Pontifices Schiſmatici & Haeretici an Conciliis generalibus ſubjecti? 71. c. 1.

Proteſtatio Cardinalium, & trium Nationum evincitur contra Arnaldum. 163. c. 2.

R

Regis (Petri) Abbatis de Pontificis independentia teſtimonium. 60. c. 2. Citatus. 64. c. 1.

Remedia contra ſchiſmata quae? 53. Ceſſio, Neutralitas, & Concilium generale. 53. c. 1. Magnis difficultatibus obnoxia ante novum Gerſonii dogma. 53. c. 2. Epilogus. 68. c. 2.

S

Schelestrati (Emmanuelis) Opinio circa textum IV. Seſſionis Concilii Conſtant. a Baſileenſibus corruptum. 11. Probatur a diſſenſione inter Cardinales, & Nationes. 18. & quod controverſa verba Cardinalis Florentinus non legerint. 25. c. 1.

Schelestratus num falſarius? Num PP. Baſileenſes probi? 29. c. 2. *& ſeq.* Ipſe a falſitate vindicatur. 30. c. 2. Num recte falſi arguerit Baſileenſes? 31. c. 1. Ab adverſariis accuſatus. 34. Vindicatur ampliſſime. 35. Ejus fides contra Boſſuetium aſſeritur. 155. c. 2. Defenditur contra Arnaldum. 168. c. 1. 172.

Schiſma Novatianum. 107. c. 1.

Scholae Pariſienſis veteris circa Concilia Generalia opinio. 56. c. 2. Evincitur a diſſidiis inter ejus Theologos. 57. c. 1. & 2. & 58. c. 1. & 2.

Seceſſio Univerſitatum, Nationum, & Cardinalium a Gregorio XII. & Benedicto XIII. ut ſchiſmaticis & haereticis. 65. c. 2.

Seſſionis IV. Conſtantienſis textus corruptus. 11.

Seſſionis V. lectio nunquam in dubium revocata. 36. c. 2.

Stephani de Praga teſtimonium. 174. c. 1.

Symmachus a nemine judicatus. 51. c. 1.

Synodorum Decreta ad Fidem pertinentia quae? 125. c. 1.

T

Textus IV. Seſſionis Conſtantienſis a Baſileenſibus Patribus corruptus. 11. In eo verba: *Ad reformationem Eccleſiae Dei in Capite & membris* abeſſe debent. 12. c. 1. Codices, in quibus defacto abſunt. 13. *& ſeq.* An adſint in Codicibus omnibus Adverſariis viſis? 14. c. 1. & ſeqq. In pluribus eorum, & optimae notae, non occurrunt. 17. c. 2. Cardinali Florentino non lecta. 24. Qui cum Deputatis idcirco diſputavit. 25. c. 1. Ex ſeſſione V. non IV. petita. 32.

Theologorum Pariſienſium doctrina Saeculo XIV. 38. & ſeqq. Circa dimiſſionem Coeleſtini V. 39. c. 2. Eorum avita traditio. 52. c. 1.

Theſes Univerſitatis Pariſienſis de Pontificibus ſchiſmaticis. 71. c. 2. Explicantur. 72. & ſeq.

Theſes ab Auctore propugnatae. 125. c. 2.

Tha-

Thomaſſinus laudatus. 46. c. 1.

Toloſana Univerſitas ſeceſſionem a Benedicto XIII. quare improbaverit? 67. c. 2.

Traditio avita Theologorum Galliae ante Conſtantienſe Concilium. 52. c. 1.

Turrecremata a Boſſuetio inſectatus. 97. c. 1. Defenditur. 97. c. 2. Ejus teſtimonium. 135. c. 2.

V

Univerſitatis Pariſienſis theſes de Pontificibus ſchiſmaticis. 71. c. 2. Explicantur. 72.

Vonder Hardt Acta Conſtantienſia vulgavit. XVIII. Ejus opinio circa II. decretum IV. Seſſionis omiſſum. 28.

Xyſtus III. a nemine judicatus. 51. c. 1.

Z

Zabarella Card. Florentinus verba *ad reformationem* &c. in Seſſ. IV. non legit. 24. c. 1. Ejus Laudes a Poggio recitatae. 167. c. 1.

F I N I S.